
R.P. LAURENTIJ DE PORTEL, ... RESPONSIONUM MORALIUM TOMUS...

Lorenzo Portel, Josè Maria Fonseca de Evora





R. P. LAVRENTII

DE PORTEL,

ORD. P. N. FRANCISCI
DE OBSERVANTIA,

Prouinciæ Algarbiorum in Portugallia quondam Ministri Prouincialis, & Lectoris Theologi in eadem Prouincia,

RESPONSIONVM MORALIVM



Tomus Secundus.

Cum duplici INDICE, *vno Casuum, altero Rerum & verborum copioso.*


EDITIO NOVISSIMA.



B A

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



SERIES

Casuum qui in hoc libro discutiuntur.

APPROBATIO.

NOs infrà ſignati Doctores Theologiæ almæ facultatis Pariſienſis, Tomum ſecundum Reſponſionum Moralium R. Patris LAVRENTII DE PORTEL Ordinis Minorum, diligenter examinauimus, nihílque reprehenſione dignum reperimus. In quorum fidem noſtrum chirographum appoſuimus. Lugduni die 14. Octobris 1642.

Fr. STEPHANVS MOLIN,
Carmelita.

Fr. M. MICARD, Gardianus
Conuent. S. Bonauenturæ.

SVMMA PRIVILEGII Regis Christianißimi.

LVDOVICVS XIII. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari Priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorum fines, intra decẽ annos, à die finitæ primæ impressionis computandos, imprimat, seu typis excudendum curet, & vænalem habeat librum qui inscribitur, *Responsionum Moralium Tomus secundus: Authore* FR. LAVRENTIO DE PORTEL, *Ordinis Minorum:* præter ANTONIVM BERTIER, Bibliopolam Parisiensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibuit insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti ANTONII BERTIER. Idque omne sub pœna sex mille librarum, vti latiùs patet in litteris datis Parisiis 14. Nouemb. 1642.

Signatum, DENISOT.

Desiit excudi hac prima Editio, die 8. *Decemb.* 1643.

PRæfatus ANTONIVS BERTIER ius omne suum, atque huiusmodi priuilegium transtulit, & cessit LAVRENTIO ARNAVD, vt secundùm ipsius tenorem eo fruatur; prout ex mutuo super id conserto instrumento, patet.

SERIES

R.P.

VI

79. De



Ad pium Lectorem.

DIVVS Paulus 2. ad Corinth. 11. dixit Corinthiis: Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ: sed & supportate me. *Quòd si Paulus plenus sapientia infusa, qui vidit arcana verba, & iuxta D. Petrum scripsit epistolas secundùm datam sibi sapientiam à Deo, talia de se verba protulit. Quid faciam ego miser homunculus, ô pie lector, nisi dicere tibi: Sustine hoc modicum insipientiæ meæ, & supporta me, patienter legens contenta in hoc rudi libello. Modicum est totum, quod illo continetur, fateor. Sed memini, Deum Exod. 25. præcepisse vt omnes illius populi offerrent aliquid pro ornatu, & fabrica Tabernaculi: siue aurum, siue argentum, æs, byssum, purpuram, & pilos caprarum. Itaque acceptabat Deus pilos caprarum, ex quibus fiebant operimenta ad cooperiendum tectum Tabernaculi ad propulsandos imbres. Tabernaculum Dei est anima hominis, in qua Deus habitat. Alij Doctores pro ornatu huius animæ scripserunt, & scribunt libros, qui sunt aurum,*

argentum, byssus, & purpura. Ego ex insipientia mea ad defendendum animæ tabernaculum ab imbribus peccatorum, ac dubiorum offero tibi Lector, hoc modicum, & hos pilos caprarum: imitare Deum qui lætus modica acceptat. Et memento dixisse Poëtam quendam, Forsan & hæc olim meminisse iuuabit. *Forsitan in hoc modico libello aliqua inuenies, quæ aliquando pro iuuandis animabus prodesse poterint. Quod si euenerit, ex nunc refero ad laudem omnipotentis Dei qui viuit, & regnat in sæcula. Amen.*

APPRO



R. P. LAVRENTII DE PORTEL RESPONSIONVM MORALIVM

TOMVS SECVNDVS.

CASVS PRIMVS.

De quadam professione Nouitij professi in quadam Religione, qui recepit habitum in Ordine Patris nostri Francisci.



VIT iste casus publicus in tota Olysippone, imò & ferè in toto regno. Et quia casus difficilis est, & ex illius resolutione possunt colligi multa documenta pro resoluendis dubiis professionis nullæ, libuit hîc inserere pro doctrina Religiosorum.

1 Casus iste fuit: Quidam Religiosus professus in

argentum, byssus, & purpura. Ego ex insipientia mea ad defendendum animæ tabernaculum ab imbribus peccatorum, ac dubiorum offero tibi Lector, hoc modicum, & hos pilos caprarum: imitare Deum qui lætus modica acceptat. Et memento dixisse Poëtam quendam, Forsan & hæc olim meminisse iuuabit. Forsitan in hoc modico libello aliqua inuenies, quæ aliquando pro iuuandis animabus prodesse poterint. Quod si euenerit, ex nunc refero ad laudem omnipotentis Dei qui viuit, & regnat in sæcula. Amen.

APPRO



R. P. LAVRENTII DE PORTEL RESPONSIONVM MORALIVM

TOMVS SECVNDVS.

CASVS PRIMVS.

De quadam professione Nouitij professi in quadam Religione, qui recepit habitum in Ordine Patris nostri Francisci.



FVIT iste casus publicus in tota Olysippone, imò & ferè in toto regno. Et quia casus difficilis est, & ex illius resolutione possunt colligi multa documenta pro resoluendis dubiis professionis nullæ, libuit hîc inserere pro doctrina Religiosorum.

1 Casus iste fuit: Quidam Religiosus professus in

quadam Religione approbata, de licentia sui Prælati generalis recipit habitum Nouitij in quodam conuentu P. N. Francisci. Et mense vndecimo nouitiatus, Prælatus conuentus congregatis capitulariter omnibus Religiosis conuentus, excepit suffragia, illisque recensitis, & examinatis, maior pars communitatis suffragata est contra Nouitium, ita vt illi deesset maior pars suffragiorum. In quo casu statutum generale Ordinis Minorum disponit, vt Nouitius statim expellatur ab Ordine sine recursu ad superiorem: & sic de facto Guardianus Nouitium expulit à conuentu sine habitu Franciscano.

2 Nouitius appellauit ad Prouincialem; eóque adito, Prouincialis eundem restituit ad habitum Minorum, eúmque reposuit in alio conuentu prouinciæ minus capaci, disponens vt in hoc secundo conuentu continuaret nouitiatum, vt computato tempore nouitiatus in secundo conuentu cum tempore nouitiatus prioris conuentus admitteretur ad professionem in secundo conuentu. Hoc vbi primum innotuit Guardiano prioris conuentus, à quo fuit expulsus, recurrit ad Commissarium generalem superiorem ipsius Prouincialis: qui Commissarius accessit ad priorem conuentum, à quo fuerat expulsus, & per se ipsum excepit secundâ vice vota, seu suffragia singulorum Religiosorum: & denegata sunt Nouitio multo plura suffragia, quàm fuerant denegata in prima vice. Ita vt ferè ex tribus partibus suffragiorum plusquam duæ partes Nouitio fuerint denegatæ.

3 Quo viso prædictus Commissarius priorem expulsionem approbauit, & per literas patentes mandauit Guardiano secundi conuentus, vt Nouitium prædictum statim expelleret à conuentu, illíque habitum

bitum nostrum auferret: inhibens simul, ne eundem Nouitium amplius ad habitum, vel professionem admitteret, protestando quod si secus faceret, professio foret nulla. Et sic Nouitius fuit expulsus à secundo conuentu cum habitu suæ prioris Religionis. Nouitius tamen appellauit: idem etiam Commissarius per particulares litteras monuit Prouincialem, illique mandauit ne prædictum Nouitium ad habitum admitteret, neque ad professionem, cum eadem protestatione.

4 Nouitius sic expulsus à secundo conuentu, mansit cum habitu suæ primæ Religionis, in domo cuiusdam secularis per quinque menses. Quibus mensibus transactis, contigit vt vacaret officium Commissarij generalis; illóque officio vacante, Prouincialis idem per litteras suas remisit prædictum Nouitium antiquum ad eundem conuentum secundum, iniungens Guardano dicti conuentus, vt denuò conuocaret Religiosos illius, & exciperet suffragia singulorum pro dicti Nouitij professione. Cúmque maior pars conuentus pro illo suffragata fuisset, Guardianus ex mandato Prouincialis admisit prædictum Nouitium ad professionem, de qua est quæstio. In quo secundo conuentu non fuit Nouitius per mensem integrum; defuerunt enim sex dies ad mensem integrum: atque ita nouitiatus illius in primo, & secundo conuentu non fuit annus integer, sed defuerunt illi sex dies ad annum integrum nouitiatus, sic interrupti, & interpolati.

Quo supposito, quæruntur duo. Primum, *An prior expulsio à primo conuentu fuerit iusta, & licita*? Secundum, *An prædicta professio facta in secundo conuentu, concurrentibus prædictis circumstantijs, fuerit valida?*

 5 Quod

5 Quod attinet ad primum Quæsitum, videtur quod prædicta expulsio à priori conuentu fuerit iniusta, & proinde nulla. *Primò*, quia in prima receptione suffragiorum in primo conuentu, examinatis suffragiis susceptis per fabas in vrna, inuentum est vnum suffragium supra numerum Religiosorum suffragantium: cùm enim suffragatores essent, verbi gratiâ, centum, inuentum est vnum suffragium supra centum: & proinde illud suffragium excrescens, & abundans videtur reddere suspectam, imò nullam receptionem suffragiorum, vtpote factam per animum maleuolum alicuius suffragatoris. *Secundò*, quia ante receptionem suffragiorum, (ait Nouitius) aliqui Religiosi solicitarunt alios Religiosos, vt Nouitio suffragium negarent: quæ solicitatio videtur esse conspiratio quædam, & subornatio: facta autem per conspirationem, vel subornationem sunt nulla, vel saltem annullanda. *Tertiò*, quia prædictus Nouitius in prima expulsione conuentus primi, statim appellauit ad Prouincialem ob causas proximè dictas, & illius appellatio non fuit recepta; cùm sit de iure communi ciuili, & canonico, imò & de iure naturali, quod debitè appellans audiatur.

Conclusio prima.

6 Expulsio istius Nouitij à primo conuentu, cui defuerunt suffragia, fuit valida, & licita. Probatur, quia facta secundum legem valida sunt, & licita: argumento sumpto à contrario sensu per regulam iuris in 6. vbi dicitur: *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi*. Ergo à contrario sensu, quæ secundum ius fiunt, debent pro validis haberi. At ista expulsio

expulsio facta fuit secundum statutum Religionis Minorum, in quo præcipitur vt si Nouitius ad professionem non habuerit vltra dimidiam partem suffragiorum, statim expellatur ab Ordine, ídque absque vllo recursu ad superiorem: ergo illius expulsio à primo conuentu fuit valida, & iusta. Neque obstant tria argumenta in oppositum adducta, ex quorum solutione præsens conclusio amplius confirmata manebit.

7 Ad *primum argumentum* dico, quod illud suffragium excrescens in prima receptione suffragiorum supra numerum suffragatorum, non annullauit suffragiorum receptionem, seu electionem. Probo imprimis per regulam iuris in 6. dicentem: *Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.* At illud suffragium superabundans non sortiretur effectum, siue daretur pro Nouitio, siue contra illum: ergo non præbuit impedimentum electioni. Probatur minor, quia Nouitio denegata sunt vltra decem suffragia supra dimidiam partem communitatis: ergo illud suffragium abundans illi non nocuit. Noceret quidem si supra medietatem communitatis negantis suffragia illud vnum votum excresceret, & electio, seu expulsio penderet ab vno tantum suffragio: quod secùs accidit. Idem probari potest ex alia regula iuris in 6. dicente: *Vtile non debet per inutile vitiari.* At illa negatio suffragiorum multò vltra dimidiam partem suffragiorum fuit vtilis conuentui; ergo non debet vitiari per illud suffraginm inutile crescens supra numerum suffragantium. Probatur hoc ipsum optimo exemplo adducto à Rodriguez *tom.* 3. *addit. ad sum. cap.* 148. *conclusione* 2. vbi, postquam quæsiuit an fuerit valida electio, in qua duo, vel tres ex-

communicati suffragati fuerant, qui suffragium dare non poterant; respondet hæc verba: *Si excessus suffragiorum ex parte electi fuit tantus, quod licet cum illis iungantur suffragia excommunicatorum, & inhabilium manet sufficiens numerus ad validitatem electionis, electio valida est secundum ius.* Et citat in margine cap. *Cum Vintoniensis*, de electione. Quod optimè quadrat ad præsens intentum, vbi illud suffragium crescens, additum aliis nihil obesset.

Hoc denique colligitur ex Camillo Borello *tom.* 1, *Decisionum tit.* 30. *num.* 307. vbi docet quod si plures iudices ordinarij sententiam tulerunt, & vnus eorum, erat inhabilis, sententia valida est, & citat ad hoc Hostiensem, Anton. de Butrio, Panorm. Felinum, & alios, cuius rationem ibi assignat similem rationi suprà à nobis proximè datæ.

8 Ad *secundum argumentum*, Respondetur Primò non constitisse de subornatione, nec de conspiratione contra Nouitium ante receptionem suffragiorum: imò potiùs per testes iuratos constitit quod pro fauore illius facta fuit subornatio. Secundò respondetur, quod dato, quod aliqui Religiosi ante suffragiorum receptionem solicitassent alios Religiosos, ne darent suffragium Nouitio, illa non fuit subornatio culpabilis, & impediens; sed fuit admonitio bona, & necessaria. Pro quo noto cum Rodriguez *tom.* 2. *qq.* *q.* 56. *art.* 1. quod est duplex subornatio in electionibus, vna illicita, & mala: altera licita, & bona. Subornatio mala est quando persuadetur vt eligatur indignus; vel ne eligatur dignus: & hæc subornatio est prohibita in iure. Subornatio bona est quando suadetur vt eligatur dignus; vel ne eligatur indignus: & hæc subornatio nec est prohibita, neque mala; imò est bona, &

laudabilis, vt ibidem probat Rodriguez. Quo ſuppoſito, Dico prædictum Nouitium habuiſſe defectus morales, imò & naturales in ſanitate, & viribus corporeis, ita vt non poſſet vitam ordinariam Ordinis Minorum tolerare in veſtitu, & potu, nec proinde ducere vitam communem. Cùm ergo inhabilis eſſet ad ſeruandam vitam in Regula præceptam, non fuit culpabilis ſubornatio, neque prohibita, ſed potius bona, ſi aliqui Religioſi aliis perſuaderent ne illi darent ſuffragium, eo quòd eſſet inhabilis ad Religionem: imò qui id perſuaderent, bene facerent in bonum Religionis. Neque item hæc perſuaſio ad negandum ſuffragium prædicto Nouitio dici potuit conſpiratio: Nam, teſte Petro Vendrameno *Addition. ad Repertorium Inquiſitorum*, verbo, *conſpiratores*, ex leg.1. §. *Cùm patronus* ff. *de offic. præfect.* ſic definitur conſpiratio: *Vt tunc dicatur conſpiratio quando aliqui cum inimicis meis coëunt improbè in meam perniciem.* Nota verbum, *improbè*: ad conſpirationem enim requiritur, vt multi coëant *improbè*, & iniuſtè in malum alterius. Si enim probè, & iuſtè id faciant, non dicetur conſpiratio, ſed potius zelus bonus. Et proinde citato loco idem Petrus Vendramenus dicit aliquando conſpirationem accipi in bonam partem, pro quo citat duas leges iuris ciuilis, & Ciceronem 2. de off. dicentem: *Magnas vtilitates adipiſcimus conſpiratione hominum, atque conſenſu.* Cùm ergo, vt dixi, hic Nouitius haberet defectus; & inhabilis eſſet ad ſeruandam regulam fratrum Minorum, non fuit conſpiratio facta contra illum ſuadere fratribus ne pro illo ferrent ſuffragium, illud enim ſuadentes non improbè fecerunt, ſed probè, & cum zelo ne admitteretur ad Ordinem inhabilis.

9 Ad *tertium argumentum* respondetur, appellationem Nouitij nihil obstare. *Primò*, quia appellauit à mero executore: Guardianus enim illum expellens à primo conuentu fuit merus executor legis, seu statuti Ordinis iubentis expellere Nouitium, pro quo maior pars conuentus non suffragata fuerit. A mero autem executore non potest appellari, nisi excedat modum executionis, vt habetur cap. *Quoad consultationem, de re iudicata*, & cap. *Sub illo*. 2. q. 6. §. *Sunt quorum*, & per alios textus citatos à glossa in cap. *Pastoralis*, de offic. & potest. iudic. deleg. §. *Cum autem*, verbo, *Et si sciat*. *Secundò*, quia in substantia ista appellatio fuit appellatio à lege, vel à pœna legis: appellatio autem à lege, seu à pœna legis non valet, cùm à lege iusta non possit appellari, iuxta Panormit. *super cap. fin. de constit.* vbi ait quod ab statuto non potest appellari. *Tertiò*, quia illud statutum Ordinis iubens expelli Nouitium, pro quo maior pars conuentus non est suffragata, tollit appellationem Nouitij. Cùm enim iubeat illum expelli absque vllo recursu ad superiorem; per hæc verba interdicit appellationem Nouitij. Nam appellatio definitur quod sit recursus ad superiorem, *&c.* Si verò dicas statutum Ordinis non posse tollere appellationem, quæ est de iure naturali. Respondetur, quod vniuersitates, seu communitates, quæ superiorem non habent, benè possunt condere statutum omni appellatione remotâ circa res, quæ sunt ipsius communitatis. Sic tenet Camillus Borellus *tom. 1. Decision. tit. 3. num. 1234. cum seq.* vbi citat duas leges iuris ciuilis, & Bartolum, Rolandum à Valle, Afflictum, Franchis, Losæum, & alios. Quod fundatur in hac ratione: nam ego possum rem meam non dare, nisi cum certa conditione. Communitas etiam

res

res ſuas non vult dare niſi ſub certa conditione: quâ conditione non extante, poteſt non admittere appellationem, vel replicam. Iam verò Religio Minorum condens illud ſtatutum, vt non detur profeſſio Nouitio, cui maior pars conuentus ſuffragia denegauit, ſed expellatur abſque appellatione, eſt communitas non habens ſuperiorem, niſi Papam; & diſponit de rebus ſuis, ideſt de profeſſione, quam dare poteſt, vel negare: ergo potuit illud ſtatutum facere. Confirmatur hoc exemplo clariſſimo, ſumpto ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* vbi ſtatuit, quod ſi aliquis Religioſus profeſſus prætendat probare ſuam profeſſionem fuiſſe nullam, eo quod facta fuerit per metum, vel ante legitimam ætatem, talis reclamans non audiatur, niſi reclamauerit ante quinquennium tranſactum à die profeſſionis. In quo verbo, *Non audiatur*, denegat appellationem iam profeſſo non reclamanti ante quinquennium. Hæc autem negatio appellationis, teſte Sanchez *lib.7.de matrim. diſp.*3.*q.*1. *num.* 19. inducta eſt à Concilio ob bonum commune Religionum, ne aliàs Religioſi poſt decem & plures annos lites mouerent contra Prælatos circa valorem ſuæ profeſſionis, & ſic turbarent pacem Religionis. Quid ergo mirum ſi Religio P. N. Franciſci faciat ſtatutum, vt Nouitius non habens maiorem partem ſuffragiorum conuentus, ſtatim expellatur, omni appellatione remotâ, cùm hoc cedat in bonum commune Religionis? Nam aliàs quicumque Nouitius cui conuentus ſuffragia denegaret, poſſet lites mouere contra conuentum, prætendens ſibi iniuſtè fuiſſe negata, & ſic pacem Religionis turbaret. Vltimò reſponderi poteſt ad hoc tertium argumentum, hanc Nouitij appellationem fuiſſe friuolam, & ſine fundamen-

 to,

to, vt constat ex solutione horum trium argumentorum: iudex verò non tenetur admittete appellationem friuolam, cap. *Cum appellationibus*, de appell. in 6.

QVÆSITVM II.

An professio facta in secundo Conuentu fuerit valida?

10 ANtequam ad secundum quæsitum principale respondeam, Præmitto primò ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 15. de Regular.* Nouitium non posse admitti ad professionem nisi steterit per annum vnum in probatione nouitiatus, & quòd professio antè facta sit nulla. Secundò Suppno in Ordine P. N. Francisci dari statutum generale, quo statuitur vt annus nouitiatus sit continuatus sine interpdatione: ita quod si Nouitius exierit à conuentu aliqua ex causa, quæ non sit translatio ad alium conuentum cum habitu, & postea redierit, non computetur illi tempus, quod antea in probatione stetit, sed denuo annum probationis incipiat. Quod statutum probabo infrà esse de mente Concilij Tridentini. Tertiò Præmitto Prouincialem, Guardianum secundi conuentus istius Nouitij post expulsionem à primo conuentu, fuisse inhibitos per particularem inhibitoriam Commissarij generalis tunc regentis, ne prædictum Nouitium expulsum à primo conuentu ad professionem admitterent, cum protestatione quod professio aliàs facta, foret nulla. Quartò Præmitto, quod in Ordine Minorum datur statutum generale, per quod præcipitur, vt si aliquis Religiosus appellauerit ab aliquo Prælato inferiori ad superiorem, iudex

dex ad quem fuerit appellatum, non procedat ad causæ cognitionem, nisi prius Iudex à quo fuit appellatum, transmittat processum causæ, seu informationem; vel si ipse appellans processum præsentauerit. Si verò secus Prælatus, ad quem appellatum est, fecerit, omnia sic per ipsum facta, sint irrita. Quod in substantia est, velle, vt Prælatus ad quem appellatur, non procedat in causà nisi prius audiuerit Prælatum, à quo appellatur, vt infrà ostendam decretum esse à iure canonico,& à Concilio Tridentino. Hoc posito, sit secundà conclusio principalis in hoc casu.

Conclusio secunda.

11 ISta professio facta in secundo conuentu cum circunstantiis suprà positis *num.* 1. *& seqq.* fuit omnino irrita, & nulla. Hoc probatur euidenter ex quatuor præmissis in numero proximè præcedente. Primum est, quod ex Concilio Trident. citato *cap.*15. decernitur vt Nouitius stet in probatione per annum; quod omnes Doctores explicant debere esse annum omnino integrum: ita vt sit annus computandus de momento ad momentum, id est, ab hora,in qua suscepit habitum, vsque ad horam, in qua fit professio: & ex consequenti si deficiat vnus tantùm dies, professio erit nulla. Ita tenet Sanchez *lib.*2.*de matrim. disput.*24. *num.* 16. citans textus, & Doctores: idemque tenet ibidem *num.*22. Idem tenet Azor *tom.*1. *lib.*5.*c.*28. vbi probat ex iure, quod quando lex requirit aliquod tempus, & loquitur cum præpositione, *Per*, vt, per vnum annum, vel mensem, talis annus,vel mensis debet esse completus;ad quod citat legem *Non putabam*, & legem *Si annos*, ff. *de condit. & demonstr.* Idem te-

net Bonacina *tom.*1.*q.*2.*de clausura, puncto* 10.*difficult.*2. §.2. *num.*1. & Suarez *tom.* [illegible] *de Relig. lib.*5. *cap.*15. *n.*1. ait, annum nouitiatus ita debere esse integrum, & computandum de momento ad momentum, vt si illi desit vna tantùm dies, professio secuta sit nulla; pro quo ipse citat Sanchez à nobis suprà citatum *lib.* 2. *disput.*24. At huic Nouitio defuerunt tres dies, vt minimùm, ad annum completum nouitiatus, computato tempore nouitiatus primi conuentus cum tempore nouitiatus secundi conuentus: & præterea defuerunt illi sex dies, quos consumpsit adeundo Prouincialem, vt constat ex processu. Neque obstat quod ipse respondet, se suppleuisse illos dies in tempore quinque mensium, per quos stetit extra conuentum secundum, præcedente etiam appellatione: Nam appellatio reponit omnia in antiquo statu. Non obstat, quoniam in primis illud poterit intelligi de appellatione licita, & vera, non verò de friuola, & nulla, qualem diximus hanc fuisse suprà, in *tota solutione ad* 3. Secundò respondetur quod annus nouitiatus debet fieri in habitu Religionis, & sub obedientia Prælati, vt statim dicam in secundo præmisso, seu fundamento. At iste Nouitius per illos quinque menses, per quos mansit extra secundum conuentum, neque habuit habitum Religionis Minorum, neque ibi fuit sub obedientia Prælatorum Ordinis, imò fuit exclusus ab obedientia nostri Ordinis. Vide infrà *num.*14.

12 *Secunda* causa nullitatis istius professionis sumitur ex secundo præmisso suprapo sito, quod scilicet annus nouitiatus debet esse continuus, & non interpolatus. Nouitiatus verò iste fuit interruptus per quinque menses, ac proinde non fuit continuus. Quòd verò annus nouitiatus debeat esse continuus, sine interpola

terpolatione, vltra dictum statutum Ordinis, tenet Nauar. *consilio* 52. *tit. de Regular. num.*2. Henriq. *in sum. lib.*13. *cap.*40. §.2. Flaminius *de Resign. q.*13. *num.*11. Farinac. *tom.*1. *Decis. Rotæ, decisione* 125. *num.*2. citans text. & Doctores. Bonacina *tom.*1. *titulo de clausura quæst.*2. *puncto* 10. *difficult.*2. *q.*2. *puncto* 10. §.2. *n.*3. citans Couar. & Gutierres, & Sanchez *lib.*5. *Decalogi cap.*4. *n.*10. vbi pro se citat 24. Doctores Iuristas, & Bonacina citato loco dicit interpolationem duorum dierum vitiare integritatem, vel continuationem anni: iste verò interpolauit per quinque menses. Et quod maius est, Nauar. *tomo de consilijs consilio* 37. *de Regular.* ait se vidisse in tribunali sacræ Pœnitentiariæ declarari nullam professionem cuiusdam Nouitij, qui fuit in quodam conuentu per decem menses, à quo exiuit, & postea iuit ad alium conuentum eiusdem Ordinis, vbi mansit Nouitius per duos menses, & fecit professionem cum suffragiis totius conuentus: & ait Nauarrus prædictam professionem fuisse iudicatam nullam in prædicto tribunali. Præterea Farinacius *in suo* 4. *tomo declarationum Cardinalium tit.*12. *decis.*202. & Marzilla *in tomo declarationum Cardinal. lib.* 1. *tit.* 12. *de Regular. super cap.*16. *Concilij Trident. de Regular. sess.* 25. citant ambo quandam declarationem Cardinalium, dicentem, quod annus nouitiatus debet esse continuus, non interpolatus, & quod ad hoc nullum priuilegium suffragetur. Itaque sunt hac de re duæ de[illegible]ationes; vna Pœnitentiariæ relata à Nauarro; a[illegible] Cardinalium citata à Marzilla.

13 Ex secunda verò declaratione Cardinalium relata à Marzilla dicente, *quod ad hoc nullum priuilegium suffragetur*, manet impugnatum quod pro se respondere potest Nouitius, videlicet Iulium Secundum concessisse

cessisse priuilegium prælatis Minorum, vt possent recipere ad professionem Nouitium, qui exiuit ab Ordine, & postea rediit, non obstante interpolatione, dummodo postea compleat annum nouitiatus. Hoc non obstat, quia tale priuilegium abrogatum est per dictam declarationem Cardinalium, dicentem, quod nullum priuilegium ad hoc suffragetur. Adde quod licet non extaret talis declaratio Cardinalium, prædictum priuilegium Iulij II. abrogatum est per Concilium Tridentinum, vt probat Sanchez *lib. 5. Decal. cap. 4. num. 35.* per rationes ibi allatas. Idem tenet Villalobos *2. p. sum. tract. 35. difficult. 15. num. 9.* Et in particulari dico quod nostra Religio Franciscana renuntiauit huic priuilegio Iulij II. quod sic probo: Nam in compendio Mendicantium verbo *Generalis* §. 24. Leo X. concessit Generali nostri Ordinis, quod de consensu capituli generalis possit statuere ne Religio vtatur aliquibus concessionibus Papalibus sicut sibi visum fuerit. Cùm ergo capitulum generale Segouiæ statuerit, quod annus nouitiatus sit continuus, & non interpolatus, per hoc statutum, seu factum, renunciauit clarè dicto priuilegio Iulij II. licet statutum non dicat clarè quod Religio tali priuilegio renunciat. Nam renuntiatio non solùm potest fieri verbo, sed etiam facto contrario, vt doctè probat Azor *tom. 2. lib. 7. cap. 19. q. 2.* ad quod ponit multa exempla renunciationis facta solo facto sine verbis, & affert Doctores, & textus. Cùm ergo illud statutum Ordinis Segouiense, sit factum contrarium priuilegio citato Iulij II. clarum est Religionem per tale statutum renunciasse dicto priuilegio. Neque facit contra hoc quod refert Nauarrus consilio 4. de Regular. vbi refert quendam Nouitium fuisse in quodam con-

uentu solum per mensem cum dimidio mensis, indéque exiuisse de mandato Prælati ad facienda certa negotia extra conuentum, quibus finitis rediit ad conuentum, & fecit professionem validam. Non obstat quoniam Nouitius ille, de quo loquitur Nauar. exiuit cum obedientia Prælati & cum habitu Religionis, & proinde manens extra conuentum cum habitu Ordinis, & sub obedientia Prælati, non interpolauit annum nouitiatus. Noster verò Nouitius per quinque menses mansit extra conuentum sine habitu nostri Ordinis, & exclusus ab obedientia Ordinis per Commissarium generalem.

14 Hîc recurrit occasio addendi illud quod suprà promisi in fine *num.* 11. videlicet quod annus nouitiatus, vt sit integer, debet fieri totus nouitiatus cum habitu Religionis, & sub obedientia Prælati. Tenet hoc expresè Syluest. verbo *Religio* 5.*q*.5. Azor *tom*.1. *lib*.12.*cap*.2.*q*.9. Rodr.*tom*.3.*qq*.*q*.15.*art*.9. Sanchez *lib*.5. *Decalog*.*c*.4.*num*.29. & alij multi graues Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina *tom*.1. *tit*. *de clausura*, *q*.2. *puncto* 10.*diffic*.2.§.2.*num*.5. vnde præsens Nouitius, de quo agimus, cui ad annum integrum defuerunt dies citati suprà *num*. 4. *&* 11. non potest allegare pro se, quod illos dies deficientes ad integritatem nouitiatus suppleuerit validè tempore quinque mensium, quibus mansit extra conuentum: mansit enim sine habitu Religionis, & sine obedientia Prælatorum, & proinde sic existens non potuit integrare, seu supplere tempus requisitum ad integritatem anni. Æquiparantur enim in hoc integritas anni, & continuatio anni, vt vtraque fieri debeat cum habitu, & obedientia Ordinis; & hoc deducit Bonacina *num*. 5. *proximè citato* ex Concilio Trident. citato *cap*.15.*de Regular*.

Quod

Quod verò obiicitur pro Nouitio, quod per illos quinque menses extra conuentum mansit, præcedente appellatione, & sic non amisit ius ad professionem; iam ad propositum est suprà *numero* 11. Quibus adde quod licet appellatio conseruet appellantem in statu antiquo, non tamen dat ius appellanti circa futura, nisi postquam fuerit iudicatum per iudicem *ad quem*, appellationem fuisse iustam. Hic verò Nouitius quando fuit expulsus à secundo conuentu per sententiam Commissarij generalis, & appellauit ad P. Generalem Ordinis, neque illius appellatio fuit acceptata, neque fuit declaratum ab aliquo Prælato Generali iustè fuisse appellatum: imò post secundam expulsionem à secundo conuentu Prælatus generalis per suum iudicem delegatum sententiam tulit, professionem prædictam fuisse nullam.

15 Tertium præmissum positum suprà *numero* 10. continet *Tertiam* causam nullitatis istius professionis. Admissa est enim professio à Guardiano secundi conuentus de mandato Prouincialis, cùm ambo per particularem inhibitoriam essent antea inhibiti, ne prædictum Nouitium post secundam expulsionem à secundo conuentu amplius reciperent ad habitum, vel professionem, cum protestatione, quod secus factum foret irritum, & inane, sicut constat ex processu, quâ inhibitione interpositâ constat & Prouinciali, & Guardiano secundi conuentus ademptam fuisse iurisdictionem dandi habitum, vel professionem validè prædicto Nouitio. Nam inhibitio iudicis superioris aufert iurisdictionem iudicis inferioris, & quidquid facit iudex inferior inhibitus contra inhibitionem, dicitur nullum, & attentatum. Sic docent communiter Doctores, Riccius 1. *p. decisionum decisione* 214. citans

tans Piguerium : idem tenet Camillus Borellus *tom.2. decis.decisione, seu tit.35.n.82.* vbi citat ad hoc quinque capitula iuris Canonici, & quatuor graues Doctores, vt proinde non sit necessaria vlterior probatio. Et quamuis non essent prædicti textus, & Doctores, nobis Minoritis sufficiebat decretum Nicolai tertij in cap. *Exijt, de verb. significat, in 6.* vbi decernit quod licet Prouinciales, iuxta nostram regulam habeant iurisdictionem ad recipiendos Nouitios : posse tamen Generalem Ordinis prædictam iurisdictionem illis coarctare sicut viderint expedire. At Commissarius generalis, qui Prouinciali, & Guardiano secundi conuentus inhibuit, ne illum ad professionem admitterent, habebat in hoc regno omnem iurisdictionem, & authoritatem delegatam Generalis. Et præterea habuit iustam causam ita inhibendi, quia plenè informationem acceperat de insufficientia Nouitij. Imò addit Sanchez *lib.5. Decalogi cap.4.num.71.* quod non solum Generalis Ordinis, sed etiam Prouincialis absque priuilegio potest mandare Prælato conuentus ne admittat ad professionem talem Nouitium, si Prouincialis habeat iustam causam. Quod si Prælatus localis secus faciat, ait Sanchez professionem fore nullam, etiamsi Prouincialis in sua prohibitione non addat decretum irritans. Probat hoc Sanchez claris, & efficacibus rationibus : inter quas ponit hoc exemplum. Nam licet parochus habeat iurisdictionem ordinariam ad coniungendos aliquos matrimonio: hoc non obstante potest Episcopus prohibere parocho ne illos matrimonio iungat ob causam, quam Episcopus habet iustam. Quod si parochus non obstante Episcopi prohibitione illos ad matrimonium admittat, tale matrimonium erit nullum ex defectu

iurisdictionis in parocho. Eodem modo, quamuis Prælatus localis, & Prouincialis habeant iurisdictionem ordinariam ad dandam professionem Nouitio, si tamen Prælatus generalis ob iustam causam illis prohibeat ne talem Nouitium admittant ad professionem, illique secus fecerint, professio erit nulla ex defectu iurisdictionis illis ablatæ per inhibitionem. Quòd vero facta per iudicem inhibitum, vel prohibitum sint nulla, vltra Doctores citatos id asserentes, Probatur hac ratione Theologa: nam inhibitio suspendit iurisdictionem iudicis inhibiti, & proinde inhibitio est quasi quædam suspensio partialis: constat verò, quod si suspendus exerceat officium à quo suspensus est, illius factum est irritum, imò & punibile, vt Doctores dicunt in materia de censuris, & Guardianus secundi conuentus, inhibiti, & prohibiti facere, id est, admittere dictum Nouitium ad professionem, nulliter fecerunt, vtpote carentes, quo ad hoc, iurisdictione.

16 Neque obstat contra hoc, quod allegatur; videlicet, dari in nostro Ordine statutum generale decernens, quod mortuo, vel vacante officio Prælati, mandatum prius ipsius Prælati sit irritum, & vires non habeat. Quando verò illa professio facta est in secundo conuentu, cessauerat officium dicti Commissarij generalis, & proinde cessauerat officium, & maudata illius, videlicet inhibitio de non admittendo illo Nouitio ad professionem. Non obstat, quia illud statutum, quod cessante Prælato cesset illius mandatum, intelligitur de mandato simplici, & ordinario, non verò de sententia lata à Prælato præcedente. Si enim intelligeretur de sententia lata à Prælato præcedente, pareret inquietudinem, & turbationem magnam in

Reli

Religione, vt constat. At mandatum, seu inhibitio Commissarij generalis præcedentis, non fuit mandatum purum, sed fuit sententia lata cum cognitione causæ; accessit enim ad primum conuentum, vnde Nouitius fuerat expulsus, & per modum visitationis cepit informationem casus: & iterum audiuit suffragia singulorum Religiosorum, & tunc fecit prædictam inhibitionem Guardiano secundi conuentus, & Prouinciali, ne prædictum Nouitium ad professionem admitterent: quod in rigore, & in substantia fuit ferre sententiam, & non simplex mandatum. Et quod dicta inhibitio Commissarij, fuerit sententia, patet ex definitione sententiæ posita à Cuiacio Iurista, quam refert Camillus Borellus *tomo 2. decis. tit. 30. num.* 14. quæ sic habet: *Sententia est decisio iudicis super re controuersa habens rei absolutionem, vel condemnationem*; quod contigit in hoc casu; præcessit enim cognitio causæ, & secunda receptio suffragiorum; & tunc declarauit Commissarius primam expulsionem à priori conuentu fuisse validam, & iustam: & super hoc fundatus fecit prædictam inhibitionem. Adde quod præcessit querela primi conuentus exhibita Commissario quæ habuit vim accusationis necessariæ ad proferendam sententiam.


17 In quarto præmisso, seu fundamento suprà posito continetur *Quarta* nullitas istius professionis. Habet enim Religio statutum generale, quo cauetur vt si Religiosus appellauerit, Prælatus ad quem appellauerit non procedat in casu, nisi prius audito Prælato, à quo fuit appellatum, sibíque transmittatur processus à dicto Prælato: & si hoc non præmisso Prælatus, ad quem appellatur, processerit ad causæ cognitionem, vel aliquid decernat, omnia inde secuta irrita

censeantur, & nulla. Quod statutum desumptum est clare ex iure Canonico, *cap. Ecclesia lib.2. de elect.* Et clarius in *cap. venerabilibus, de sententia excommunic. in 6.* in quo cùm quidam appellasset ab Episcopo ad Archiepiscopum, respondit Papa his verbis: *Quod conueniendus est ipse suffraganeus* (id est, Episcopus, à quo appellauit) *coram Archiepiscopo, quia ipsius interest defendere causam suam.* Idem ferè iisdem verbis decernit Concilium Trident. *sess. 24. cap. 20. de reform.* vbi postquam docuit quomodo, & quando appellari debeat, ab Episcopo ad Archiepiscopum, & quod iudex ad quem appellatur non cognoscat de causa, nisi prius audito iudice, à quo appellatur, ponit Concilium hæc verba: *Eodem Episcopo prius admonito: & si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit iudici appellationis significare.* Et sunt alij multi textus, & Doctores affirmantes. At in isto casu Nouitius appellauit à Guardiano primi conuentus, & à primo conuentu; & Prouincialis ad quem appellauit, non audiuit Guardianum primi conuentus, neque ipsum conuentum, vt possent significare causas, ob quas expulsus fuit Nouitius, sed conuentu, & Guardiano non auditis, Nouitium expulsum recepit ad habitum, & professionem in secundo conuentu: ergo talis receptio, & professio fuerunt irritæ, vtpote factæ contra tot iura, & contra clarum citatum statutum generale Ordinis. Ad idem facit lex istius regni *lib. 3. ord. tit. 68.* vbi traditur forma appellationis, & mandatur vt coram iudice, ad quem appellatur, compareat appellans, & pars appellata, & vterque exhibeat causas appellationis, & causas defensionis. In hoc verò casu Guardianus, & conuentus prior, à quibus fuit appellatum, non potuerunt offerre causas suæ defensionis, quia non

non fuerunt citati, neque auditi à Prouinciali cum Nouitium ad habitum secunda vice recepit, neque quando illum ad professionem admisit.

18 Neque obstat quod Prouincialis pro se adducit, quod scilicet ipse antequam reciperet Nouitium ad habitum, & profèssionem in secundo conuentu inquisiuit, ac recepit testes aliquos in secreto, de quorum testimoniis sibi constitit in receptione suffragiorum primi conuentus interuenisse subornationem, & conspirationem contra Nouitium, & alia quæ pro se illi Nouitius allegauit: ob quæ testimonia Prouincialis ad habitum,& professionem Nouitium admisit. Non, inquam, obstat, quia hoc non fuit audire Guardianum, & primum conuentum à quibus fuit appellatum, sed audire Nouitium appellantem, & causas illius solius, non verò causas ipsius primi conuentus. Oportuit verò iuxta tot iura citata, audire conuentum, à quo fuit appellatum: & ad hoc necessarium erat vt Prouincialis accederet ad primum conuentum, & in forma visitationis de casu inquireret, sicut ego vidi fieri in hac prouincia in casu omnino simili, qui talis fuit. In quodam conuentu denegata fuit maior pars suffragiorum cuidam Nouitio ad professionem: Guardianus conuentus inhærens supracitato statuto Nouitium expulit à cõuentu.Nouitius expulsus adiuit prælatum generalem Ordinis per modum querelæ, & appellationis. Hic Prælatus commisit causam cuidam Religioso graui eiusdem prouinciæ, mandans vt adiret conuentum, à quo Nouitius fuit expulsus, vt conuentum visitaret, & à singulis inquireret de moribus, & vita Nouitij, & causas cur illi suffragia dederint, vel negauerint; & ita factum est. Et iuxta resultantia ex visitatione Prælatus generalis tunc disposuit. Et

 hoc



hoc fuit audire conuentum, & Guardianum, à quo Nouitius fuerat expulsus. Quod idem debuit fieri in isto casu, si Prouincialis volebat iura, & statuta seruare.

Vidimus huc vsque quatuor causas nullitatis istius professionis adeò claras, & efficaces, vt vna tantùm illarum sufficeret ad prædictam professionem annullandam. Nunc addo paucas alias, quæ licet non sint ita euidentes, nimis tamen coadiuuant ad dictam professionem infirmandam.

19 *Quinta* ergo ratio contra professionem, est, quod cùm Commissarius ad Prouincialem scriberet statim postquam Nouitium expulsum recepit ad habitum in secundo conuentu, & à Prouinciali quæreret causas cur illum sic expulsum receperit: Prouincialis respondit se desistere ab illa causa. Et quamuis assignauerit aliquas causas admissionis, dixit nihilominus se à causa desistere, illíque renunciare. Ita secretarius Commissarij scripto testimonio firmauit. Quâ desistentiâ, & renunciatione non obstante, postea idem Prouincialis, vacante officio Commissarij, & Nouitio manente extra conuentum sine habitu nostri Ordinis, Prouincialis eundem Nouitium tertiò recepit ad habitum, illúmque admisit ad professionem. Constat autem quod postquam aliquis per scripturam publicam fecit desistentiam, & renunciationem circa aliquod opus, vel actum, non potest postea validè ad prædictum actum redire sine nouo titulo, vel iurisdictione superioris. Ita probat Nauarrus in cap. *Si quando, de Rescriptis, num.* 23. *in Actuario*, ponens hæc verba. *Per renuntiationem perditur titulus, cap. quam periculosum 7. q. 1. & l. quæritur §. Si venditur, ff. de Ædific.* &c. At in hoc casu postquam Prouincialis renunciasset causæ;

causæ, admisit prædictum Nouitium ad habitum, & professionem, ac proinde admisit illum non habens iurisdictionem, quam abdicauerat à se per renunciationem, & amiserat per inhibitionem Commissarij, durantem etiam post vacationem officij illius, vt probatum manet in præcedentibus.

10 *Sexta* ratio est, quia quando Nouitius fecit professionem in secundo conuentu, iam non habebat licentiam Prælati suæ primæ Religionis ad professionem emittendam. Quod probatur, quia in illis quinque mensibus, per quos Nouitius mansit extra nostrum Ordinem, & sine habitu nostro in domibus sæcularibus, Prælatus illius Nouitij prioris Religionis fecit diligentiam ad prædictum Nouitium comprehendendum, & ad suam priorem Religionem reducendum. Bis enim Prouincialis illius primæ Religionis, mandauit illum quærere, & comprehendere in duabus ciuitatibus, maximè in vna, in qua Nouitius manebat absconditus in domo cuiusdam viri nobilis, qui Nouitium abscondit, noluit illum tradere suæ primæ Religioni, quod ægrè tulit Prælatus suæ primæ Religionis, vt constitit ex propria epistola ipsius. Ex quibus duabus diligentiis factis à Prælato primæ Religionis circa comprehensionem illius post expulsionem à secundo conuentu nostro, clarè constat Prælatum suæ primæ Religionis reuocasse licentiam, quam illi dederat ad profitendum in nostrò Ordine. Nam, sicut suprà diximus ex Azorio, renunciatio potest fieri absque verbis, sed cum facto contrario. Quod si Prælatus primæ Religionis per illos duos actus perquirendi, & comprehendendi illum, reuocauit illi licentiam datam ad profitendum in nostra Religione, non potuit Nouitius validam professionem emittere

in nostro Ordine absque licentia Prælati suæ primæ Religionis: nam sua prima Religio habet priuilegium Papæ, ne vllus Religiosus illius transeat ad aliam Religionem sine licentia sui Generalis, vel Prouincialis, cui Generalis id commiserit. Quod autem mandatum, siue licentia reuocetur solo facto contrario absque verbis, probatur exemplo Testatoris condentis testamentum. Si enim quis faciat prius vnum testamentum, & postea in fine vitæ faciat aliud secundum testamentum contrarium primo, per illud testamentum secundum contrarium censetur reuocari prius testamentum, etiamsi testator in secundo testamento non exprimat verbis, quod per illud secundum reuocat primum: ita Doctores communiter in materia de testamentis, maximè Iulius Clarus *lib.* 3. *sententiarum*, §. *Testamentum*, *quæst.* 99. *num.* 1. Clarè ergo constat Prælatum primæ Religionis facto contrario, bis quærendo Nouitium ad reducendum illum ad suam primam Religionem, reuocasse licentiam, quam illi dederat ad profitendum in nostra.

21 *Septima* ratio esse potest, quoniam suffragia ad professionem Nouitij in secundo conuentu, possunt dici dubia, & suspecta: primò quia Guardianus conuentus secundi erat valdè affectus, & amicus Prouincialis, & alterius grauis Religiosi, qui nouitium mordicùs defendebant: & ita Guardianus prædictus facilè poterat inducere suos subditos paruioris conuentus ad danda suffragia prædicto Nouitio. Secundò principaliter id probatur, quia Nouitius in secundo conuentu, in quo professionem emisit, non mansit ante professionem vno mense integro, per quod breue tempus non poterant Religiosi illius conuentus perfectam sumere notitiam, & informationem naturæ, morum,

rum, & conuersationis illius, sicut habuit primus conuentus, à quo fuit expulsus, in quo moratus est per menses vndecim; & in quo viuebant Religiosi seniores, doctiores, & magis zelatores boni communis Religionis, quam erant Religiosi secundi conuentus, qui illi ad professionem suffragia dederunt. Constat autem ex Doctoribus communiter, quod Concilium Tridentinum assignans Nouitium annum integrum nouitiatus, habuit respectum, & intentum, vt per annum integrum posset Nouitius experiri asperitates vitæ Religiosæ: & per eundem annum posset Religio experiri mores Nouitij, & conditiones illius. Quos mores, & consuetudines non potuit experiri conuentus secundus, in quo iste Nouitius non mansit integro mense, vt patet ex supradictis, & ante vnum mensem experientiæ admisit illum conuentus secundus post quinque menses, quibus mansit extra conuentum sine habitu, & sine obedientia Prælatorum. Ex quibus constat suffragia denegata Nouitio in primo conuentu fuisse plura numero, & grauiorum Religiosorum in ætate, litteris, & zelo, quam fuerint suffragia illi data in secundo conuentu, qui mores illius per paruum tempus infra mensem fuit expertus. Quantùm verò attendenda sit qualitas eligentium, seu suffragantium, videatur capitulum *Ecclesia, de electione, il* 2. vbi Papa cassauit electionem factam à septemdecim, & approbauit electionem factam à quatuordecim, eo quod illi quatuordecim suffragatores erant seniores, & concurrebant in illis potiores qualitates; & in nostro casu suffragia ad professionem fuerunt plura numero, vtpote ferè centum, & Religiosorum, qui erant doctiores, seniores, & habebant experientiam Nouitij per menses vndecim: suffragia

verò ad eandem professionem in secundo conuentu fuerunt pauciora numero, videlicet quinquaginta. Et suffragati sunt in illa Religiosi minus docti, minus senes, minus zelatores: & qui Nouitij qualitates, nec per vnum mensem explorauerant. Finis autem Concilij Tridentini assignantis annum integrum ad nouitiatum est, vt Religio habeat tempus ad explorandos Nouitij mores, & qualitates. Consonat cum hoc statutum generale Ordinis titulo de Nouitiis, quo præcipitur, vt Nouitius ad professionem non admittatur, nisi ex tribus partibus conuentus habeat pro se duas partes suffragiorum. Si verò contingat quod habeat pro se maiorem partem communitatis, vtpote vnum suffragium supra mediam communitatem, & non habeat duas partes suffragiorum totius conuentus, tunc Prælatus considerato zelo, & qualitatibus suffragiorum, decernat secundum Deum quod melius viderit expedire. Ex quibus omnibus colligitur in hoc casu standum esse suffragiis primi conuentus receptis ad professionem; non verò suffragiis secundi conuentus receptis ad eandem professionem. Et proinde professionem factam cum suffragiis secundi conuentus fuisse nullam, & pro nulla declarandam, sicut de facto declarata fuit.

Respondetur rationibus pro parte Nouitij adductis.

22 POstquam Nouitius in secundo conuentu professionem emisit cum prædictis circumstantiis, primus conuentus, à quo primò fuit expulsus per modum appellationis, recurrit ad Prælatum generalem Ordinis, qui statim commisit causam cuidam alteri

alteri Prouincialis eiusdem Ordinis,illum constituens iudicem delegatum in causa, cum potestate plena inquirendi, & sententiam ferendi. Prouincialis delegatus venit ad primum conuentum, & cœpit de casu inquirere. Primus conuentus pro se constituit procurationem in causa contra Nouitium, quemdam Religiosum grauem eiusdem conuentus primi. Prouincialis delegatus citauit, & fecit comparere coram se Nouitium taliter iam professum, illique exhibuit articulos resultantes ex processu, mandans vt ad propositos articulos responderet in ordine ad sententiam proferendam. Nouitius pro se multa friuola respondit, quæ ferè omnia iam impugnata manent in supradictis sufficientissimè. Ne tamen aliquid omittamus in hoc casu, ad singula singillatim sic respondemus.

23 Allegauit ergo primò quod procurator primi conuentus contra se assignatus, non poterat esse procurator in ista causa, eo quod erat incola primi conuentus, & suffragium tulerat, quando in primo conuentu recepta sunt priora suffragia ad suam professionem: sic enim maneret testis, & procurator simul, quod in iure non permittitur. Dico primò quod per hanc tam friuolam exceptionem,coniici potest quàm friuolæ aliæ illius obiectiones sint.Respondeo secundo procuratorem istum benè potuisse exercere officium procuratoris, non obstante quod suffragium dederit in prima receptione suffragiorum primi conuentus. Nam ferre suffragium in electione, neque est esse iudicem, neque testem, vt patet. Nam ferens suffragium non profert sententiam, neque audit partes. Item dans suffragium non est testis, cum non recipiat iuramentum, quod est de essentia testis; quid ergo impedit

impedit quò minus ferens suffragium possit esse procurator in causa, in qua dedit suffragium? Prohibet quidem ius ne aliquis possit esse simul iudex, & testis: sed hic procurator neque fuit iudex, neque testis. Addo quod etiamsi iste procurator esset clarus inimicus Nouitij, non poterat illum repellere ratione inimicitiæ. Nam accusatori non potest opponi exceptio inimicitiæ, cùm vt plurimùm accusator non sit amicus accusati, & accusator non sit testis, neque iudex. Et eâdem de causa non poterit opponi procuratori accusatoris, quod sit inimicus recusantis. Facit ad hoc optimè quod tradit Mascardus *tom. 2. de probation. concl.951. num.9.* vbi ait, quod ille qui fuit iudex in vna causa, potest, finitâ causâ, per appellationem, esse procurator in eadem causa, vel Aduocatus post appellationem. Et citat Mascardus quandam decisionem Rotæ, & Speculatorem, idem affirmantes.

24 Obiicit secundò Nouitius, quod in receptione suffragiorum primi conuentus, à quo fuit expulsus, inuentum est vnum suffragium crescens supra numerum suffragantium, per quod videtur fuisse nulla, vel suspecta talis electio, seu suffragiorum receptio. Ad hanc obiectionem iam supra responsum est *num.7.* vbi clarè probauimus per tale suffragium excrescens non fuisse nullam talem suffragiorum receptionem. Quibus nunc addo, quod ad tollendum illud dubium Commissarius generalis, qui tunc erat, venit ad eundem primum conuentum, & in propria persona, secundâ vice suffragia recepit exactissimè sine eo quod aliquod suffragium cresceret, vel deficeret. Imò tunc plura suffragia sunt denegata Nouitio, quàm antea in prima receptione suffragiorum facta per Guardianum

num eiuſdem primi conuentus. Et ſic non habet locum dicta obiectio de ſuffragio excreſcente.

25 Tertiò obiicit quod in primo conuentu recepta ſunt aliqua ſuffragia ſecretò in cubiculis aliquorum Religioſorum, qui non deſcenderunt ad capitulum in clauſtro, quæ ſuffragia videntur ſuſpecta. Reſpondetur id nihil obſtare, eſt enim conſuetudo antiqua Religionis vt in recipiendis ſuffragiis Nouitiorum præſes capituli mittat duos, vel tres Religioſos ſcrutatores ad Religioſos ægrotantes in valetudinario, & ad ſenes graues, qui non ſolent deſcendere ad capitulum, & ab illis vota recipiant pro Nouitio, cum magno ſecreto: & illa ſic afferentes mittunt in vrnam ſuffragiorum. Cùm enim prædicti infirmi, & ſenes habeant ſuffragium in illa ſuffragatione, & non poſſint venire ad capitulum, neceſſariò illorum vota ſunt audienda modo prædicto. Pro quo etiam facit alia conſuetudo Religionis, per quam ſi aliquis Religioſus paulò ante receptionem ſuffragiorum pro Nouitio exit à conuentu non reuerſurus tempore, quo ſuffragia recipienda ſunt, prædictus Religioſus exiens relinquit ſuum ſuffragium ſcriptum in ſchedula, quod poſtea connumeratur cum cæteris ſuffragiis conuentus, & ita prædictus Religioſus dat ſuffragium in abſentia. Imò eſt maius, quod dicitur in cap. *Quia propter, de elect.* videlicet quod poteſt vnus elector abſens, qui non venit ad electionem, committere alteri electori præſenti in tali electione, vt pro ſe abſente ferat ſuffragium in dicta electione, & quod tale ſuffragium erit validum. Quod à fortiori valebit in ſuffragiis receptis pro Nouitio datis à Religioſis ægrotis, vel à ſenibus eiuſdem conuentus, qui ſunt in valetudinario, vel cubiculis eiuſdem conuentus, &

non

non possunt ad capitulum claustri descendere commodè.

26 Quartò obiicit, quod in receptione suffragiorum primi conuentus interuenit subornatio, & ferè conspiratio contra se. Ad hanc obiectionem iam suprà sufficienter respondimus *num.*8.

27 Quintò obiicit, quod statutum nostri Ordinis supracitatum decernens vt Nouitius, cui defuerit aliquod suffragium infra medietatem conuentus, statim expellatur absque recursu ad superiorem, per hæc verba statutum non prohibere appellationem: possunt enim Religiosi etiam appellare iuxta Bullam Gregorij XIII. quam citat. Ad hoc iam responsum est suprà *num.* 9. Et circa illud quod ibi dictum est posse Religionem facere statutum, circa res suas, per quod prohibeat appellationem; addi potest hoc exemplum. Si aliquis possideat rem clarè alienam, sed bona fide, ídque per tempus sufficiens ad legitimam præscriptionem: transacto illo tempore, non datur vero domino rei illius actio, vel appellatio contra dictum præscribentem, vt notum est in iure, & in praxi. Et interdicitur talis appellatio propter bonum commune, ne quotidie moueantur lites ad vindicandas res antiquissimas. Eodem modo potest Religio condere statutum circa res suas, per quod interdicat appellationem ob commune bonum Religionis, cum cæteris quæ dixi citato suprà *num.*9. Bulla verò Gregorij XIII. quam citat, non est contra nos, quia in illa Papa concedit, vt Religiosi possint appellare à sententia lata per iudicem cum processu, & à iudice grauante iniustè. In illa verò receptione suffragiorum primi conuentus non interuenit processus, neque factum est illi grauamen iniustum, quia executio legis

gis neminem grauat, cum cæteris dictis eodem *num.9.* Addo quod citata Bulla Gregorij XIII. non prohibet reiici appellationem friuolam Religiosorum, quæ de iure communi Canonico potest reiici, vt suppono clarum in iure communi canonico, & ciuili. Et ista appellatio fuit friuola, vt patet ex supradictis à nobis, & ex infra dicendis. Addo ex Suarez *tom. 4. de Relig.lib.2. de ingressu Societatis cap.2. num.4. & seqq.* vbi quærit, an quoddam statutum suæ Religionis, quod non videtur conforme iuri communi, sit licitum? Respondet, prædictum statutum factum fuisse à viris Religiosis,& doctissimis,& esse in praxi:neque credendum est tot, ac tantos viros errasse in statuto condendo, & seruando. Et addit Suarez, quod Papa Paulus III. confirmauit constitutiones suæ Societatis, *hactenus factas, & faciendas* in posterum, dicens quod prædicta statuta suæ Societatis facienda; eo ipso *Authoritate Apostolica confirmata censeantur.* Quo priuilegio nostra Religio per communicationem gaudet. Et proinde dico, prædictum nostrum statutum de expellendo sic Nouitio absque recursu ad superiorem, factum esse in capitulo generali, & seruatum in praxi à viris valde doctis, & Religiosis, quos non est credendum errasse. Et præterea dictum statutum confirmatum esse per dictum priuilegium Pauli III.Et ad idem intentũ videatur Suarez citato loco *n.5.fol.433. col.1.* vbi ponit alia ad hoc intentum conducentia.

28 Sextò obiicit, quod ille in anno nouitiatus primi conuentus vixit laudabiliter. Ad hoc respondetur, quod habuit defectus sufficientes ad suffragia illi deneganda, eo modo, quo suprà dixi *num. 8.* & constat ex visitatione primi conuentus facta per secundum Prouincialem delegatum in hac causa.

29 Septi

29 Septimò obiicit, quod Guardianus primi conuentus non poterat illum expoliare habitu, eo quod appellauerat ad Prouincialem, qui poterat acceptare appellationem à Guardiano. Et addit quod eodem modo appellauit in ſecundo conuentu, quando ab illo fuit expulſus de mandato Commiſſarij. Ad primum horum reſponſum manet ſuprà *numero* 9. vbi abundè probaui potuiſſe, ac debuiſſe Guardianum primi conuentus poſt negationem ſuffragiorum, illum à conuentu expellere, erat enim Guardianus merus executor legis, & à mero executore, ſiue à lege non appellatur, vt copioſiùs dictum eſt citato *num.* 9. Ad ſecundum dico multò minùs potuiſſe appellare in ſecundo conuentu, quando Commiſſarius generalis eum iuſſit expelli: nam Prouincialis, qui illum primò reſtituerat ad habitum, inualidè reſtituit, cùm non audiuerit primum conuentum, à quo appellauit, ſed eo non audito proceſſit in cauſa, & habitum reſtituit: quæ omnia inualida fuerunt non audito conuentu, & Guardiano, à quo appellauit, iuxta dicta ſuprà *num.*17. *& ſeqq.*

30 Octauò obiicit, quod quando in primo conuentu Guardianus, & Diſcreti illum expulerunt à conuentu, ipſe petiit ab illis, vt ſibi darent ſcripto teſtimonium ſuæ appellationis, & illi dare noluerunt; ac proinde Prouincialem adiuit. Ad hoc reſpondetur primò, oportere vt huius petitionis denegatæ ille teſtes adducat: nam ipſi ſoli non eſt credendum in propria cauſa. Secundò reſpondetur, quòd, ſuppoſito quod Guardianus, & Diſcreti primi conuentus non tenebantur acceptare appellationem ſupradictam, propter citatum recurſum prohibitum in ſæpius citato ſtatuto, non tenebantur etiam dare teſtimonium appellatio-

pellatio

pellationis non acceptatæ. Respondetur tertiò hoc testimonium Guardiani, & Discretorum circa appellationem negatum, illi non nocuisse, cùm Prouincialis illius appellationem acceptauerit absque illo testimonio, illúmque in statu pristino reposuerit. Neque item denegatio illius testimonij, circa appellationem facta à primo Guardiano, & Discretis, fecit, vt præcedens habitus priuatio, & expulsio fuerit iniusta, & inualida: iam enim prius facta fuerat secundum statutum & legem, & proinde validè & iustè. Respondetur quartò ex Quaranta *in sua sum. Bullarij*, verbo, *Archiepiscopi*: vbi citat quandam declarationem Cardinalium, dicentem, quod si appellans asserat sententiam, aut appellationis exemplum culpa iudicis, vel actuarij habere non potuisse, non ideo recipienda erit appellatio: sed iniungendum est illis, ad quos spectat, vt appellationis exemplum tradatur. Quod à Prouinciali non fuit obseruatum.

31 Nonò dicit Nouitius, quod Prouincialis non tenebatur in prima appellatione à primo conuentu audire Guardianum, & Discretos eiusdem conuentus, eo quod iam functi fuerant suo officio iudicandi in illa causa. Ridicula sanè responsio. Nam licet illorum iurisdictio cessauit, ita vt non possent amplius esse iudices in illa causa expulsionis: numquid cessauit ius Canonicum, & Tridentinum, & statutum Ordinis, clarè disponentia vt iudex ad quem appellatur, teneatur audire iudicem *à quo*, & processum illius expectare? sicut fusè multis probatum est suprà *num. 9.* videantur ibidem dicta. Et quantum ad id quod dicit, statutum Generale Ordinis *tit. de Nouitijs*, committere Prouinciali, vt quando Nouitio defuerint suffragia ad professionem, faciat secundum Deum,

quod melius videbitur expedire: malè citat, & malè intelligit statutum. Nam quando ibi statutum id committit arbitrio Prouincialis, clarè loquitur quando Nouitius pro se non habuit, ex tribus partibus communitatis duas partes: sed habuit aliqua suffragia vltra dimidiam partem communitatis: tunc enim committitur arbitrio Prouincialis ad quem mandatur in illo casu recurri, vt faciat quod viderit secundum Deum expedire. Si verò Nouitius pro se non hubeat aliquod suffragium vltra dimidium communitatis, tunc statutum id non committit arbitrio Prouincialis, sed expressè iubet illum excludi à conuentu, absque recursu ad Prouincialem.

32 Decimò allegat pro se quod professio sua in secundo conuentu fuit valida, eo quod fuerat iam restitutus ad habitum per Prouincialem, & continuabat nouitiatum in secundo conuentu de mandato illius. Ad hoc patet responsio ex dictis *in proximo numero præcedente, & in num.9.* Nam Prouincialis illum secundò admittens ad habitum, non audiuit conuentum primum à quo appellauit; & proinde acta sequentia fuerunt nulla iuxta suprà citata. Professio autem facta in secundo conuentu fuit nulla, quia facta fuit stante inhibitione factâ à Commissario generali, vt fusè manet probatum suprà *num.15. & sequentibus.* Et quoniam pro se sæpius Nouitius allegat quod conuentus, à quo appellauit, tenebatur mittere processum intra 30. dies ad Prouincialem. Respondetur primò hoc locum habere potuisse quando appellatio foret acceptata, & non esset friuola. Hæc autem appellatio fuit friuola, & reiecta, vt patet ex dictis. Secundò respondetur Prouincialem id non expectasse, quia intra quindecim dies Nouitio habitum restituit in secundo conuentu,

uentu, non expectans processum primi conuentus. Tertiò dico quod licet primus conuentus non miserit processum, tenebatur Prouincialis illum petere, & sine illo non procedere in causa, vt clarè constat ex capitulo *Venerabilibus*, & Tridentino supra citatis.

33 Vndecimò dicit: quod quando Commissarius generalis misit inhibitoriam Prouinciali, ne illum reciperet ad habitum, iam ille erat vestitus habitu, & sic iam inhibitoria non habebat locum. Respondetur, quod si per hoc allegat possessionem habitus, mala possessio non est possessio, vt dicitur in iure, sed intrusio. Hæc verò secunda habitus restitutio fuit facta contra statutum Ordinis, & contra iura suprà citata dicentia, quod iudex appellationis nihil innouet antequam audiat iudicem *à quo*. Addo, quod si hæc eius responsio esset vera, probaret etiam quod prædictus Commissarius non posset postea illum à secundo conuentu expellere, eo quod iam esset habitu Religionis indutus, quod est falsum.

34 Duodecimò ait, quod quando dictus Commissarius iussit illum expelli à secundo conuentu, iam non erat iudex causæ, quia iam fecerat desistentiam, dicens se ab illa causa desistere. Iudex verò per desistentiam, seu renunciationem, desinit esse iudex. Respondetur, dictum Commissarium nunquam destitisse à causa, vt constat ex testimonio scripto illustrissimi Domini Collectoris, quod seruatur in processu: in quo prædictus Dominus fidem facit, quod prædictus Pater Commissarius à causa nunquam destitit: imò potius eundem Dominum dicto Commissario mandasse vt in causa procederet.

35 Decimotertiò ait, quod Pater Commissarius cum iuit ad conuentum primum pro sumenda informa-

tione, & recipiendis secundis suffragiis, nec dixisse in capitulo se ad id habuisse authoritatem Domini Collectoris, & proinde inualidè processisse. Friuola omnino responsio. Nam dictus Commissarius ex officio id poterat abundè facere: erat enim delegatus ad vniuersitatem causarum per Patrem Generalem constitutus in toto regno, & præterea fuerat ad id requisitus à primo conuentu, ac proinde quoad hoc non indigebat authoritate Domini Collectoris, ex eo maxime in ista causa non fuerat appellatum ad dominum Collectorem, nec proinde causa ad eum fuerat deuoluta, vt posset Commissarius cum ipsius licentia in causa se intromittere. Quod insuper addit, debuisse prædictum Commissarium priùs monere, & audire Prouincialem, antequam dictus Commissarius in primo conuentu suffragia secunda, & informationem reciperet. Respondetur, quod Commissarius hoc non omisit: imò priùs Prouincialem monuit vt sibi causas remitteret, ob quas Nouitium expulsum iuxta Ordinis statuta, secundò ad habitum admiserit, vt constat ex processu. Imò facit contra Nouitium, quod Prouincialis renunciauerat causæ, dicens quod illam remittebat ad Commissarium: & dictus Commissarius acceptauit desistentiam, & renunciationem Prouincialis, vt patet ex eodem processu: & ex consequenti non poterat postea Prouincialis procedere in causa cui renunciauerat: nec proinde potuit postea prædictum Nouitium ad professionem admittere in secundo conuentu, sicut admisit post causam à se renunciatam.

36 Decimoquartò addit quod est consuetudo Religionis, quod quando suffragia pro Nouitiis recipiuntur, ponitur vrna separata extra capitulum, ad quam

accedentes

accedentes Religiosi iniiciunt fabam nigram, vel albam, & sic suffragantur liberè secundùm suum arbitrium. At Commissarius quando recepit secunda suffragia in primo conuentu, posuit ante se vrnam, in qua iniiciendæ essent fabæ, & dabat vnicuique Religioso in propria manu vnam fabam nigram, & alteram albam, vt ex illis iniiceret in vrnam, quam vellet, & alteram reponeret coram se in altera vrna non approbatiua: in quo videtur & electionem publicasse, & ferè libertatem suffragandi ademisse. Respondetur neutrum illorum ibi interuenisse. Non primum, quia ex eo Religiosi in capitulo non videbant pro quo suffragium dabatur, neque ipse Commissarius id sciebat, & proinde electio non publicatur, seu vota suffragantium non publicantur. Addo quod ista receptio suffragiorum non est electio vera, propriè loquendo, vt debeat esse secreta, ita quod nomina suffragantium non publicentur, quin potius consuetudo fuit antiqua Religionis, vt Nouitiorum vota sine fabis reciperentur; sed dicebat propriâ, & altâ voce quilibet Religiosus; *Do illi suffragium*, vel *Nego illi suffragium*. Non item per id quod fecit Commissarius vim inferebat libertati suffragrandi: quia non dedit vnam tantum fabam cuilibet, sed duas, albam, & nigram, vt quam vellet iniiceret. Sed vsus fuit illa exacta cautela, ne posset in illa votorum receptione excrescere aliquod votum, sicut contigerat in prima suffragiorum receptione.

37 Decimoquintò allegat se annum nouitiatus non interpolasse per illos quinque menses, quos mansit extra secundum conuentum. Rationem assignat, quia mansit ibi sub obedientia Prælati, qui erat Prouincialis: & quod ibi per quinque menses agebat suam causam, & negotium. Ad primum respondetur, quod

ſi per illos quinque menſes manebat ſub beneplàcito Prouincialis: at manebat ſine obedientia, imò contra obedientiam Commiſſarij generalis, qui illum ab Ordine expulerat. Item manſit ſine habitu noſtræ Religionis, cùm ſit de eſſentia nouitiatus vt fiat ſub obedientia ſuperioris, & cum habitu Religionis, vt ſuprà manet probatum *num.* 14. ex multis Doctoribus: quibus adde Suarez *tomo* 3. *de Relig. lib.* 5. *de ingreſſu Ordinis cap.* 13. *num.* 3. vbi citat Gloſſ. Turrecrem. Sylueſt. & Angelum, & ait colligi ex cap. *ſtatuimus*, de regul. Idem tenet Leſſius *lib.* 2. *de ſtatu Religioſo dub.* 7. §. *Tertio hanc*, & Sanchez *lib.* 5. *Decalog. cap.* 4. vbi citat alios *num.* 27. Rodrig. *tomo* 3. *qq. q.* 15. *art.* 9. & Rodriguez iunior *in ſuis reſolutionibus reſol.* 101. *num.* 43. Ad id verò quod ait quod per illos quinque menſes extra ſecundum conuentum agebat ſuum negotium, & proſequebatur cauſam ſuam. Reſpondetur primò quod in quinque menſibus poterat adire Romam, & in quinque diebus poterat adire Collectorem huius Regni: & ipſe neque à Collectore, neque à Summo Pontifice impetrauit recurſum. Imò neque hodie poſt nouem menſes ab vltima expulſione Ordinis facta per ſententiam Prouincialis, proſecutus eſt appellationem, neque impetrauit aliquem recurſum Apoſtolicum. Quæ ſunt clara ſigna appellationis deſertæ. Sicut tradit Maſcardus *tom.* 1. *concl.* 117. cum aliis ibi: vbi dicit appellationem cenſeri deſertam quando per appellantem ſtetit, quòd litis certamina non terminentur. Quod item ait appellationem ſuſpendere omnia, & reponere appellantem in ſtatu antiquo, ſe verò appellaſſe ab expulſione primi, & ſecundi conuentus. Reſpondetur quod attinet ad appellationem quando fuit expulſus à primo conuentu, iam manet reſponſum *ſu-*

prà

prà num. 9. vbi vidimus illam appellationem fuiſſe nullam. Quod attinet ad ſecundam appellationem, quam fecit expulſus à ſecundo conuentu, dico, quod hanc appellationem non poterat illi acceptare Prouincialis, cum eſſet inferior Commiſſario generali: inferior enim non poteſt acceptare appellationem factam à ſuo ſuperiore; neque ipſe Nouitius vltimò citatus à Prouinciali delegato oſtendit quiſnam iudex ſuperior acceptauerit ſuam ſecundam appellationem, neque quomodo illam fuerit proſecutus per quinque menſes. Adde quod appellatio in ſecunda expulſione à ſecundo conuentu, fuit omnino nulla, eo quod iam tunc non erat Nouitius verus. Nam Prouincialis cum illum ſecundò recepit ad habitum in ſecundo conuentu, id non potuit validè facere non audito Guardiano primi conuentus cum ſuis Religioſis, vt ſuprà manet probatum *num.*17.

32 Decimoſextò reſpondet litem hanc iam fuiſſe iudicatam, & terminatam à Prouinciali prouinciæ, qui profeſſionem approbauit, & eſt Prælatus ordinarius, & ſic negotium tranſiſſe in rem iudicatam. Nihil minus. Nam conuentus primus, à quo fuit expulſus, ſtatim appellauit à Prouinciali, cùm reſtituit habitum Nouitio ſecundâ vice in ſecundo conuentu, & appellauit ad Commiſſarium generalem Prælatum ſuperiorem legitimum, qui acceptauit appellationem, & proceſſit in cauſa. Item poſt factam profeſſionem in ſecundo conuentu, primus conuentus ſtatim recurrit ad Generalem Ordinis, qui acceptauit appellationem, & dedit iudicem delegatum in cauſa. Quo modo ergo potuit tranſire in rem iudicatam reſolutio litis, quam dicit terminatam fuiſſe à Prouinciali à quo bis fuit appellatum iuſtè, & validè, & appellationes

fuerunt receptæ? Nam vt sententia dicatur transire in rem iudicatam, necessarium est quod ab illa non appelletur, & quod non sit lata contra ius. A decisione verò Prouincialis fuit bis appellatum. Et præterea illa facta fuit contra tot iura suprà citata à *num.* 11. *cum seqq.*

39 Decimoseptimò allegat Nouitius, quod Commissarius non potuit auocare ad se causam à prima instantia à Prouinciali, qui illi habitum restituerat in secundo conuentu inhibendo ne dictum Nouitium ad habitum restitueret, iuxta Concilium Trident. *cap.* 20. *de reform.* prohibens ne superiores auocent causas in prima instantia. Respondetur, prædictum Commissarium post restitutionem habitus factam à Prouinciali in secundo conuentu, scripsisse ad Prouincialem, vt sibi mitteret causas, ob quas prædictum Nouitium ad habitum restituerit, vt patet ex dictis. Per hoc autem mandatum non auocauit Commissarius causam à prima instantia, sed solum accepit informationem negotij. Et postea visâ nullitate causarum, allatarum à Prouinciali, mandauit Nouitium ab Ordine expelli, & amplius ad habitum non admitti. Secundò respondetur, potuisse Commissarium absolutè prohibere ne Prouincialis prædictum Nouitium ad habitum, & professionem admitteret, in quocumque statu Nouitius existeret. Probatur *ex cap. Exijt, de verb. significat. in* 6. vbi Papa Nicolaus III. concedit Generali Ordinis Minorum, vt possit restringere Prouincialibus iurisdictionem recipiendi Nouitios, ponens hæc verba: *Sicut viderit expedire.* Si ergo Generalis potest Prouinciali mandare ne recipiat Nouitium antequam Nouitius Religionem ingrediatur, à fortiore potuit Commissarius generalis mandare

Prouin

Prouinciali ne reciperet ad habitum illum qui fuerat expulsus à Religione ob defectus, & iuxta Ordinis statuta: sic enim Commissarius generalis videt expedire. Constat autem quod prædictus Commissarius generalis habebat in hoc regno totam Generalis iurisdictionem. Tertiò respondetur, & clariùs, quod Commissarius generalis in illa inhibitione non auocauit causam in prima instantia, sed post sententiam definitiuam Prouincialis. Cùm ergo Prouincialis Nouitium ad habitum restituerit post expulsionem à primo conuentu, & post appellationem, per hanc habitus restitutionem, Prouincialis in substantia sententiam definitiuam tulit in causa, quia in hac causa de nullo alio quærebatur, nisi de spoliatione habitus facta à primo conuentu. Et ab hac sententia definitiua Prouincialis appellauit primus conuentus ad Commissarium. Et sic Commissarius non auocauit causam à prima instantia, sed à sententia Prouincialis, à quo à se fuerat appellatum.

40 Decimooctauò allegat, quod Prouincialis potest sequi partem minorem in suffragiis datam pro Nouitio & sic constare ex statuto Ordinis. Item ait, quod Prælatus solum tenetur audire suffragia conuentus pro Nouitio, sed non tenetur illa sequi, illisque non obstantibus in contrarium potest Nouitium ad professionem admittere: quia inquit suffragia pro Nouitio sunt solùm consultiua, non verò decisiua. Ad horum primum dico in nostris statutis circa hoc solum dari statutum in titulo *de Nouitiorum votis*, §. *Si autem*, in quo decernitur, quod si Nouitius ex tribus partibus conuentus habuerit quidem suffragia vltra medietatem conuentus, sed non habuerit duas partes ex tribus partibus conuentus, in tali casu poterit Præ-

latus diſpenſare ſecundum Deum iuxta zelum,& qualitatem ſuffragatorum. Si verò maior pars conuentus pro Nouitio non fuerit ſuffragata, ſtatim Nouitius à conuentu expellatur. Quod ſtatutum nihil fauet Nouitio, ſed repugnat; neque aliud ſtatutum oſtendetur in quo dicatur id quod prætendit Nouitius. Ad ſecundum, quod ait, Prælatum non teneri ſequi ſuffragia data pro Nouitio,ſed ſolùm audire; dico quod eſt dictum falſum & ferè temerarium in materia Religioſa. Tenetur enim Prælatus ſequi ſuffragia conuentus pro Nouitio, vel contra Nouitium,ita ſi illum admittat ad profeſſionem abſque maiori parte ſuffragiorum conuentus, profeſſio futura ſit nulla. Scio aliquos paucos Doctores olim fuiſſe illius opinionis, quod Prælatus non tenetur ſequi ſuffragia data pro Nouitiis,ſed ſolùm audire. Huius opinionis fuit olim Rodriguez *in ſum. verbo Nouicios, cap.*8.*concl.*8. ſed de hac opinione ipſe ſe retractat *tom.* 3. *qq. q.*17. *art.* 3. *&* 7. dicens quod ſi Prælatus non fuerit ſecutus maiorem partem ſuffragiorum conuentus in ſuffragiorum receptione, profeſſio erit nulla. Idem tenet Sanchez *lib.*5. *Decalogi cap.*4.*n.*65.& *n.*63. citat Doctores pro ſe. Aſſgnat ibi Sanchez hanc rationem: quia licet præſes non teneatur ſequi conſilium conſulentis, tenetur tamen ſequi conſilium collegæ, qui ſibi datur vt collega. At ſuffragatores conuentus, non ſolum ſunt conſulentes cum Prælato; ſed etiam collegæ cum illo in ſuffragiis dandis. Hoc ipſum tenet expreſsè Nauar. *tom.conſiliorum conſilio* 62. *de Regular.* aſſerens non poſſe Generalem Ordinis facere profeſſionem cuidam Nouitio ſine conſenſu maioris partis conuentus. Idem tenet ipſe Nauarrus *eodem titulo, vt lite pendente, conſilio vltimo, num.*12. vbi citat gloſſam *cap.final. de Regular.*

gular. in 6. quam glossam ibidem dicit recipi à septem grauibus Canonistis, quorum nomina apud Nauarrum videri possunt. Denique hoc ipsum tenet nouissimè Suarez *tom. 3. de Religione lib. 5. de ingressu Religionis, cap.* 10. *num.* 8. vbi postquam probat, quod suffragia pro Nouitiis non solum sunt consultiua, sed decisiua, ponit hæc verba. *Imò rarò, vt existimo, inuenietur Religio, in qua receptio sit facienda cum suffragiis capituli, & illa recipiantur tantùm vt consultiua, & non etiam vt decisiua.* Sic ille. Addo quod opposita opinio esset causa multorum abusuum, & scandalorum. Ex illa namque sequeretur, quod si maior pars conuentus suffragia denegaret Nouitio inhabili, scandaloso, & defectuoso, posset nihilominus Prælatus localis illum ad professionem admittere cum scandalo communi conuentus, & cum damno notabili Religionis; quod nullo modo est admittendum: nam scandalis obuiandum est, vt ait Sixtus in Extrauaganti *Graue nimis, de Reliq. & vener. Sanctorum.* Et absurda vitanda sunt, cap. *cum inter priorem, de except. & cap. dudum, de præbend.*

41 Vltimò facit contra Nouitium, quod licet ille appellauerit etiam à secunda expulsione à secundo conuentu, hanc tamen appellationem non est prosecutus quinque menses, quos mansit extra secundum conuentum. Quod si respondeat, in Clementina, *sicut appellationem, de appellat.* concedi vnum annum appellanti ad prosequendam appellationem. Ad hoc respondemus primò, quod illa concessio anni ad prosequendam appellationem, non est substantia iuris, sed apex iuris, vt idem Papa Clemens V. declarauit in Clementina *sæpe contingit,* de verb. signif. dicens: *Inter apices iuris censentur dilationes.* Et proinde illa dilatio anni ad prosequendam appellationem, est apex

iuris.

iuris. Constat verò ex priuilegio Bonifacij VIII. nostro Ordini concesso, quod nostra Religio in causis Religiosorum non tenetur seruare apices iuris, sed solam substantiam iuris. Nec potest esse intentio Sum. Pontificum, vt Religioso appellanti detur annus ad prosequendam appellationem: sequerentur enim inde multa inconuenientia, & inquietudo magna Religionum. Sufficiet ergo Religioso appellanti dare tempus sufficiens ad arbitrium boni viri ad prosequendam appellationem. Hic verò Nouitius habuit quinque menses post appellationem factam in secundo conuentu, in quibus abundè poterat adire Romam, vel habere recursum Sum. Pontificis: & nihil horum fecit. Videatur glossa *in Clementina citata, si appellationem*, in verbo, *Colligo*, vbi multa congerit dicens, quod si appellans non prosequatur appellationem, sententia præterita transit in rem iudicatam, ac si nunquam appellatum fuisset. Addo quod illa prima appellatio facta in secundo conuentu, cùm appellauit à Commissario generali illum expellente à secundo conuentu, fuit clarè friuola & nulla, ob multas causas iam supradictas, & proinde non indigebat tempore ad prosequendam appellationem.

Quia tandem Nouitius ait multos, & graues Doctores per scriptum testimonium approbasse suam professionem, ac dixisse fuisse validam. Dico non minores numero Doctores, nec minus doctos approbasse quod dicta professio fuit nulla, quorum Doctorum nomina citare omitto. Hoc vnum tantùm aduerto, quod Doctores præcipui viuentes, à quibus Nouitius consilia impetrauit, sunt Iuristæ, & sæculares, vnus præcipuè, cui nimium fidit. Et ad hoc ego dico, quod licet illi sint doctissimi in euoluendis suis textibus

vtriusque

vtriusque iuris, tamen in causa professionis Religiosæ, non habent experientiam sicut Religiosi, qui fuerunt lectores Theologiæ, & sciunt priuilegia Religionum, & statuta earum, quæ vtplurimum ignorant Doctores Iuristæ: & aliquando illis proponuntur falsæ informationes.

CASVS II.

De eadem professione.

APPENDIX
Ad casum primum.

Qui debeant esse iudices huius nullius professionis?

1 FActâ professione istius Nouitij in secundo conuentu à Prouinciali inhibito, Pater Generalis Ordinis ad querelam primi conuentus, commisit causam alteri Prouinciali eiusdem Ordinis tanquam iudici delegato, vt causas nullitatis inquireret, & sententiam definitiuam proferret. Ex ista delegatione ortæ sunt duæ quæstiones. Prima, quia instabat Nouitius quòd in iudicanda illa vltima causa nullitatis professionis, cum Prouinciali delegato, debeat assistere simul Prouincialis ordinarius prouinciæ qui Nouitium ad nouitiatum primò, & secundò, & ad professionem admiserat in primo, & secundo conuentu. Probabat ille, quia in causa nullitatis professionis, cum Ordinario est iudex superior professi, vt clarè dicitur in

in Concilio Tridentino *sess.25.c.19.de Regular.* At Prouincialis prædictus est verus superior prædicti Nouitij: ergo ille debuit causam iudicare cum Prouinciali delegato.

2 Ista quæstio facilè repulsa est: & dictum fuit quod Prouincialis ordinarius, qui Nouitium ad habitum & professionem admiserat cum illis defectibus, de quibus in primo casu, non poterat esse iudex in causa nullitatis istius professionis. Constat clarè, quia cum in ista sententia iudicandi essent defectus, & nullitates, quæ in professione concurrerunt; & horum omnium causa fuerit præteritus Prouincialis ordinarius qui ad habitum, & professionem admiserat: non poterat Prouincialis esse iudex in propria causa, seu iudex suorum defectuum. Sequeretur enim, quod posset esse simul iudex, & reus: contra expressum capitulum *Nullus* 4. *q.* 4. vbi dicitur, quod in iudicio quatuor personæ distinctæ debent interuenire, ita distinctæ, vt vna non possit simul esse alia, videlicet iudex, reus, accusator, & testis. Prouincialis verò præteritus, & Ordinarius, erat in hac causa reus, vtpote cuius defectus iudicandi erant: ergo non potuit esse iudex in illa. Ad id verò quod adducitur ex Concilio Tridentino, respondetur, patere solutionem ex ipso Concilio: loquitur enim clarè quando nullitas professionis iudicanda committitur Ordinario, id est, Episcopo. In hoc verò casu, nullitas professionis non est commissa Episcopo à prælato generali Ordinis, sed alteri Prouinciali extraneo, sicut poterat facere, & proinde Prouincialis ordinarius, qui ad habitum, & professionem admiserat, non poterat esse iudex in causa cùm esset propria sua causa. De quo videatur Valerus Cartuxanus *lib. de differentijs vtriusque fori, verbo,*

verbo, iudex, *differentia* 9. Addo quod cùm hæc causa esset delata ad prælatum generalem Ordinis per appellationem primi conuentus à Prouinciali; non poterat iam Prouincialis esse iudex causæ, cùm esset iam iudex *à quo* appellationis. Constat verò quod iudex, à quo appellatur, non potest amplius esse iudex in causa appellata, maximè quando superior iudicis *à quo*, acceptauit appellationem, vt contigit in hoc casu.

3 In hac materia pro Nouitio aliqui dixerunt validitatem istius professionis iudicandam fuisse à solo Episcopo ordinario Nouitij, pro quo adducta est quædam declaratio Cardinalium paucis abhinc annis decreta in hunc modum super hoc casu simili. Quidam vir matrimonio copulatus cuidam fœminæ, sciens illam sibi fecisse adulterium, dimisit illam, & abiens in regionem remotam sumpsit habitum cuiusdam Religionis, & in illa professionem emisit. Procedente tempore, iste sic professus, antequam illam Religionem intraret, habuit copulam carnalem cum quadam muliere. Coniux prima hoc sciens accusauit illum coram suo prælato regulari, qui illum spoliauit habitu Religionis, iniungens, vt ad suam vxorem rediret. Casus delatus est ad sacram Congregationem Cardinalium, qui declararunt vt Episcopus vxoris causam iudicaret. Et solum Episcopum iudicem causæ constituerunt, non verò superiorem Religionis. Et sic videtur faciendum in nostro casu, qui videtur omnino similis. Respondetur hunc nostrum casum esse omnino dissimilem illi casui Cardinalium: nam in illo casu professio coniugati, causa erat prima, & præcipua matrimonialis, fecerat enim ille diuortium authoritate propriâ, absque sententia Ordinarij, & præterea post adulterium vxoris ipse etiam adulterium commi

commisit ante ingressum Religionis, propter quod ius perdidit accusandi vxorem, & faciendi diuortij, & sic causa præcipua erat matrimonialis. Constat verò quod causæ matrimoniales ad solum Episcopum pertinent, non ad prælatos regulares: vt constat ex cap. *Accedentibus, de exces. prælatorum*, & cap. *Multorum* 35. *q.* 6. causa verò professionis erat ibi quid consequens, & accessorium, pendens à causa matrimoniali. Et proinde iudicatâ causâ matrimoniali, decisa manebat causa professionis, iuxta regulam *Accessorium, de reg. iuris in* 6. cùm ibi notatis à glossa citante duas leges dicentes quòd *perempto principali, petit accessorium*, & proinde meritò DD. Cardinales illam causam soli Episcopo commiserunt tanquam iudici causarum matrimonialium. In nostro verò casu non controuertitur causa matrimonialis, sed solius professionis Religiosæ, quam iudicare potest prælatus regularis: & proinde non fuit committenda soli Episcopo.

4 Secundò fuit obiectum, quod saltem in isto casu Episcopus debebat iudicare causam istius professionis cum Prouinciali delegato, iuxta Concilium Tridentinum *sess.* 25. *c.* 19. vbi expresè iubetur quod si aliquis prætendat probare suam professionem fuisse nullam, proponat causas nullitatis coram suo superiore, & ordinario. Respondetur ibi Concilium solum loqui de volente exire à Religione ob nullitatem professionis. Et in nostro casu agitur de volente manere in Religione, & probante quod professio fuerit valida, qui duo casus sunt nimis diuersi, & proinde statutum in vno, non tenet in alio, cùm à separatis non fiat illatio. Huius rei causa potest assignari: quia liberare professum à votis solemnibus post professionem emissis, est res grauissima, & magnâ discussione indigens,

indigens, & proinde in hoc casu voluit Concilium assistere Episcopum cum Prælato regulari. In secundo verò casu quando quis vult probare se esse Religiosum, & obligare Religioni, cùm sit casus minùs grauis, & minùs periculosus, non videtur requiri assistentia Episcopi, sed solius Prælati regularis.

5 Post expeditum hunc casum, libuit hîc inserere rem nouam positam à Bonacina *tom.1. tit. de clausura, difficult.3.n.2.fol.*522. vbi ait quod quando iuxta Concilium Tridentinum Episcopus, & Prælatus regularis debent iudicare nullitatem professionis, ibi per Prælatum Religionis non intelligitur Prouincialis, sed Prælatus localis, qui admisit Nouitium ad professionem, vel successor istius Prælati localis. Nomine verò Episcopi intelligitur Episcopus illius diœcesis, in qua Nouitius ante nouitiatum domicilium habebat. Hoc apud alium Doctorem non reperi. Et puto quod praxis stat in contrarium: & quod Prouincialis id debet iudicare, cùm sit absolutè superior prouinciæ. Et quod Episcopus, in cuius diœcesi reclamatur, id poterit iudicare, & quod non sit adeundus Episcopus, in quo Nouitius antea habebat domicilium; id enim praxis non obseruat.

CASVS III.

Vtrùm Religiosi per Bullam Cruciatæ possint eligere confessorem, & absolui à reseruatis.

1 CAsus iste quinque antea annis magnam habuit alterationem in hoc regno, & magnam

causauit perplexitatem Religiosis vtriusque sexus. Fuerũt enim editi aliqui tractatus impressi à personis doctis, in quibus constanter affirmarunt posse Religiosos per Cruciatam eligere confessorem, & absolui à reseruatis per statuta suæ Religionis. Quinimo Commissarius generalis Cruciatæ per edicta publica affixa ad fores Ecclesiarum idem declarauit, posse Religiosos vti Cruciatâ quoad illa duo; & sub pœna excommunicationis reseruatæ Summo Pontifici, præcipiebat Prælatis Religionum ne suos subditos in hoc directè, vel indirectè impedirent quominus dictâ Cruciatâ vti possent quoad illa duo. Quod autem dictus Commissarius generalis possit declarare dubia eiusdem Bullæ, & quod illius declarationi standum sit, tenet Henriquez *tom.*1. *sum.lib.*7.*cap.*29. §.3. postea crescente querela, & supplicatione Religiosorum apud Sedem Apostolicam, D. Papa Vrbanus VIII. particulari Bulla in hoc prouidit, cuius tenorem hîc apponere libuit, quia multum inseruit pro tollendis multis difficultatibus præteritis, & futuris. Bulla ergo talis est.

Innouatio constitutionis felicis recordationis Clementis Papæ VIII. super Bulla Cruciatæ, & Regularibus quoad sacramentum Pœnitentiæ.

Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

IN specula Militantis Ecclesiæ, nullo licet meritorum suffragio diuinâ dispositione constituti, & attentè

attentè considerantes sacros Regularium Ordines tantas Ecclesiæ Dei omni tempore vtilitates attulisse, vt ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint; dignum, quin potius debitum reputamus, vt eorumdem Pontificum vestigijs inhærentes, ad ea pastoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt in eisdem Ordinibus regularis obseruantia sarta, tecta conseruetur: & si quæ illi obesse dignoscuntur, opportunæ constitutionis ministorio salubriter remoueantur. Aliàs felicis recordationis Clementi Papæ VIII. prædecessori nostro per procuratorem generalem fratrum de Monte Carmelo nuncupatorum. Exposito, quod cùm in Bulla Cruciatæ sanctæ & alijs priuilegijs ab Apostolica Sede concedi solitis detur facultas eligendi confessarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui posit Christi fideles absoluere à casibus, Ordinario, & Sedi Apostolicæ reseruatis: Religiosi prædicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus vti præsumebant in detrimentum eorum regularis disciplinæ. Quare idem Clemens prædecessor suâ perpetuò valiturâ constitutione declarauit, facultatem, & concessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, non habere locum in fratribus, & sororibus Monialibus

quorumcunque Ordinum, & Congregationum cuiusuis instituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam in prouincia Hispania, quàm extra eam vbilibet constitutis, neque eis suffragari: sed eiusdem Clementis prædecessoris intentionis fuisse, quod ijdem fratres, & moniales quantùm ad sacramentum Pænitentiæ, seu confeßionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent, prout in dicti Clementis prædecessoris in simili forma Breuis desuper sub die 23. Nouemb. anni 1599. pontificatus sui anno octauo, expeditis litteris, quarum tenores præsentibus pro expreßis haberi volumus, pleniùs continetur. Nihilominus, sicut nobis, non sine animi molestia, innotuit, nonnulli Ordinis fratrum Prædicatorum professores prætextu Bullæ eiusdem sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum, Confessorum eiusmodi, qui eos, vt præfertur, absoluat, eligere posse prætendant, & forsan eligant ad præsens, postquam litteræ nostræ sub die 14. Iunij anni 1624. pontificatus nostri anno primo, super facultate eisdem Regularibus confessarium ad effectum huiusmodi eligendum ad quinquennium tunc proximum conceßâ, emanatæ, pridem ab vno, & vltrà expirauerint, in maximum status, & Regularis obseruantiæ præiudicium. Nos, præmißis, quantùm nobis ex alto conceditur, obuiare, ac felici tam eorumdem fratrum Prædicatorum, & B. Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quàm omnium,

nium, & quorumcunque aliorum cuiuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam speciali mentione, & notâ digni, vtriusque sexus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium statui, atque directioni, & aliorum Christi fidelium saluti consulere volentes, præfatæque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illámque tenore præsentium innouantes, ac quatenus opus sit ampliantes; motu propprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolica plenitudinis potestate, concessionem sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi etiam laicis, & clericis sæcularibus cuiuscumque status, gradus, & qualitatis, & conditionis, etiam speciali notâ dignæ, quoad casus reseruatos, etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæresi exceptâ) contentos, non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur, aliorumque indultorum huiusmodi, quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & Monialibus prædictis fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, societatisque, & instituti prædictorum, Mendicantium, & non Mendicantium, tam prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam, vbilibet constitutorum, locum minimè habuisse, neque habere, neque illis vllo modò suffragari potuisse, neque posse; excepto dumtaxat

illo quinquennio, quo litteræ nostræ huiusmodi, vt præfertur, durauerunt; siquidem die 14. mensis Iunij 1629. proximè præteriti, iam expirauerunt. Sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod ijdem fratres, & Moniales, quantum ad sacramentum Pænitentiæ, seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata subiecti sint, earumdem tenore præsentium declaramus, Decernentes, præsentes nostras litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis intentionis vitio, seu nostra aut alio quocunque defectu, à quoquam impugnari non posse. Sicque & non aliter, in omnibus, & singulis præmissis, per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum, palatij Apostolici, Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales: etiam de latere Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, ac Cruciatæ Commissarios, & quosuis alios quauis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliâ iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, interpretari, ac iudicari deberi: ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Clementis prædecessoris concessa sunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus

pro

pro sufficienter expreßis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expreßè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valuis principis Apostolorum Basilicæ, & in acie campi Floræ de Vrbe, vt moris est publicari, ipsasque sic publicatas omnes, ac singulos vbique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatæ essent. Quódque præsentium transsumptis, etiam impreßis, manu alicuius Notarÿ publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 19. Iunÿ 1530. Pontificatus nostri anno septimo.

M. A. Maraldus.

Notanda quædam super Bullam proximè positam, valdè necessaria.

CIrca præcedentem Bullam, & illius textum occurrunt aliqua consideranda pro aliquibus dubiis resoluendis, & pro aliquibus confirmandis.

1 Primò enim notandum venit Papam bis in hac Bulla dicere, quòd sit in præiudiciũ Religionum, si Religiosi per Cruciatam eligant confessorem, & absoluantur à reseruatis. Primò ibi: *In detrimentum eorum*

regularis disciplinæ. Secundò ibi : *In maximum status, & regularis obseruantiæ præiudicium.* Consistit verò hoc præiudicium primò in eo quod si Religiosi per Cruciatam possent eligere confessorem, & absolui à reseruatis quoties vellent, ista facilitas veniæ præberet occasionem sæpiùs, & faciliùs committendi grauia peccata in detrimentum ipsorum, ac sæpiùs Religionis. Nam facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi, vt habetur expresse in cap. *est iniusta* 23. q. 4. ex D. Ambrosio, & cap. *vt clericorum*, de vita, & honestate clericorum. Et hic est finis Matris Ecclesiæ, quem habet in reseruatione aliquorum casuum grauiorum, vt scilicet difficultas obtinendæ absolutionis sit quasi frænum ad non peccandum. Hac de causa in Bulla Cœnæ Domini certa peccata grauissima reseruantur soli Papæ, vt difficultas adeundi Romam pro illorum absolutione compescat homines ab illorum patratione.

2 Noto, id quod dicitur in ista Bulla D. Papam Vrbanum VIII. concessisse vt Religiosi per quinquennium possent eligere confessorem, & absolui à reseruatis, hanc,inquam,concessionem non fuisse publicatam in Portugallia, (quo ego sciam) sed fortè solum fuit pro Italia.

3 Redeundo verò ad id quod dicit Papa esse magnum præiudiciũ Religionis eligere Religiosos confessorem per Bullam, & absolui per Bullam, dico id maximè habere locum in Monialibus, quæ si per Cruciatam id possent facere, sequeretur vtplurimùm magna inquietudo, & infamia monasterij. Possent enim hac occasione petere confessorem longè distantem à suo monasterio, qui in itinere, & in mansione facere deberet expensas à Monasterio soluendas: possent

possent item petere confessorem, ex quo resultaret infamia Religionis habentis regimen illarum Monialium. Vidi ego in facti contingentia antequam publicaretur hæc Bulla D. Vrbani, & vigebat illa falsa opinio, quod Religiosi possent vti Cruciatâ quoad illa duo hîc prohibita, vidi, inquam, in quodam conuentu Monialium religiosissimo, quandam Monialem nolentem confessionis sacramentum à suo proprio confessore recipere; petiisse sibi dari vnum ex duobus, quos petiit, quorum alter distabat ab illo conuentu per viginti leucas; alter erat Religiosus alterius Ordinis, qui si veniret, redundabat in dedecus Religionis illius, cui Monialis erat subdita. Quod magnam in illo conuentu causauit inquietudinem. Sequerentur etiam alia absurda, quæ omitto. Absurdis autem obuiandum est, vt dicitur in cap. *Inter priorem*, de exception. & cap. *Dudum*, de præbend. in 6. & alibi sæpe.

4 Noto, quod Papa in ista Bulla expresse dicit, Religiosos non posse absolui à reseruatis virtute Cruciatæ, siue illa reseruata sint in sua Religione, siue reseruata in Bulla Cœnæ Domini, à quibus reseruatis in Cœna Domini clerici & laici sæculares per eandem Bullam possunt absolui. Exemplum sit: Si lapsus carnis, vel furtum notabile sint casus reseruati in vna Religione, ab his non potest absolui Religiosus per Cruciatam, vt patet. Item si Religiosus committat aliquod delictum ex illis qui reseruantur in Bulla Cœnæ; exempli gratia, si libros hæreticorum scienter legerit, à qua excommunicatione clerici, & laici per Cruciatam possunt absolui, ab hac tamen excommunicatione Religiosi non possunt absolui virtute Cruciatæ. Sic expresse decernit Papa in hac Bulla

paulò vltra medium. Vbi postquam dicit, laicos, & clericos sæculares posse per Cruciatam absolui à reseruatis contentis in Bulla Cœnæ Domini in foro tantùm interno, exceptâ hæresi: *Subdit statim de Regularibus, dicens de illis: Quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi a casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & Monialibus prædictis, locum minimè habuisse, nec habere*, &c. Vnde Religiosus qui talem librum prohibitum legerit, non potest per Cruciatam ab ista culpa absolui, sed debet recurrere ad suum prælatum, vel ad habentem illius commissionem; quem prælatum suppono posse absoluere subditum ab hoc reseruato, & ab aliis contentis in Bulla Cœnæ, exceptâ hæresi, vt dixi in primo tomo dubiorum Regularium, verbo, *Prælati potestas ad absoluendum*, num. 22. & seq.

5 Aduerto etiam, Papam in hac Bulla bis dicere quod à tempore Papæ Clementis VIII. nunquam potuerunt Religiosi per Cruciatam eligere confessorem, nec à reseruatis absolui. Ait hoc Papa primùm ibi loquens de Clemente VIII. dicens de illo: *Sed intentionem illius fuisse quod iidem fratres quoad Sacramentum pœnitentiæ*, &c. Declarat insuper Papa in hac Bulla, quòd Cruciata, quo ad illa duo prohibita Religiosis: *Locum non habuisse, neque habere in Religiosis: neque vllo modo eis suffragari potuisse, vel posse.* Vnde clarè dicit quod saltem à tempore Clementis VIII. qui similem Bullam edidit anno 1599. non potuisse Religiosos vti Cruciatâ quo ad illa duo prohibita, ita declarante Papâ in ista Bulla. Vnde cónstat non potuisse Commissarium generalem Cruciatæ anno 1621. declarare, & præcipere prælatis regularibus ne subditos impedirent quominus per Cruciatam eligerent

confesso

confessorem, & absoluerentur à reseruatis. Nam inferior non potest declarare legem contra expressam declarationem superioris: sicut nec inferior potest condere legem contra legem superioris: Clementina, *Ne Romani*, de election.

6 Hinc non leuis, neque contemnenda oritur quæstio: an scilicet illi qui à tempore Clementis VIII. vsque ad hanc Bullam D. Vrbani, vel post illam virtute Cruciatæ elegerunt confessorem, vel à reseruatis sunt absoluti, si sint Religiosi, teneantur repetere, & iterare sic factas confessiones? Et est validum argumentum quod teneantur. Nam licet prædictas confessiones fecerint bona fide, talis bona fides non sufficit. Nam bona fides potest excusare à peccato operantem cum bona fide. At bona fides non dat iurisdictionem illi qui non habet iurisdictionem, vt patet. Et Summus Pontifex in hac Bulla in verbis suprà citatis clarè docet quemlibet confessarium electum à Religioso virtute Cruciatæ non habere iurisdictionem ad absoluendum, neque illam habuisse à tempore Clementis VIII. Constat verò apud omnes, quod actus pendens à iurisdictione si fiat sine tali iurisdictione, est nullus: vt si confessor non approbatus, & carens iurisdictione absoluat aliquem nihil faciet. Et ob hanc vrgentem, & claram rationem, ego intelligo quod prædicti Religiosi, qui à tempore Clementis VIII. virtute Cruciatæ elegerunt confessorem, vel absoluti sunt à reseruatis, tenentur prædictas confessiones iterare. Scio tamen quod Bonacina *tomo* 1. *disp*. 5. *de Sacramento pœnitentiæ q*. 7. §. 4. *num*. 4. dicit, quod sacerdos, qui opinionem habet probabilem de sua iurisdictione ad absoluendum, potest absolutionem conferre, etiamsi fortè adsit opinio probabilis

babilis in contrarium: nam interueniente probabili opinione, Ecclesia supplet iurisdictionem, iuxta legem *Barbarius* ff. de offic. prætoris, & Lessiũ, Reginald. Suarez, Henriquez, & alios tres Doctores, quos ibi citat. At à tempore Clementis VIII. vsque ad hanc Bullam D. Vrbani, fuerunt Doctores habentes opinionem, quod possent Religiosi per Cruciatam eligere confessorem, & absolui à reseruatis: quibus accessit declaratio Commissarij generalis Cruciatæ idem mandantis, & declarantis, ob quæ videtur posse quietari Religiosos, qui à tempore Clementis VIII. Cruciatâ vsi sunt quo ad illa duo, cùm ob prædicta possent habere opinionem probabilem se sic posse facere. Quibus tamen non obstantibus ego non acquiesco, neque auderem prædictos Religiosos à scrupulo liberare, neque à confessionibus iterandis: moueor, quia contra expressam Bullam Clementis VIII. & contra istam D. Vrbani non potest dari opinio probabilis, imò non potuit dari opinio probabilis contra expressum Papæ mandatum. Clemens verò VIII. clarè, & expresse prohibuit ne Religiosi Cruciatâ vterentur quo ad illa duo. Et D. Vrbanus VIII. in hac Bulla declarat Clementem VIII. sic disposuisse, eiúsque dispositionem nunquam cessasse: vt constat ex verbis istius Bullæ, vbi Papa dicit, *Se cum animi molestia audisse aliquos Religiosos vti Cruciatâ, quo ad illa duo, non obstante prædicta Bulla Clementis VIII.*

7 Dato ergo quod aliquis scrupulum non deponat: quæris quid faciet Sacerdos, qui electus fuit confessarius à Religioso, vel illum absoluat à reseruatis virtute Cruciatæ, sciens nunc id facere non potuisse? Ad hoc respondeo ex Reginaldo *tomo* 1. *lib.* 8. *n.* 29. *&* 30. vbi quærit quid facere debeat confessarius, qui pœnitentem

nitentem nulliter absoluit propter casum reseruatum, quem habebat, vel simile impedimentum? Et respondet Reginaldus cum aliis ibi citatis: primò, quod si talis confessarius probabiliter timet scandalum si conueniat pœnitentem, vt quia is conquesturus est de eo, quod reuelet confessionem suam; debet illum relinquere, & Summo Sacerdoti Christo committere. Si verò nullum notabile scandalum Sacerdos timeat, debet conuenire pœnitentem, & docere grauem errorem in audientia suæ confessionis interuenisse, ideóque petere vt velit iterum sibi confiteri, vel facere sibi potestatem, vt sub sigillo confessionis ipsum de veritate admoneat. Et in tali casu, addit teneri pœnitentem consilium sacerdotis capere: aliàs culpa sacerdotis in pœnitentem transfundetur. Si verò pœnitens acquieuerit, ait Reginaldus cum Victoria, quod satisfaciet pœnitens, dicendo: Confiteor de omnibus peccatis, quæ tibi in tali confessione aperui; & declaret si quæ alia peccata commisit: quia in illa confessione contigit talis defectus, ex quo fuit inualida. Vide alia ibidem apud Reginaldum *num.* 32. *&* 33.

8 Noto præterea hanc Bullam D. Vrbani fuisse expeditam motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis. Quæ tria verba in paucis Bullis Pontificiis inuenientur, & valde ostendunt robur, ac firmitatem, quam illi D. Papa conferre voluit. Nam vt Doctores dicunt, in materia priuilegiorum, vnum solum verbum ex his tribus, si ponatur in confirmatione priuilegij, dicendo, *ex certa scientia*, confirmat illud omnino: quanto magis addendo, vt hîc additur: *Motu proprio, & de plenitudine potestatis.*

9 Derogat Papa in hac Bulla quibuscumque contrariis, dicens: *Quorum tenores præsentibus habemus pro*

expressis

expressis sufficienter. Quæ clausula, & reuocatio vim magnam habet, vt enim præter alios tradit Riccius *tom.2. suarum decis. 4. part. decis.* 949. quando princeps in sua lege reuocatoria dicit: *Quorum tenores habemus in præsentibus pro expressis*, inter alios effectus, factos ab illa clausula, est hic vnus, vt deroget, & abroget priuilegia, & indulta habentia clausulam derogatoriam ad futura priuilegia.

10 Aduerto vltimo in hac Bulla Papam dicere, quod ex die qua illa publicata fuit Romæ, mense Iunio anni 1630. obliget vbique in omnibus regnis, & in omni Ecclesia, etiam absentes ac si illis personaliter fuisset intimata: propter quæ omnia, nescio quid possit vlteriùs desiderari ad Bullæ istius confirmationem, & corroborationem: vel quomodo de illius valore possit dubitari.

CASVS IV.

Respondetur aliquibus obiectionibus, quibus de valore istius Bullæ dubitatur.

NOn obstantibus claris & efficacibus verbis, & clausulis prædictæ Bullæ, non defuerunt aliqui, qui scripto, & verbis de illius valore dubitantes, dixerunt illam in Hispania non abrogare priuilegia Cruciatæ, ac proinde Religiosos posse vti priuilegio Cruciatæ, quoad illa duo eligendi confessorem, & vt possint absolui à reseruatis, cum illud priuilegium sit concessum omnibus Christi fidelibus in Bulla Cruciatæ. Probabat hoc Author cuiusdam tractatus impressi multis rationibus, quarum potissima, & Achilles

les erat hæc. Nam (aiebat) Rex Hispaniæ habet priuilegium Papæ cum pacto, & contractu oneroso, ex quo contractu Rex singulis annis soluit Romæ duodecim millia ducatorum aureorum, vt dicunt esse notorium. Priuilegium verò datum à principe per modum contractus onerosi, non potest reuocari, vt Doctores dicunt in materia de priuilegiis. Et dato quod posset à principe reuocari tale priuilegium, annullando contractum, debebat Papa facere expressam reuocationem talis priuilegij, dicendo, *non obstante priuilegio Regi Catholico à nobis concesso,* quod Papa non fecit in hac Bulla, neque alius Papa in aliqua alia Bulla. Ad hoc citabat ille Author multos textus, & multa futilia congerebat. Et ad probandum quod nullus Papa hactenus reuocauit dictum priuilegium Regis Catholici per modum contractus onerosi, *in num.* 16. illius tractatus, affert quamdam responsionem datam à D.Papa Vrbano VIII. (non refert in quo anno, neque ad cuius instantiam:) qui Dominus Papa cum rogatus fuisset an per Iubilæa generalia à se suo tempore concessa, fuisset suspensa Bulla Cruciatæ, dicitur Papa in hæc verba respondisse: *Nos quibus præcipuè curanda sunt ea, quæ ad fidem Catholicam tuendam, & adiuuandam Domino aliquando propagandam, pertinent: Quique eo animo, eâque voluntate nunquam fuimus, vt indulgentiæ, facultates, concessiones, & indulta quæcumque intuitu dictæ expeditionis, & Cruciatæ impedirentur, aut reuocarentur, declaramus,* &c. Hoc est præcipuum illius tractatus argumentum præter alia leuiora, quæ infra videbimus, & soluemus. Nunc verò ad hoc tantum argumentum contractus onerosi respondebo.

1 Ad hoc igitur argumentum constanter, & indubitanter,

bitanter dico, inter D. Papam, & Regem Catholicum non dari contractum onerosum, licet Rex de redditibus Cruciatæ soluat Papæ singulis annis prædictam pensionem. Imò censeo talem propositionem esse dignam censurâ, & correctione, vt infrà dicam fusius. Moueor ad hoc primò, quia non bene, nec piè sonat hodie in auribus Catholicis asserere quod Papa in concedendis indulgentiis, habet contractum onerosum, cum Rege Hispaniæ (pecuniarium scilicet duodecim millium ducatorum.) Probatur hoc, nam hæretici huius temporis, maximè Caluinus, teste Bellarmino *tractatu de indulgentijs lib. 2. cap. 2.* dicunt (falsò tamen) quod indulgentiæ in Ecclesia Romana seruiunt ad emungendas pecunias; cùm verò nos teneamur non dare occasionem erroribus hæreticorum: hæc propositio, dicens, *Papa in concedendis indulgentijs Cruciatæ habet contractum onerosum pecuniarium cum Rege Catholico*, fauet illi errori hæreticorum. Et proinde videtur omnino damnanda, vel saltem reiicienda. Pro quo consideranda sunt illa verba D. Pauli 2. *ad Corinth. 6. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* Item illa *ad Titum 2. Verbum sanum, & irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est vereatur, nihil habens dicere de nobis.*

2 Secundò probo quod Papa imponens Regi Catholico certam pensionem pecuniæ in redditibus Cruciatæ soluendam pro fabrica templi D. Petri Romæ, in hoc non contrahat contractum onerosum cum Rege Catholico; probo, inquam: nam contractus non initur inter duas personas nisi quando vtraque persona dat, vel promittit id ad quod aliàs non erat obligata, vt patet in contractu emptionis, & cæteris. At quando Papa dat, vel dedit Regi Catholico redditus

Cruciatæ

Cruciatæ non tenebatur illos dare, & potuit non dare: ergo ibi non facit contractum: neque Rex Catholicus ſoluens illam penſionem de redditibus Cruciatæ ſibi liberaliter conceſſis, dat aliquid de ſuo. Imò poteſt ac debet Rex ſoluens hanc penſionem dicere Summo Pontifici illud quod Salomon 1. Paralipom. cap. 29. dixit Deo: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Confirmo hoc exemplo clariſſimo. Concedit Papa alicui quoddam beneficium, verbi gratia, Epiſcopatum, idque liberaliter, cùm poſſet non concedere: & ſimul in redditibus Epiſcopatus imponit Epiſcopo penſionem pro aliquo opere pio, vel pro aliqua perſona graui, & paupere ſoluendam quotannis: quis dicet Papam in hoc facere contractum oneroſum cum tali Epiſcopo? Idem omnino cernitur in penſione poſita à Papa in redditibus Cruciatæ, quod poterat non dare Regi Catholico, & imponit illam penſionem pro opere pio, vt videlicet pro fabrica Templi D. Petri. Tertiò probatur, nam dato, & conceſſo, quod in hac materia interuenerit prædictus contractus inter Papam, & Regem Catholicum, erat omnino neceſſarium videre formam conceſſionis, quâ Sum. Pontifex dicitur conceſſiſſe Regi Philippo II. redditus Cruciatæ. Debuit enim ad interuentionem contractus dicere in illa: Concedo tibi redditus Cruciatæ pro expeditione belli contra infideles, & ſimul me obligo ad concedenda priuilegia Cruciatæ etiam Religioſis, & nunquam me illis prohibiturum vſum talis Cruciatæ. Et præcedente tali clauſula, vel conditione, foret talis contractus, & non poſſet poſtea Papa oppoſitum licitè facere. At talis clauſula, vel conditio non interceſſit, non enim ſolet Papa ligare ſibi manus ad futurum: ſin minus oſten-

E datur

datur talis concessio cum tali clausula Ergo Papa prohibens Religiosis vsum Cruciatæ quo ad illa duo, non violat contractum onerosum cum Rege initum, cùm Papa non se obligauerit ad Cruciatam concedendam etiam Religiosis cum præiudicio Religionum. Addo, quod prædictus Rex Catholicus Philippus II. & successores sciunt, vel scire debent, quod Religiosis interdictum fuit vti Bulla Cruciatæ quoad illa duo, vt in particulari interdixit Leo X. fratribus minoribus, earúmque Monialibus apud compendium Mendicantium verb. *Cruciata*, §. 5. & ibidem §. 2. cum ibi citatis, & in eodem compendio verbo, *Absolutio ordinatoria quoad fratres*, §.16. Idemque fecerunt alij successores Pontifices circa alias Religiones. Scientes ergo, vel debentes scire Reges Hispaniæ has prohibitiones Pontificum factas Religiosis circa Cruciatam, & nihilominus acceptantes redditus Cruciatæ cum illa pensione, cedunt iuri suo, si quod habent, imò non habent nec possunt conqueri de Papa, quod Religiosis interdicat vsum Cruciatæ, quoad illa duo. Declaratur exemplo emptionis, & venditionis. Nam licet venditor teneatur manifestare emptori defectum occultum rei venditæ, non tenetur tamen manifestare emptori defectum publicum rei, quem defectum ipse videt, vt cum communi probat Azor *tom.*3. *lib.*8.*c.*23. §. *His positis*, citans D.Thom. Cùm ergo sit publicum Religiosos per multos Pontifices fuisse prohibitos ne Cruciatâ vterentur quoad illa duo, non possunt Reges Hispaniæ conqueri, eo quod hodie Papa illis idem prohibeat, etiamsi prædictus contractus onerosus in hac materia interuenisset, vt patet ex proximè posito exemplo venditionis.

3 Cùm ergo constet ex prædictis, quod inter Papam

pam & Regem circa priuilegia Cruciatæ non sit contractus onerosus, sed solum priuilegium gratuitum, benè, ac licitè id potest à Papa reuocari : nam princeps potest reuocare priuilegium, quod dedit subdito, interueniente causa iusta, vt fusè & efficaciter citans multos probat, Suarez *tom. de legib. lib.*8. *c.*37. *num.*7. *& seqq.*Vt autem Papa reuocet hoc priuilegium Cruciatæ quoad Religiosos, datur causa iusta, illa scilicet,quam suprà diximus, præiudicium magnum Religionum. Neque est necessarium quod ista causa sit vniuersalis pro tota Ecclesia,vt contendit Author tractatus contrarij, sed sufficit quod sit causa publica tangens omnes Religiones, quæ sunt melior pars Ecclesiæ. Neque Suarez loco citato requirit quod ad hoc sit necessaria causa ad totam Ecclesiam pertinens.
4 Quartò sic arguo.Multi Romani Pontifices,etiam recentiores, vt Clemens VIII. & D. Vrbanus VIII. scientes redditus Cruciatæ à Sede Apostolica concessos esse Regi Catholico pro expeditione belli contra infideles; nihilominus id scientes prohibuerunt Cruciatam Religiosis quo ad illa duo, vt patet ex Bulla Clementis VIII. & Vrbani VIII. At non debemus cogitare quod tales duo Pontifices errauerint in facto, vel quod ignorauerint se posse facere talem reuocationem Cruciatæ quoad Religiosos,vel deñique quod voluerint violare contractum onerosum, si daretur, & ad illum se obligatos intelligerent. Nam si bene præsumendum est de quocumque iudice, multo magis id debemus præsumere de iudice omnium iudicum, qui est Sum. Pontifex,cuius decreta debemus venerari, & non condemnare : iuxta illud quod dicitur in cap. *Absit* 11. q. 3. vbi Papa Anterus sic ait. *Absit vt quidquam sinistrum de his arbitremur, qui Apostolico gra-*

dui succedentes, &c. Et in cap. *Nemini* 17. q.4. dicitur: *Nemini est de Sedis Apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum.* Maximè cùm Papa habeat omnia iura in pectore, vt dicitur cap.1. *de constit.* & hoc modo argumentandi, videlicet: *Papa hoc iam fecit: ergo potuit facere*; vtitur Sanch. *lib.*8. *de Matrim. disput.*8. *num.*7. in medio. Suarez *tom.*3. *de Relig. lib.*6. *cap.*16.*num.*6.cum aliis ibi citatis,ad probandum quod possit Papa dispensare in voto solemni castitatis, vt possit Religiosus professus contrahere matrimonium. Et sic arguit ibi Suarez. Papa hoc iam fecit, & dispensauit cum aliquibus Religiosis vt nuberent:(quos Religiosos ibi refert Suar.) ergo Papa id potuit facere. Nam, vt proximè citato loco ait Sanchez, in dubio pro gestis Papæ præsumendum est, qui in Ecclesiæ gubernatione ducitur ab Spiritu sancto.Nam aliàs possemus arguere aliquando Papam, vel de malitia, vel de ignorantia, quod esset temerarium affirmare.

5 Quintò id ipsum probatur claris exemplis,potuisse scilicet Papam de redditibus Cruciatæ quasi lædere Regem Catholicum in illa pecunia, quæ obuentura erat si Religiosi Cruciatam acciperent quoad illa duo, talémque pecuniam à Rege auferre, etiamsi illi deberetur ex vllo titulo, idque pro causa iusta. Probatur exemplo clarissimo. De iure diuino, saltem positiuo, & secundum aliquos, de iure naturali est, vt soluantur decimæ Episcopo, & ministris Ecclesiæ, tanquam ministris publicis, qui orant, & laborant pro Ecclesia Dei,vt tradit inter alios,Azor *tom.*1.*lib.*7. *cap.*34. §. *In his igitur.* Et tamen hoc non obstante,Papa cum sit dominus,& supremus dispensator omnium bonorum decimarum, potest, imò de facto iubet aliquando vt aliquæ decimæ non soluantur Episcopo, vel

vel clericis, ſed ſoluantur alicui monaſterio, vel commendatario, vt patet experientiâ: ergo à fortiori id poterit facere Papa in redditibus Cruciatæ, iubendo indirectè ne Religioſi Regi Catholico aliquid ſoluant pro Bulla Cruciatæ, cum tales redditus Cruciatæ non debeantur Regi Catholico ex iure naturali, vt patet, neque ex iure diuino, ſed ex pura liberalitate Sum. Pontificis. Secundum exemplum ſit: Papa poteſt auferre beneficium Eccleſiaſticum iam obtentum à beneficiario, ita vt factum valeat: ſicut habetur in cap. *per principalem, cum gloſſ. ibid. 9. q.* 3. per cap. etiam *In memoriam, diſt.* 19. & alios textus, & Doctores citatos ab Azor. *tom.2. lib.6. cap.* 35. §.24. Ergo poterit etiam Papa auferre à Rege ius aliquod ſi haberet, vt ſibi Religioſi ſoluerent redditus ex vſu Cruciatæ quo ad illa duo prohibita: qui redditus non ſunt beneficium Eccleſiaſticum, neque ad illos Rex habet ius, niſi ex Papæ liberalitate.

6 Neque obſtat reſponſio authoris tractatus oppoſiti, dicentis, quo ad hoc vt Papa reuocet dictum priuilegium Regis conceſſum per contractum oneroſum, non ſufficere quod Papa prohibeat Religioſis accipere Cruciatam quoad illa duo: ſed neceſſarium eſſe, quòd Papa claris verbis exprimat ſe ad hoc reuocare priuilegium Regi conceſſum per contractum oneroſum. Non obſtat primò, quia iam probauimus euidenter hîc non dari contractum oneroſum inter Papam, & Regem, & proinde non eſt neceſſaria ſpecialis illa reuocatio. Secundò dico quod in citata Bulla D. Vrbani VIII. ſatis euidenter reuocatur illud priuilegium, ſi extaret. Nam in illa Papa dicit: *Non obſtantibus contrarijs quibuſcumque, quorum tenores hîc habemus pro expreſſis.* Quod verò hæc clauſula ſufficiat

ad reuocanda omnia priuilegia in contrarium, præter opinionem communem Doctorum fatetur ipse Auctor tractatus contrarij, num. 5. Et est hoc adeò verum quod teste Reginaldo *tom.* 1. *num.* 239. *lib.* 13. cum Syluest. Panorm. Tabiena, si priuilegium prius habet clausulam, vt non possit reuocari à successore per verba generalia plenissima, qualia sunt ista: *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs, etiamsi de verbo ad verbum de illis facienda sit mentio.* Nihilominus prædictum primum priuilegium posse validè reuocari per secundum priuilegium, vel secundam Bullam Papæ successoris, continentem verba generalia reuocatoria plenissima, per quæ satis constet de intentione principis volentis ipsum reuocare. Assignat rationem Reginaldus, quia cùm priuilegia in facto consistant, ideóque Papa possit illa probabiliter ignorare, impossibile est vt de omnibus faciat specialem de verbo ad verbum mentionem: sicque Papæ adimeretur potestas reuocandi quæcunque priuilegia. Facit ad hoc quod Papa præcedens non potest ligare manus Papæ successoris, neque illi potest præscribere modum quo debeat priuilegia antecessorum reuocare. Satis ergo est, quod Papa successor in sua reuocatione priuilegij præteriti, ponat verba clara, euidentia, & efficacia, per quæ ostendat mentem suam esse reuocare antiquum priuilegium, sicut D. Vrbanus clarè fecit in ista Bulla, & fecerat antea Clemens VIII. Imò dedit Ramonius in suis consiliis *consilio* 45. *num.* 13. & 14. citans Crauetam, Socinum, Menochium, Ruinum, quo ad hoc vt Princeps censeatur reuocare aliquod priuilegium, seu constitutionem, non indiget clausula derogatoria, sed sufficit quod sciat de opposito priuilegio, vel constitutione,

tione, & nihilominus contra illam aliquid decernat: per hoc enim contrarium decretum clarè significat se illud prius derogare: videantur ad hoc quæ ego dixi in meo libro responsionum, siue consiliorum *casu* 32. *n*.4. *fol*.248. *col*.2. vbi alios cito. Denique addo cum Bonacina *tom*.1. *disp*.2. *de excommunicatione in genere*, *q*. 2. *puncto* 2. *num*. 8. dicente quod ad hoc vt reuocetur decretum aliquod Concilij Tridentini, non est necessarium quod Papa reuocans faciat expressam mentionem talis decreti, dicendo: Non obstante Concilio Tridentino; sed sufficere quod Papa aliquid decernat contrarium tali decreto, ad hoc vt illud decretum censeatur manere derogatum; quod ibi probat ex quadam declaratione Pij V. & ex alia declaratione Cardinalium. Maius autem multo est decretum contentum in Concilio Tridentino, quod est ius commune, & Concilium generale Ecclesiæ præ omnibus Conciliis celebetrimum, quam sit priuilegium illud Regi Catholico onerosum, si extaret. Et proinde si decretum Concilij Tridentini potest reuocari decreto contrario sine expressa reuocatione Tridentini: multo melius posset reuocari priuilegium Regis, de quo quærimus, sine expressa mentione illius.

7 Quod verò attinet ad illa verba posita supra in hoc casu ante numerum, quæ Author tractatus oppositi dixit respondisse D. Vrbanum VIII. se non reuocasse indulta, & concessiones sanctæ Cruciatæ. Dico primò Papam ibi interrogatum fuisse in genere, an per Iubilæum reuocauerit concessiones, & indulgentias Cruciatæ, quoad fideles Catholicos. Ad quod Papa respondit negatiuè, vt enim infra dicemus, per Iubilæum generale non suspenduntur indulgentiæ Cruciatæ: non verò fuit Papa interrogatus de illis Bul-

lis, in quibus Papa clarè, & expresè solis Religiosis prohibuit vsum Cruciatæ, vt fecit clarè Clemens VIII. & idem Vrbanus VIII. Secundò dico, quod Papa dicens se non reuocasse indulta, & concessiones Cruciatæ, non per hoc dixit, quod Religiosi possent illâ vti quoad illa duo quos sciebat prohibitos esse ab illius vsu per Clementem VIII. cuius Bullam hic Papa dicit semper robur, & firmitatem habuisse. Itaque D. Vrbanus VIII. dicendo se nunquam indulta Cruciatæ reuocasse quoad clericos & sæculares: & in substantia voluit dicere, quod Cruciatam possent accipere sicut antea, personæ habiles, non prohibitæ prohibitione speciali Papali, cuiusmodi non erant tunc, neque sunt hodie personæ Religiosæ. Neque debet hæc solutio displicere Authori tractatus oppositi. Nam ille simili solutione soluit argumentum quod sibi vidit posse offerri, quo probatur Religiosos non posse vti Cruciatâ quoad illa duo. Argumentum verò tale est. Pius IV. in sua Bulla Cruciatæ concessit Religiosis omnibus vt possent vti Cruciata quo ad illa duo. At cæteri omnes subsequentes Pontifices in suis Bullis Cruciatæ prædictam clausulam, & licentiam abstulerunt, quod signum est clarissimum nolle Summos Pontifices, vt Religiosi Cruciatam quo ad illa duo recipiant. Ad hoc argumentum respondet Author citato tractatu num. 15. quod sequentes Pontifices auferendo illam clausulam, & licentiam Pij IV. non per hoc voluerunt abrogare prædictam licentiam Pij IV. quo ad Religiosos, sed reliquerunt causam intra terminos iuris; ostendentes non esse necessariam clausulam derogatoriam. Idem ego dico in nostro casu. Nam licet D. Papa Vrbanus dixerit suprà citata verba; & licet diceret quod omnes Cruciatam reciperent

(quod

(quod non dixit,) non idcirco conceſſit licentiam Religioſis vt Bullam Cruciatæ reciperent quo ad illa duo: ſed remiſit ſe Papa ad terminos iuris Pontificij, Bullæ ſcilicet Clementis VIII. & aliorum idem prohibentium, Leonis ſcilicet X. de quo in præcedentibus diximus.

8 Sed quia, vt diximus, argumentum præcipuum partis oppoſitæ, eſt quod inter Papam, & Regem datur contractus oneroſus, quem Papa neque intendit, neque poteſt diſſoluere, quamuis ad hoc argumentum iam abundè reſponderimus in præcedentibus: quia tamen Sanchez Author grauiſſimus innuit, vel clarè docet in conceſſione Cruciatæ interuenire contractum: vt ipſe Doctor melius intelligatur, & exinde magis confutetur contractus oneroſus aſſertus à parte contraria, dico ſequentia. Igitur Sanchez *lib.8.de Matrimon.diſp.33. num.10.* ait per Iubilæum magnum non ſuſpendi priuilegia Cruciatæ: quia (inquit) priuilegia Cruciatæ conceduntur per modum contractus. Vbi videtur clarè innuere quod in conceſſione Cruciatæ interuenit contractus. Reſpondeo primò, prædictum Authorem non dicere abſolutè ibi interuenire contractum, ſed modum contractus, ſeu ſimilitudinem contractus: quæ ſimilitudo non eſt contractus. Dico ſecundò, prædictum Doctorem non aſſerere prædictum quaſi contractum interuenire inter Papam, & Regem, ſed inter Papam, & recipientem Bullam: quatenus Commiſſarius Cruciatæ nomine Papæ dicit illam accipienti: *Et quoniam tu Fullane dediſti taxatam eleemoſynam, conſequeris indulgentias Cruciatæ.* Tertiò dico, prædicta verba Bullæ non continere contractum. Probo clarè ex definitione contractus: nam contractus definitur eſſe obligatio vltro citroque obligans,

vt habetur in lege *Labeo 2. ff. de verb. signif.* At recipiens Bullam dicitur in Bulla, quod dat eleemosynam: ergo non dat ex obligatione contractus, cum eleemosyna liberaliter detur, & non ex obligatione, neque ex contractu. Secundò, quia Papa petens illam eleemosynam à recipiente Bullam non petit illam tanquam ob pactum, vel tanquam ob causam principalem dandi indulgentias, sed tanquam ob conditionem, sine qua non. Eo nempe modo, quo Sacerdos promittens Missam se dicturum pro dante stipem, siue eleemosynam, non facit contractum cum petente Missam, neque illam potest dicere ob prædictam stipem tanquam ob causam principalem, aliàs foret simoniacus: sed dicit Missam ob stipem tanquam ob conditionem sine qua non. At conditio sine qua non, non facit pactum, neque contractum: neque dat formam actui. Potest hoc adhuc confirmari ex D. Chrysostomo, qui ad illa verba Isai. 1. *Venite, & arguite me*, sic ait sanctus Doctor in persona Dei. *Quiddam ipsi facite, & quod reliquum fuerit, ipse addam. Exiguum aliquid mihi date, & solidum rei totius summam vobis impertiar gratuito.* Quæ verba directè fauent ad nostrum intentum.

CASVS V.

Soluuntur aliæ obiectiones minores contra citatam Bullam.

DEstructo argumento principali citati contractus oppositi, visum fuit etiam soluere in summa alia minora argumenta ferè futilia, quæ Author adducit ad suum intentum probandum.

1 Igitur

1 Igitur *fol.* 2. *num.* 3. ait ex Henriquez, quod aliquando Religiones permiſerunt Religioſis accipere Cruciatam quoad illa duo. Reſpondeo: eſto. quid facit illa permiſſio ad intentum, quando poſtea Papa id expreſsè prohibet, & Religiones ipſæ coram Papa reclamarunt? Imò ferè omnes Religiones per propria ſtatuta id prohibuerunt, maximè Religio Minorum, quæ peculiari ſtatuto decernit vt carceri mancipetur Religioſus, qui dixerit poſſe aliquem Religioſum Ordinis per Cruciatam eligere confeſſorem, & abſolui à caſibus reſeruatis.

2 *Folio* 3. *pag.* 1. *&* 2. dicit quòd Bulla plumbea Cruciatæ reuocat priuilegia Medicantium cum clauſula, *Quorum tenores pro expreſſis habemus in præſentibus.* quam clauſulam non habet Bulla Clementis VIII. Reſpondetur, eandem clauſulam, *Quorum tenores*, contineri in iſta Bulla Vrbani VIII. vt vidimus in textu illius: & iſta Bulla Vrbani VIII. eſt poſterior illa plumbea, illique contraria, & proinde plumbeam reuocat, ſi fortè in plumbea aliquid continetur quod contrarietur iſti Bullæ Vrbani VIII. vt colligitur ex Nauar. *lib.* 5. *conſiliorum tit. de pœnis, conſilio* 1. & habetur in *cap.* 1. *de conſtit.* vbi gloſſa verbo, *Reuocare*, & verbo, *Noſcatur*, multa citat ad hoc intentum.

3 Eodem loco *num.* 6. ait Papam poſſe reuocare priuilegia Mendicantium. Dico id veriſſimum eſſe. Sed retorquetur hoc dictum contra Authorem, & dico quod etiam Papa poteſt reuocare priuilegia gratuita Regum, & ſæcularium, & quod priuilegium Mendicantium quod non recipiant Cruciatam quoad illa duo, eſt confirmatum per Clementem VIII. & alios Pontifices. Imò addo quod priuilegium Mendicantium ad non recipiendam Cruciatam quo ad illa duo,

non

non est verè, & propriè priuilegium, sed pura prohibitio.

4 *Num.*7. ait, quod licet Papa Gregor. XIII. prohibuerit Patribus Societatis Iesu, ne reciperent Cruciatam quoad illa duo, illi eligunt confessorem tempore Iubilæi publici, & idem faciunt alij Religiosi tempore Iubilæi; & ex consequenti id poterunt facere virtute Cruciatæ, cuius priuilegiis per Iubilæum non derogatur. Ad hoc argumentum respondet Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 16. *fol.*133. vbi primò dicit, quod in aliquibus Iubilæis in quibus Summi Pontifices volunt hanc gratiam facere Religiosis, specificat Papa quod poterunt eligere confessorem. In quo clarè innuit Suarez, quod si Papa id non expresserit in Iubilæo, non poterunt Religiosi illum eligere. Secundò ait Suarez, quod licet Summi Pontifices id concedant Religiosis in Iubilæis, ista concessio est per modicum tempus, & vna tantum vice, & proinde facit modicum præiudicium Religionibus, idque concedit ob bonum commune totius Ecclesiæ, pro quo bono concedit Iubilæum. Quod non eueniret, si per Bullam Cruciatæ eligerent confessorem, tunc enim per totum annum, imò per totam vitam id possent facere cum magno, & continuo præiudicio Religionis.

5 *Numero* 8. ait quod Sorbus Capuccinus *in compendio* tenet, quod Religiosi cum licentia prælatorum possunt vti Cruciata quoad illa duo. Respondeo, quod citatus Sorbus ad compendium verbo, *Cruciata*, §. *Vnde concludendo*, resolutè tenet non posse, & dato quod id assereret, alij plures, & grauiores Doctores affirmant non posse, quos videbimus infrà.

6 *Numero* 9. ait, quod ex eo quod Religiosi vtantur Cruciatâ quoad illa duo, non inde relaxatur Religio, imò

imò ſuccurritur aliquibus animis, vel animabus afflictis, & in graui neceſſitate conſtitutis. Reſpondeo, quod ab oppoſito per talem vſum Cruciatæ Religionum decus, & regularis diſciplina relaxatur, vt ſuprà oſtendimus ex DD. Clemente VIII. & Vrbano VIII. dicentibus id cedere in magnum Religionum præiudicium: & pro hoc ſufficit videre vnum Cordubam in Nationibus ad compendium verbo *Cruciata*, §. *Et hoc eſt fundamentum*, vbi multa doctè, & efficaciter congerit ad probandum per viſum Cruciatæ quo ad illa duo periclitari decus, & bonum Religionum occaſionaliter; ad quod citat Leonem X. & Sixtum IV. & addit Corduba non eſſe credendum tot prælatos Religioſorum relationem falſam prædictis Pontificibus feciſſe de diſſolutione Religionis per tales Bullas, mentitoſque fuiſſe dicentes ſe id per experientiam comperiſſe. Quod verò dicitur in argumento, per talem vſum Cruciatæ quo ad illa duo, ſuccurri aliquibus animabus miſeris, & afflictis. Reſpondeo huic neceſſitati ſatis ſuccurri per decretum Clemẽtis VIII. in decreto de caſibus reſeruatis, vbi mandat quod in quouis conuentu Religioſorum, vltra prælatum ordinarium aſſignentur duo Religioſi per Prouincialem, qui habeant authoritatem abſoluẽdi à reſeruatis, ſicut ſeruatur in noſtra Religione Minorum: & ſic debet fieri in aliis religionibus: per quod ſatis abundè ſuccurritur prædictæ neceſſitati.

7 *Numero* 10. ait, quod Bulla Clementis VIII. expirauit cum illo, & quod ille non ligauit manus ſucceſſorum Pontificum. Omiſſis aliis reſponſionibus, dico falſum eſſe quod Bulla Clementis VIII. cum illo expirauerit. Eius enim Bulla non fuit lata pro tempore limitato, ſed abſolutè, & ad perpetuam rei memoriam,

moriam, vt patet ex initio Bullæ. Et prætcrea lex de sua natura est perpetua, nisi reuocetur à potente reuocare: & prædicta Bulla Clementis VIII. nunquam fuit reuocata per aliquem successorem Pontificem: imo Vrbanus VIII. in ista Bulla clarè innuit prædictam Bullam Clementis, semper in suo robore mansisse. Et dato, & non concesso quod prædicta Bulla Clementis cum illo expirauerit, satis innouata, & confirmata est per hanc Bullam Vrbani VIII.

8 *Numero* 11. & 12. ait, quod clausula Bullæ Cruciatæ dicens: *Præter facultates concessas Religiosis*, &c. non debet referri nisi solùm ad indulgentias, non verò ad priuilegia Religiosorum: ita quod sensus sit, Papam, vel Commissarium Cruciatæ, non reuocare indulgentias Religiosorum, quoad ipsos Religiosos: reuocare tamen priuilegia Religiosorum de non recipienda Cruciata quo ad illa duo. Huius rei causam assignat cum multis Iuristis, quia, inquit, clausula posita in fine dispositionis non semper refertur ad omnia suprà contenta: & cum in Bulla in præcedentibus fiat mentio indulgentiarum, facultatum, & priuilegiorum, ait quod clausula exceptiua in fine Bullæ, non refertur ad ambo, id est, priuilegia, & indulgentias: sed ad solas indulgentias, vt sit sensus: non reuocamus indulgentias, quas habent Religiones erga suos subditos: sed derogamus priuilegiis, quæ habent Religiones quoad suos subditos: quorum priuilegium vnum est ne recipiant Cruciatam quoad illa duo; cui priuilegio dicunt hîc derogari per Cruciatam. Ad hoc argumentum respondet Rodriguez *tomo* 1. *qq.q.*21. *art.*10. dicens, quod illa clausula exceptiua; (*Exceptis*, &c.) debet referri & ad indulgentias & ad priuilegia, vt sit sensus: Non suspendimus indulgentias, neque priuilegia,

legia, quæ habent ſuperiores regulares quoad ſuos ſubditos. Aſſignat cauſam, quia clauſula poſita in fine diſpoſitionis refertur ad omnia præcedentia: pro quo citat textuș Bartolum, Abbatem, Mendozium. Eodem modo explicat Suarez *tomo* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.*16.*num.*4.Et Sanchez *lib.*6.*de Matrim.diſp.*22.*n.*19. dicens cum multis ibi citatis, maximè cum Nauarro *conſil.* 34. *de Simonia*, qui dicunt quod clauſula poſita in fine diſpoſitionis, refertur ad omnia præcedentia, quando omnium præcedentium eſt eadem ratio.Et in noſtro caſu eſt eadem ratio, imò maior ratio vt non ſuſpendantur priuilegia Religioſorũ quoad vſum Cruciatæ, quàm quod ſuſpendantur indulgentiæ illorum. Ratio eſt clariſſima. Nam ex ſuſpenſione indulgentiarum quoad Religioſos non reſultat relaxatio diſciplinæ regularis, & præiudicium Religionis, ſicut reſultaret ex eo quod priuilegia Religioſorum quoad vſum Cruciatæ ſuſpenderentur quoad illa duo, vt ex dictis, eſt notorium. Minus enim nocet Religioni carere indulgentiis, ſine quibus poteſt homo ſaluari, licet minus commodè, quàm per facilitatem veniæ à reſeruatis ſumere occaſionem, & incentiuum peccandi iuxta dicta in præcedentibus. Hoc ipſum ego deduco ex textu ipſius Bullæ Cruciatæ. In qua poſtquam Commiſſarius Bullæ dicit quod ſuſpendit, &c. (exceptis facultatibus,&c.) iſtaș facultates, quæ ſunt priuilegia, dicit ſe non ſuſpendere. Non dicit,ſe non ſuſpendere indulgentias: ſed addit,facultates,quæ ſcilicet ſunt priuilegia: facultates verò non ſunt indulgentiæ, ſed licentiæ, & priuilegia: verba autem non ſunt confundenda, ſed accipienda in ſignificatione propria, & vſitata. Et quod Prælatus poſſit ſubdito limitare confeſſorem, & illi caſus reſeruare, non eſt

indulgen

indulgentia, vt patet, sed est priuilegium : Bulla verò dicit quod non suspendit priuilegia, seu facultates, quas habent Prælati circa suos subditos. Hoc ipsum tenet Henriq.*lib.7.de Indulg.cap.22.§.3.in gloss.littera G.* vbi dicens primò quod Papa Gregor. XIII. & alij, declararunt non fuisse suæ intentionis quod Patres Societatis Iesu vterentur Cruciatâ quoad illa duo : ait Henriquez quod derogatio Commissarij Cruciatæ, non excedit commissionem, & intentionem Papæ, & est strictè interpretanda ne noceat bono communi Religionis. Sic ille. Quo nihil clarius dici potuit. Et idem ait ibidem *littera H. in glossa* citans alios.

9 *Numero* 13. ait, quod non est præsumenda inconstantia in Papa, qui cùm proximè antea concesserit Cruciatam in fauorem fidelium, & locorum Africæ, statim post id reuocet per priuilegia Religiosorum. Respondeo in hoc Papam non fuisse inconstantem, neque mutasse consilium:nam à Leone X. id fuit prohibitum Religiosis, vt suprà vidimus. Et ex Bulla Clementis VIII. clarè colligitur id nunquam licuisse Religiosis.Et præterea non est inconstantia in principe mutare legem pro circunstantia temporum, & causarum recurrentium,vt praxis quotidiana obseruat.

10 *Numero* 14. *&* 15. ait Pium IV. concessisse Religiosis, vt possent vti Cruciata quoad illa duo. Respondeo,quidquid sit de illa concessione Pij IV. quam citat,eundem Pium IV. quasi pœnitentem facti postea particulari Bulla prohibuisse sub pœna inobedientiæ, & aliis pœnis,ne fratres Minores, & Moniales sanctæ Claræ vterentur Cruciata, nisi cum licentia petita, & obtenta suorum Prælatorum. Tenorem istius Bullæ ad longum ponit Rodriguez in Bullario *fol.* 856. Et præterea post Pium IV. Clemens VIII. id expresè, & abso

& absolutè prohibuit omnibus Religiosis, cum clausula derogatoria constitutionum Apostolicarum, per quam derogationem satis derogata manebat illa prima concessio Pij IV. quam pro se adducit Author tractatus.

11 A *numero* 16. incipit Author agere de priuilegio Regis, quem vocat contractum onerosum, qui proinde nequeat renocari. Contra quod satis iam dixi in præcedentibus non dari talem contractum onerosum inter Papam, & Regem. Et in particulari *num.* 18. facit Author hanc interrogationem. Vbi est causa iusta, ob quam possit Papa abrogare hoc priuilegium, & contractum onerosum? Respondeo primò, fundamentum nostræ opinionis esse quatuor, vel quinque Bullæ Summ. Pontificum suprà citatas, qui vsum Cruciatæ quoad illa duo Religiosis interdixerunt, de quibus Pontificibus piis, doctis, & sanctis, non est præsumendum quod errauerint, vel egerint inconsideratè in materia graui, sed quod ad id faciendum iustam causam habuerint. Respondeo secundò causam iustam, & sufficientissimam ad id fuisse obuiare præiudicio magno resultanti Religionibus ex vsu Cruciatæ quoad illa duo, vt patet ex supradictis. Et quod ista sola causa sit sufficiens ad abrogandum priuilegium, tenet expresse Syluester verbo *priuilegium*, *q.* 10. *versic.* 7. vbi ait quod causa reuocandi priuilegium, est, si aliis fit læsio enormis. At si Religiosi vtantur Cruciata quoad illa duo fit læsio enormis Religionibus, vt patet ex dictis Clementis VIII. & Vrbani VIII.

12 *Numero* 22. *&* 23. contendit quod ad reuocandum prædictum priuilegium Regium est necessaria expressa, & specialis reuocatio. Ad hoc iam suprà clarè ostendimus non esse necessariam specialem, & ex-

F pressam

pressam reuocationem, sed sufficere clausulam generalem reuocatoriam.

13 *Numero* 24. dicit quod declaratio Cardinalium missa ad Archiepiscopum Valentiæ, in qua prædicti Domini dicebant Moniales non posse confiteri alteri Sacerdoti nisi assignato per suum Prælatum virtute cuiusuis indulti, ait Author, hanc declarationem non habere locum in hoc casu, ad quod citat pro se Suar. & explicat citatus Author, quod illa declaratio Cardinalium prohibens ne Moniales virtute Cruciatæ confiteantur confessario nisi approbato per ordinarium, & Prælatum suum, solum prohibet quod virtute Cruciatæ non confiteantur simplici Sacerdoti, qui non sit approbatus ab Ordinario: secus si sit approbatus ab Ordinario, tunc enim (ait ille) poterunt illi confiteri virtute Cruciatæ etiam si non habeant licentiam sui Prælati regularis. Sic ille exponit prædictam declarationem DD. Cardinalium. Ad hoc ego respondeo, quod melius se debet explicare Suarez, quem Author citat, quàm ipse Author illum explicat. At Suarez *tom.4.de Relig. lib.2.cap.16.num.5.* citat eandem declarationem, & absolutè dicit non posse Moniales eligere confessorem præter approbatos à suo Ordinario ad audiendas confessiones. Eodem modo citat, & explicat hanc declarationem Cardinalium Capuccinus in suis notationibus ad compendium, verbo *Cruciata*, §. *Et vltra hoc*, vbi ait absolutè quod per dictam declarationem, non possunt Moniales eligere confessorem præter assignatum à superiore monasterij ipsarum Monialium. Iam verò declarationes Cardinalium, qui suas declarationes communicant cum Summo Pontifice, habent maiorem vim quam declaratio Commissarij generalis sanctæ Cruciatæ.

14 *Numero* 33. dicit quod Commissarius generalis Cruciatæ anno præterito 1630. mense Decembri reuocauit cum sua reuocatione generali Bullam per quam D. Vrbanns VIII. prohibuit Patribus Societatis Iesu ne vterentur Cruciatâ quoad illa duo, & omnia alia quæ poterant adduci in contrarium. Respondeo primò me id non credere, cùm inferior non possit reuocare legem superioris. Respondeo secundò, quod si id fecit, nulliter fecit, ob eandem proximam causam. Ad quod videatur quod dixi paulò suprà *num* 8. in fine, ex Henriquez dicente non posse Commissarium Cruciatæ explicare Bullam Papæ vltra, vel præter intentionem Papæ. Iam verò post Bullam vltimam D. Vrbani VIII. suprà transcriptam, non potest Commissarius Cruciatæ illud sic declarare, quia in illa talis illi adimitur potestas declarandi. Neque item prædictus Commissarius Cruciatæ declarauit, nec reuocare potuit Bullam Clementis VIII. latam pro omnibus Religiosis. Neque est necessarium quod dicit prædictus Author, videlicet quod Religiosi Portugalliæ impetrent Bullam à Sum. Pontifice, per quam specialiter derogetur priuilegio regali per contractum onerosum: hoc enim iam abundè impugnatum est suprà, cùm probauimus non dari talem contractum onerosum inter Papam, & Regem in materia Cruciatæ.

15 A *numero* 35. *& seqq.* nititur ostendere quantam potestatem habeat Commissarius Cruciatæ ad impedienda, & reuocanda illa quæ impediunt priuilegia Cruciatæ. At iam respondi numero proximè præcedenti non posse Commissarium Cruciatæ aliquid declarare vltra vel extra intentionem, & clara verba Sum. Pontificum expressè prohibentium ne Religiosi

vtantur Cruciata quoad illa duo : nisi aliàs prædictus Author velit Commissario Cruciatæ concedere maiorem potestatem, quàm Summo Pontifici : quod de illo non credo.

16 *Numero* 38.ait Papam posse concedere Commissario Cruciatæ facultatem ad omnia reuocanda, quæ impediunt priuilegia Cruciatæ. Respondeo posse id Papam, sed non constare quod Papa hoc illi concesserit : imò constare oppositum, maximè ex ista Bulla vltima D.Vrbani VIII. in qua Papa dicto Commissario adimit potestatem declarandi.

17 *Fol.*24. dicit quod ex *Madrid* allatum est quoddam testimonium, seu consilium scriptum, in quo dicebatur posse Religiosos Societatis Iesu vti Cruciatâ quoad illa duo. Non dubito aliquem tale testimonium, vel consilium dedisse. Sed oportet videre quis ille fuerit, & quomodo intentum probaret, & ad tot Bullas, & suprà obiecta respondeat. Facile enim est dicere,sed aliquando difficile probare. Addit tandem in fine tractatus, quod quatuor Doctores Conimbricenses prædictam opinionem approbarũt illi subscribendo. Respondeo imprimis prædictos Doctores non vidisse vltimam Bullam D. Vrbani VIII. quæ tam clara est, vt contra illam scribere, vel subscribere hodie temerarium sit.Secundò respondeo prædictos quatuor Doctores Conimbricenses modò viuentes non esse maiores, & fortè neque æquales quàm sint Doctores qui istam doctrinam tradiderunt,non posse scilicet Religiosos vti Cruciata quoad illa duo : & hoc docuerunt ante vltimam Bullam D.Vrbani VIII. supra transcriptam. Hoc docuerunt ante illam Bullam Suarez *tom.4.de Relig.lib.2.cap.16.num.3.fol.*132. & hic sufficiebat cum fuerit talis Theologus, & Religiosus:

materiam

materiam enim absolutionum, & reseruationum casuum melius tractant Religiosi, quàm Canonistæ, & Legistæ. Citat Suarez pro hac sententia Garciam *de beneficijs.* Cordubam, Parasselum, Costam, & addit Suarez *num.* 9. quod neque cum licentia sui Prælati potest Religiosus vti Cruciata quoad illa duo. Idem tenet Collector priuilegiorum Mendicantium, vir doctissimus in materia priuilegiorum ad dictum compendium verbo *Cruciata ad* §. 5. Idem tenent ibidem eod.verbo *Cruciata* Corduba, & Capucinus. Idem tenet Rodrig. *tom.*1. *qq. q.*21. *art.*10. Idem tenet Henriquez *tom.*1. *lib.*7. *cap.*22. §.2. *&* 3. vbi licet dicat quod aliquæ Religiones contrarium acceptarunt, id non constat, neque hodie potest sustineri, quando omnes ferè Religiones reclamarunt coram Sum. Pontifice, ob quod motus D. Vrbanus VIII. promulgauit citatam Bullam sic claram, & sic rigorosam, citant hi Doctores, maximè Suarez, & Rodriguez, & Capucinus in §. *Dicitur, & duobus seqq.*6. *&* 7. Bullas aliorum Pontificum, qui diuersis Religionibus interdixerunt vsum Cruciatæ quoad illa duo. Idem tenet Candelabrum aureum in verbo *absolutio* concl.2. vbi dicit quod Doctores Salmanticenses de hoc consulti, dixerunt non posse Religiosos virtute Cruciatæ eligere confessorem, neque absolui à reseruatis. Denique idem tenet Ludouicus de Beia *in suis responsionib.moral.* 3.*p. casu* 16. vbi etiam id probat validis fundamentis, & adducit alias multas Bullas diuersorum Pontificum. Adducit idem Pater Beia aliam declarationem Cardinalium missam ad Episcopum Caieta, in qua Cardinales idem declararunt, quam etiam citat Capucinus ad compendium verbo *casus reseruati*, folio 150. Tandem addit ibidem Beia, quod ius antiquum

nunquam concessit Religiosis ea quæ sunt contra regularem obseruantiam, qualis est libertas confitendi extra ordinem, & absolui à reseruatis quoties libeat. Facit vltimò pro omnibus Religionibus vt nõ possint vti Cruciatâ quoad illa duo, nam Ioannes XXII. in Extrauaganti *Inter cunctas*, de priuilegiis, prohibet ne Religiosi, qui per priuilegium vel statuta Ordinis tenentur confiteri cum Confessoribus Ordinis, possint eligere alium Confessorem. At illa Extrauagans est ius commune, vt patet, & Bulla Cruciatæ non derogat iuri communi nisi illud exprimat, quod non exprimit.

CASVS VI.

An publicato Iubilæo generali, possit illum lucrari qui non habet Bullam Cruciatæ.

NOmine Iubilæi intelligo vel illum qui publicatur anno vigesimoquinto transacto, qui dici solet Iubilæus magnus; vel etiam illum, qui publicatur à Summo Pontifice initio suæ creationis, vel instante aliqua graui necessitate communi totius Ecclesiæ, qualem publicauit D. Papa Vrbanus VIII. anno 1630. mense Iunio pro graui necessitate tunc vrgente. Quo Iubilæo tunc publicato, Commissarius Cruciatæ promulgauit edictum per quod declarauit prædictum Iubilæum non posse lucrari illum, qui careret Bullâ Cruciatæ: de quo satis tunc controuersum fuit. Et quod dicta declaratio Commissarij, vera, & valida fuerit, &

& quod Iubilæus non acquiratur ab illo qui caret Cruciatâ. Probatur primò, quia prædictus Commissarius ex concessione Bullæ Cruciatæ habet authoritatem suspendendi omnes alias indulgentias extra Cruciatam concessas: habet item authoritatem à Papa declarandi omnes difficultates circa Cruciatam emergentes. At dictus Commissarius singulis annis in publicatione Cruciatæ authoritate Apostolica suspendit omnes alias indulgentias extra Bullam Cruciatæ concessas: ergo indulgentiæ cuiuscumque Iubilæi manent suspensæ pro illo anno ita vt non possit illas consequi carens Bullâ Cruciatæ. Secundò, quia priuilegia Cruciatæ conceduntur per modum contractus, vt probat Sanchez *lib.*8. *de Matrim.disput.*32.*num.*9. cum aliis ibi citatis. At Papa in Bulla Cruciatæ concedit Commissario priuilegium suspendendi indulgentias absolutè: ergo iste quasi contractus Cruciatæ non potest dissolui à Papa per concessionem alterius indulgentiæ extra Cruciatam: tunc enim fraudarentur redditus Cruciatæ, cum læsione Regis Hispaniæ, qui ex redditibus Cruciatæ soluit magnam pensionem singulis annis Summo Pontifici.

1 Hoc non obstante, dico, quod tempore cuiuscumque Iubilæi generalis publicati, poterit illius indulgentias, & gratias lucrari etiam ille, qui non habuerit Bullam Cruciatæ. Probo primò, ex duabus clausulis positis in dicto Iubilæo. Prima est, quando in fine Bullæ incipit ponere, non obstantias, sic habet: *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, per quas facultas absoluendi in certis casibus in illis expressis, tali modo reseruatur Pontifici Romano, quod nec similes, vel dissimiles concessiones Iubilæi, indulgentiæ, facultates, nequeant alicui proficere, nisi facta expressa illarum*

derogatione. In quibus verbis Papa clarè, & expresſè concedit, quod poſſit lucrari iſtum Iubilæum, non obſtante quauis derogatione Apoſtolica, quamuis in illa dicatur, quòd non valeant gratiæ, & facultates alicuius Iubilæi : quod non dicitur in Bulla Cruciatæ, cum ſuſpendit indulgentias alias. Imò licet Commiſſarius Cruciatæ in ſua ſuſpenſione diceret, ſe ſuſpendere omnes facultates, & indulgentias etiam Iubilæi futuri; hoc non obſtante poſſunt illum lucrari etiam carentes Cruciata ob clauſulam ſupradictam, dicentem, quod poſſint illum lucrari, non obſtante quacunque reuocatoria cuiuſuis Iubilæi. Secunda clauſula iſtius Iubilæi, per quam id ipſum probatur, ponitur in verbis proximè ſequentibus poſt ſuprà citata verba eiuſdem Bullæ, ſiue Iubilæi, dum ſic dicitur: *Quæ omnia, & ſingula illorum, & quauis alia contraria, hac vice nominatim, & expreſsè ad effectum præſentium litterarum derogamus, &c.* Quo nihil clariùs dici potuit ad intentum. In his enim verbis ait Papa, quod ad lucrandum iſtud Iubilæum derogat omne illud quod poterat illius lucrationem impedire. Dato igitur quod ſuſpenſio gratiarum, indulgentiarum, & facultatum facta per Commiſſarium Cruciatæ eſſet contraria iſti Iubilæo, abrogata & ſuſpenſa maneret per clauſulam ſecundam proximè dictam. Secundò probatur, ex *reg. 61. de Regul. iuris in 6.* quæ dicit : *In conceſſione generali non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Vbi gloſſa verbo, *Generali*, multa dicit ad intentum : maximè quod in generalibus, & in dubiis inſpicimus illud quod eſt veriſimile, de quo ponit exempla. Quamuis ergo Papa in Bulla Cruciatæ concedat Commiſſario Cruciatæ generalem licentiam ſuſpendendi indulgentias, facultates, & gratias extra

extra Cruciatam concessas fidelibus; in hac concessione generali non est credendum quod illi Papa concedat vt possit suspendere gratias, & indulgentias futuri Iubilæi quem Papa postea pro grauissima Ecclesiæ necessitate concedere voluerit, hoc enim esset Papam sibi manus arctare; & præterea inde sequerentur inconuenientia mox dicenda.

2 Consonat prædictæ regulæ generali, id quod tradit Nauar. *lib.3. consil. tit. de Relig. domibus consil.6. n.3.* vbi citans quamdam glossam, quam dicit singularem, & communiter receptam, inquit, quod *illud pro lege habendum est, quod legislator statuisset, si cùm legem faceret id illi propositum fuisset.* At constat, quod si Papa, quando concessit Commissario Cruciatæ licentiam suspendendi indulgentias extra Cruciatam, interrogaretur, an etiam id illi concederet pro tempore Iubilæi futuri ab ipso Papa postea concedendi, vtique diceret Papa, non esse mentem suam tale concedere, cum suæ libertatis coarctatione: ergo id Papa non concedit in concessione facta Commissario. Nunc addo rationes, & claras coniecturas, ob quas credendum non est Papam concedere Commissario Cruciatæ, vt tempore Iubilæi futuri possit suspendere gratias Iubilæi quoad illos qui non habent Bullam Cruciatæ. Prima est, quia Papa hoc Iubilæo, ait, cupere se, vt omnes fideles Christiani participent hunc pretiosissimum thesaurum, ideoque illis concedere tale, & tale: & exprimit statim omnes, & singulos status fidelium; homines scilicet, mulieres, ecclesiasticos & sæculares, & regulares. Si ergo Papa cupit quod omnes, & singuli cuiuscunque status Iubilæum lucrentur, non est credendum quod eiusdem Iubilæi assecutionem arctet, ad solos habentes Bullam Cruciatæ, cùm sciat non om-

nes illam posse recipere, cùm multi sint in Ecclesia pauperes, multique Religlosi, qui propter inopiam, & propter sua statuta non possunt dictam Cruciatam accipere; & sic deessent illi necessitati Ecclesiæ pro qua Iubilæus conceditur, orationes, & suffragia tot pauperum, & Religiosorum: quod est contrà, vel præter intentionem Summi Pontificis. Secunda coniectura est, quia Papa in hoc & aliis Iubilæis dispensat vt possint illud lucrari illi, qui aliàs sunt impediti ad facienda illa, quæ in eo iniunguntur, quale est ieiunare, dare eleemosynam, &c. dummodo illa per Confessorem commutentur in alia opera pia. Ergo clarè Papa innuit quod sua sit intentio, quod pauperes qui non habent pecuniam pro danda eleemosyna ad Cruciatam comparandam possint nihilominus lucrari prædictum Iubilæum non obstante impedimento paupertatis. Tertia coniectura est: nam si Papa in Bulla Cruciatæ concedit quod possit illam obtinens lucrari indulgentias stationum Romæ, illas non exprimendo: quomodo credendum est nolle Papam vt indulgentiam plenariam Iubilæi magni concessi pro bono communi toto Ecclesiæ, assequatur is qui caruerit Bulla Cruciatæ.

3 Quod verò hæ coniecturæ faciant probationem sufficientem in re morali, probatur ex eo quod argumentum à coniecturis habet vim ad probandum in re morali, vt patet etiam ex sacra Scriptura. Nam Act. 2. in die sanctissima Pentecostes, cùm Apostoli pleni Spiritu sancto loquerentur mirabilia, ob quæ Iudæi arbitrati sunt, illos ebrios esse: D. Petrus probauit coram Iudæis Apostolos non esse ebrios, quia in illa hora, quæ erat hora tertia diei, non solebant Iudæi manducare, neque bibere: & ideo Apostoli in illa hora

hora tertia, non debuerant iam manducasse, & bibisse: quod argumentum, vt patet, fundatum fuit in coniectura. Sufficient ergo tres coniecturæ superiùs adductæ ad probandum non esse mentem Papæ quod Commissarius Cruciatæ in suspensione generali suspendat etiam indulgentias, & gratias Iubilæi magni in posterum à Papa concedendi, & quod illud lucrari nequeat carens Bulla Cruciatæ. Vltimò pro maiori adhuc probatione facit, quod cum idem D. Papa Vrbanus VIII. post illius Iubilæum primum anno 1630. publicaret alium Iubilæum generalem anno 1632. pro alia necessitate Ecclesiæ, & Commissarius Cruciatæ etiam tunc per edictum publicum declarauerit ad illud assequendum necessarium esse quod quicunque haberet Bullam Cruciatæ, capitulum Cathedralis Ecclesiæ tunc sede vacante per edictum publicum affixum ad valuas Ecclesiæ Cathedralis, declarauit oppositum, dicens, posse prædictum Iubilæum assequi etiam illos qui non haberent Bullam Cruciatæ. Et addit capitulnm in suo edicto circa hoc extare declarationem eiusdem D. Vrbani VIII. idem sic declarantis.

4 Ad primum argumentum in oppositum dico, quod Commissarius Cruciatæ habet authoritatem suspendendi indulgentias præteritas iam concessas à Summis Pontificibus, non verò ad suspendendas, vel impediendas indulgentias vel facultates futuras, quas Papa in posterum voluerit concedere extra Cruciatam, quia hoc esset ligare manus Pontificis. Et eodem modo intelligendum est habere Commissarium authoritatem declarandi dubia Cruciatæ, videlicet circa indulgentias præteritas, non futuras. Itaque illa concessio Papæ facta Commissario sic est interpretanda:

tanda: Concedo tibi vt possis suspendere omnes indulgentias præteritas, exceptis illis, quas ego in posterum voluero concedere pro aliqua necessitate. Quod verò ista exceptio debeat intelligi in illa concessione generali Papæ, constat ex duabus regulis suprà positis, quæ dicunt, in concessione generali non condi illa, quæ concedens non concederet si de illis specialiter fuisset interrogatus: & ex alia regula dicente, illud habendum esse pro lege, quod legislator responderet, si illi propositum fuisset cùm legem condidit.

5 Ad secundum argumentum dico, inter Papam & Regem non intercedere contractum onerosum, quando Papa illi concedit redditus Cruciatæ, vt satis clarè, & efficaciter suprà manet probatum *casu 4. à num. 1. vsque ad num. 5.* in quo numero 5. in speciali probaui, quod licet inter Papam & Regem daretur talis contractus, posset nihilominus Papa prohibere, ne Religiosi Bullam Cruciatæ reciperent, licèt in hoc aliquantulum redditus Cruciatæ minuerentur erga Regem, cùm illa diminutio cedat in bonum commune Religionum. Quod maiori de causa locum habet in nostro casu, nam ob bonum commune totius Ecclesiæ, potest Papa concedere Iubilæum, quem lucrari possint etiam illi, qui non habent Bullam Cruciatæ, quamuis in hoc redditus Cruciatæ aliquantulum minuerentur: maximè cùm ista læsio sit valde modica, vtpote concessa pro vno tantum die. Confirmatur ex his quæ tradit Suarez *tom. de legibus lib. 8. cap. 37. num. 5.* vbi ait quod in casu raro poterit princeps (potens aliàs disponere de rebus subditi) reuocare priuilegium datum subdito per modum contractus. Imò addit ibidem Suarez, quod quando princeps

pro

pro casu raro, & valde necessario reuocat priuilegium datum subdito per modum contractus, illud in rigore non est derogatio, sed declaratio, qua princeps declarat non fuisse mentem suam extendere suum priuilegium præteritum ad casum præsentem rarum, & necessarium, quia à principio intelligitur illa conditio in priuilegio inclusa. Sic Suarez, quo nihil clarius ad intentum dici potuit.

6 Posito quod tempore Iubilæi possint illius indulgentias lucrari non habentes Bullam Cruciatæ. Quæris, an è contra publicato Iubilæo quandiu ille durat suspendantur indulgentiæ, & priuilegia Cruciatæ, ita vt Bullam habentes non gaudeant illius priuilegiis pro tempore Iubilæi? Respondet Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disput.* 33. *num.* 10. *& seqq.* per Iubilæum non suspendi indulgentias Cruciatæ, pro quo citat Henriquez, & Rodriguez, & addit quod sic fuit postea declaratum à D. Clemente VIII. dicente per suum Iubilæum non intendisse suspendere indulgentias, & facultates Cruciatæ.

CASVS VII.

De secunda indulgentia contenta in Bulla Cruciatæ post medium annum à sumptione illius.

Concedit Papa in Bulla Cruciatæ, quod dans eleemosynam ordinariam pro sustentatione locorum Africæ lucretur vnam indulgentiam plenariam in principio anni; deinde si post sex menses à Bullæ sumptione

ptione det dimidium consuetæ eleemosynæ, lucretur aliam indulgentiam plenariam. Vltra has duas indulgentias concedit Papa statim pòst, quædam indulta quæ non sunt indulgentiæ, sed quasi priuilegia, verbi gratia, primò, vt tempore interdicti possint Missam audire. Secundò, vt possint absolui à censuris, & casibus reseruatis. Tertiò, vt possint illis certa vota commutari. Quartò, vt de debitis incertis possint facere compositionem. Vltimò, vt possint liberè comedere oua, & lacticinia in diebus aliàs vetitis.

Hoc posito exortum est dubium, an is qui in principio anni dedit consuetam eleemosynam, lucratúsque fuit primam indulgentiam plenariam, sed post sex menses non dedit illam dimidiam eleemosynam, nec proinde lucratus est secundam indulgentiam recipiens Bulletum paruum: an iste talis post illos sex menses à prima Bullæ sumptione possit vti illis quinque priuilegiis vsque ad finem anni, videlicet absolui à censuris reseruatis, &c. An verò ista priuilegia perdiderit in medio anni, cùm primùm noluit accipere Bulletum paruum dando dimidiam eleemosynam?

1 Audiui aliquos sensisse, quod iste talis, qui in dimidio anni non dat dimidium eleemosynæ, nec recipit Bulletum paruum, statim exinde amittit illa quinque priuilegia, ita vt non possit post mediam partem anni absolui à reseruatis, comedere oua, &c. Horum rationes non vidi. Fortasse id sibi persuadent, quia Commissarius Cruciatæ singulis annis in dimidio anni per edictum publicum monet fideles transactum esse dimidium anni, & esse tempus sumendi secundum Bulletum pro secunda indulgentia. Quæ Commissarij admonitio videtur innuere, quod illa quinque priuilegia Cruciatæ iam cessarint habenti

Bullam

Bullam magnam, nisi accipiat Bulletum paruum.
2 Hoc non obstante, credo quod qui in principio anni suscepit Bullam dans consuetam eleemosynam, & tamen post sex menses non dedit dimidiam eleemosynam, nec sumpsit Bulletum paruum, iste talis non est quidem assecutus secundam indulgentiam: sed tamen non amisit illa quinque priuilegia pro secundis sex mensibus, sed poterit vsque ad finem anni illis gaudere, quoad absolutionem à censuris, votorum commutationem, & similium. Probo hoc, quia Bulla in primo, & secundo §§. id non declarat, neque innuit, quod ad assequenda illa quinque priuilegia, siue facultates, necessarium sit dare post sex menses dimidiam illam eleemosynam sumendo Bulletum paruum: quando verò lex non distinguit, neque nos debemus distinguere, vt dicitur in lege, *neque nos distinguemus ff. de recept. qui arb.* & in materia tam graui debebat Papa admonere fideles, dicendo quod ad assequenda illa quinque priuilegia Bullæ tenebantur omnes sumere Bulletum, dando dimidiam eleemosynam in medio anni. Primò hoc colligitur ex verbis ipsius Bullæ, in qua postquam Papa ait se concedere illas duas indulgentias, incipiens concedere alia quinque priuilegia Bullæ, quæ non sunt indulgentiæ, ter, vel quater ait, quod illis priuilegiis gaudebunt, *Durante eodem anno.* Concedit ergo Papa quod dicta quinque priuilegia durent toto anno illi qui accepit Cruciatam, & dedit consuetam eleemosynam pro prima indulgentia. Si verò quis dicat, clausulam positam in fine Bullæ Papalis referendam esse ad omnia antecedentia: & sic illa verba, *Durante anno*, debere referri, & intelligi, dummodo recipiat vtramque indulgentiam. Respondeo prædicta verba, *Durante anno*, non poni

poni in fine Bullæ, sed in medio. Item prædicta verba non sunt clausula Bullæ, sed solùm declaratio, & noua concessio. Dico secundò non semper clausulam positam in fine referri ad omnia antecedentia, vt ait Nauar. *in commentario de spolijs clericorum* §.10. *num.* 3. Item prædicta verba, *Durante anno*, non ponuntur vt conditio, si nempe recipiant ambas indulgentias: sed ponuntur absolutè tanquam noua concessio. Secundò hoc ipsum colligo ex aliis verbis eiusdem Bullæ in fine, vbi loquens cum dante eleemosynam primam, & ordinariam, dicit: *Et si quidem tu Fullane dedisti eleemosynam duorum, vel vnius denarij, poteris gaudere prædictis indulgentijs in forma prædicta.* Vbi per verbum *indulgentiæ* necessariò debent intelligi cætera priuilegia Bullæ. Et statim addit hæc verba: *Quod si volueris etiam lucrari Iubilæum sex mensium, dabis eleemosynam vnius, vel dimidij denarij.* In quo notentur duo verba. Primum est, *Quod si volueris etiam.* verbum enim, *Etiam*, id est vltra primam indulgentiam cum suis priuilegiis supra positis, *dabis*, &c. In quo clarè supponit quod dando primam eleemosynam lucratur primam indulgentiam cum suis priuilegiis durante toto anno, licet non lucretur secundam indulgentiam sex mensium, nisi dederit dimidium denarij. Secundò pondero illud verbum: *Quod si volueris lucrari Iubilæum*, idest secundum. Considero inquam verbum illud *Iubilæum.* Nam verbum Iubilæum, non significat priuilegia sed solam indulgentiam, quæ nimis differt à priuilegio, vt constat. Cùm ergo Bulla solum dicat, quod pro assequendo secundo Iubilæo dabitur dimidium denarij, non loquitur pro assequendis aliis priuilegiis Cruciatæ, supponit enim Bulla hæc non fuisse amissa ab habente Bullam qui soluit primam,

& consue

& consuetam eleemosynam. Vltimò id probo exemplo: nam si aliquis testator alicui personæ relinquat duo legata fauorabilia cum certis obligationibus, vel conditionibus, si talis persona renuntiat alteri ex illis legatis, non ideo censetur renunciare alteri legato, vel illud amittere: quod potest ad casum præsentem applicari. Nam concedit Papa in Bulla duas indulgentias distinctas, vnam in principio anni, alteram post sex menses. Si ergo quis renuntiet secundæ indulgentiæ, videtur quod non ideo amittet priorem indulgentiam cum suis annexis priuilegiis, maximè cùm vna indulgentia sit independens ab alia, neque Papa ad secundam obliget.

CASVS VIII.

De venditione cuiusdam agri cum circumstantia vsuræ.

PEtrus vendidit Ioanni quemdam cãpum valde fructiferum: pretium inter ambos conuentum fuit, nouem millia ducatorum *de iuro* (vt vocant,) cum declaratione & pacto, quod ipse Petrus dominus retineret apud se campum, & fructus illius, quoad vsque Ioannes in integrum sibi solueret prædicta nouem millia ducatorum *de iuro.* Ioannes soluit Petro statim in principio venditionis quatuor millia ducatorum *de iuro* cum suis redditibus annuis, sub titulo emptionis: & quod residuum, solueret proximè pòst cùm posset. Retinuit Petrus prædictum campum cum suis fructibus, & dicta quatuor millia ducatorum *de iuro*, cum suis redditibus per spatium septemdecim annorum,

eo quod Ioannes nondum ſoluerat quinque millia ducatorum *de iuro*, quæ promiſerat. Quæ quinque millia Petro non ſunt ſoluta à Ioanne, quia Ioannes incidit caſu in magnam paupertatem: & ſibi ſunt confiſcata bona ſua à Rege propter delictum ſibi impoſitum, & ideo non potuit ſoluere Petro illa quinque millia, quæ reſtabant: neque ſpes eſt vt tam citò poſſit illa ſoluere.

1 Quæritur primò, an Petrus potuit in conſcientia per annos ſeptemdecim retinere, ac poſſidere prædictum campum cum fructibus ſuis, & ſimul retinere quatuor millia ducatorum, quæ vocantur *de iuro*, cum redditibus ſuis. Redditus verò quatuor mille ducatorum *de iuro*, ſingulis annis accedunt ferè ad centum quinquaginta ducatos auri.

2 Secundò quæritur, an, ſi hodie Ioannes, eo quod ob inopiam non poteſt ſoluere quinque millia ducatorum reſtantia, voluerit reſcindere contractum venditionis, ſit audiendus: an verò debeat amittere quatuor millia ducatorum *de iuro*, quæ iam dedit, & hoc etiam in foro interno & externo?

3 Tertiò quæritur, an dato quod in foro externo dubium ſit an poſſit prædicta venditio reſcindi, & recuperare quatuor millia, quæ iam dedit; ſaltem in foro conſcientiæ teneatur Petrus dominus agri reddere Ioanni quatuor millia ducatorum *de iuro*, quæ iam recepit cum redditibus ſuis?

Reſponſio ad primum quæſitum.

4 AD primum quæſitum dico, quod Petrus ſecurâ conſcientiâ potuit à principio retinere campum cum fructibus ſuis,& ſimul retinere quatuor

millia

millia ducatorum cum redditibus suis vsque dum Ioannes integrum pretium solueret. Ista conclusio est Nauarri *in consilio 5. de vsuris num. 5.* cum aliis quos ibi citat. Eandem tenet Valerus Cartuxanus in lib. *de differentijs vtriusque fori*, verbo *vsura*, differ. 12. §. *Sed salua pace.* Probatur hoc per duas leges, quarum alteram citat Nauar. citato loco, quæ est lex vltima *titulo de fund. dot. §. fin.* Altera lex citatur à Cartuxano citato loco, quæ est lex *fistulas, §. qui fundum. ff. de contrah. emptione.* Et facit pro eodem intento cap. *Salubriter,* de vsuris, in quo decernitur, quod quando socer promisit genero certam dotem pecuniariã; & quia in præsenti non habet socer pecunias, assignat genero campum tanquam pignus dotis pecuniariæ: potest talis gener retinere prædictum campum cum fructibus suis quoad vsque non soluat pecuniam sibi promissam. Idem euenit in casu præsenti, in quo Ioannes promisit nouem millia ducatorum pro pretio istius campi cum pacto quod Petrus retineret campum cum fructibus suis quoad vsque solueretur integrum pretium: & proinde poterit retinere dictum campum, & fructus illius quoadvsque sibi soluatur integrum pretium. Nam quamdiu campum non tradidit Ioanni, dominium campi manet apud Petrum. Res autem vbicunque est, fructificat domino suo, vel perit domino, vt communis opinio Theologorum, & Iuristarum tenet. Et ad maiorem claritatem casus, noto cum Nauarro citato loco, quod iste Petrus non retinuit istum campum cum fructibus ratione lucri cessantis, aut damni emergentis: quia illi non cessauit aliquod lucrum, neque obuenit aliquod damnum, vt patet: imò accreuit lucrum, cùm fructus campi retineat, & simul possideat redditus quatuor millium ducatorum

de iuro. Neque item Petrus retinet campum cum fructibus ratione dilatæ solutionis præcisæ, id enim esset vsura: sed retinet nos fructus & partem pecuniæ iam solutæ quasi pignus pecuniæ adhuc sibi non solutæ, ad quem finem citat Nauarrus Bartolum, & Baldum, & quandam legem iuris ciuilis, quæ apud illum videri potest. Idem tenet Azor *tom.3.lib.8.cap.16. q.2.* in verbis vltimis citatæ quæstionis.

5 Et quamuis Comitolus *lib.3. Responſ. Moral.q.18.* & frater Ludouicus de Beia *in fine secundæ partis dubitatione 2.* cum aliis ibi citatis, dicant, non posse venditorem percipere aliquod pretium, nec imponere emptori pensionem, quam soluat, donec soluat totum pretium rei venditæ: hi tamen Doctores loquuntur in casu dissimili, videlicet quando venditor constituto pretio venditionis, rem venditam statim tradidit emptori, expectans integram solutionem. In hoc enim casu non potest illi imponere pensionem ob dilatam solutionem, iam enim id esset vsura. Et præterea, cum iam rem venditam tradiderit emptori, iam fructus rei venditæ sunt emptoris: quia, sicut suprà diximus, res vbicunque est, fructificat domino suo. Et in nostro casu, Petrus nondum tradidit campum Ioanni, sed retinet dominium illius: & ideo fructus sunt Petri, non verò Ioannis, quia nondum habet dominium, & possessionem campi.

Responsio ad secundum quæsitum.

6 AD secundum quæsitum, videtur dicendum, quod si Petrus hodie voluerit rescindere venditionem eo quod non possit soluere quinque millia ducatorum, quæ desunt ad integram solutionem pretij,

tij, debet amittere quatuor millia ducatorum quæ iam soluerat pro principio solutionis, seu tanquam arrham solutionis. Sic enim videtur decernere lex istius regni *lib.* 4. *Ordinat. tit.* 2. §. 3. vbi decernitur quod postquam venditio facta est ex consensu ambarum partium, non poterit postea alter illorum pœnitere vel retrocedere. Si verò aliquis pœniteat, & iam partem pretij soluerat, amittet id quod antea iam dederat in pœnam suæ inconstantiæ. Et hoc magis locum habebit in isto nostro casu, si in isto contractu venditionis agri, fuit apposita clausula, quod non soluente Ioanne dicta quinque millia ducatorum restantia in termino ibi præfixo, amitteret Ioannes quatuor millia ducatorum *de iuro*, iam tradita pro initio traditionis: tunc enim esset pœna conuentionalis, quæ potest apponi contractibus, sicut Doctores communiter, & praxis obseruant. Et quamuis in hoc contractu non esset apposita prædicta pœna conuentionalis, videtur quod debuit amittere quatuor millia ducatorum iam tradita per aliam legem Portugalliæ *eodem lib.*4. *Ord. tit.*8.§.2. vbi dicitur, quod si propter culpam venditionis, qui non tradidit rem venditam, damnum aliquod res vendita pateretur, manebit venditor obligatus pro damno secuto emptori ob culpam suæ moræ in re vendita tradenda. Ergo à simili, si per culpam emptoris in non tradendo pretio constituto aliquod damnum emptor passus fuerit, sibi debet imputari ob moram solutionis integri pretij, in quo damnum aliquod venditori Petro dedit. Nam si Petrus haberet integrum pretium venditionis, & iam tradidisset agrum venditum, non maneret obnoxius sterilitatibus temporis, & quietiùs viueret ob recuperationem reddituum agri, in qua debebat expen-

ſàs facere, quas non faceret in recuperatione redditum nouem millium ducatorum *de iuro*, ſi illa quietè poſſideret.

7 Quo non obſtante, Dico quod Ioannes hodie licet velit reſcindere venditionem,eo quod ſoluere non potuerit reſiduum pretij, non debet amittere quatuor millia ducatorum, quæ iam ſoluit, ſed poteſt illa petere in iudicio. Hæc concluſio non poteſt melius probari, quàm reſpondendo ad obiectiones proximè poſitas. Ad primum igitur dico, quod lex Portugalliæ *lib*. 4. *tit*. 2. non eſt contra nos. Nam ibi clarè loquitur lex de illo qui pœnituit poſt venditionem, vel emptionem finitam,& perfectam: at in iſto caſu,venditio non eſt perfecta, neque finita, ſed eſt ſuſpenſa quoadvſque Ioannes ſoluat integrum pretium nouem millium ducatorum,tunc enim concluditur venditio. Sic tenet Cartux. *cit*. §. *Sed ſalua pace*; & citat ad hoc legem *quod ſi neque* 14. ff. *de peric. & commodo rei venditæ*, cum gloſſa ibidem. Et hoc præcipuè locum habet in iſto caſu, quia in hac venditione vſque hodie non eſt facta ſcriptura publica venditionis, etiam ex conſenſu Petri, & Ioannis: quod eſt clarum ſignum eos noluiſſe venditionem perficere vſque dum pretium totum ſolueretur. Lex verò illa Portugalliæ dicit quod non potuerunt pœnitere poſt venditionem perfectam. Hoc expreſsè tenet Rabello *lib.9. de contract. quæſt*.1. *ſect*.2. *num*. 9. vbi ait quod ſi contrahentes intendant perficere contractum per ſcripturam, contractus cenſebitur perfectus, donec fiat ſcriptura, licet in pretio conueniant ante ſcripturam: & citat vnam legem iuris ciuilis, aliam Portugalliæ, aliam Regni Caſtellæ. Ad ſecundum argumentum, ſiue exemplum pœnæ conuentionalis.

nalis, dico quod licet in hoc contractu fuisset apposita pœna conuentionalis (de quo mihi non constat) vt Ioannes non soluens termino statuto, amitteret quatuor millia ducatorum iam soluta; hodie Ioannes illa non amittet, siquidem ob paupertatem inopinatam quam incurrit, soluere non potuit : & sic non potens soluere, & carens culpa, non incurrit pœnam, quia vbi non est culpa, non exigitur pœna. Sic tenet expresse Rebello *lib.*8. *de contract. q.*9. §. *Addidi.* & Nauar. *in sum. cap.* 17. *num.* 215. in alia simili materia, videlicet in mutuo, dicens quod si mutuans fecit pactum cum mutuatario, vt si mutuatarius non solueret mutuum in termino assignato, teneatur soluere certam pœnam conuentionalem. Ait Nauarrus, quod si mutuatarius non soluit in termino præfixo propter inopiam, in quam incidit, non tenetur ad illam pœnam soluendam. Idem tenet Reginaldus *tom.*2. *lib.* 25. *num.* 230. Quod probatur clarè ex cap. *significante*, de pignoribus, & melius ex cap.2. *de constit.* vbi Papa citat in textu regulam illam iuris, quæ dicit : *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.* Pro quo ibi glossa multa congerit in verbo, *Culpa caret.* At in nostro casu Ioannes non soluens restantia quinque millia ducatorum, propter inopiam quam incurrit, caret culpa : ergo non debet illam pœnam amittendi quatuor millia ducatorum iam tradita. Ad tertium exemplum de secunda lege istius Regni citata, quæ dicit venditorem teneri ad resarciendum damnum resultans ex mora quam habuit in tradenda re vendita. Respondeo primò sicut respondi proximè ad exemplum pœnæ conuentionalis, quæ non debetur, quando ob impotentiam inopiæ solutio fieri non potuit à debitore; est enim

eadem ratio in non soluenda illa pœna conuentionali propter inopiam, atque in isto casu non soluendi damnum resultans ex mora non tradendi rem venditam, vel ex non soluendo statim totali pretio propter inopiam superuenientem. Et debet intelligi lex illa, quando mora tradendi rem fuit culpabilis, secus si non fuit culpabilis.

Dico secundo ad idem argumentum, quod illa damna, quæ ibi dicitur Petrus incurrisse ob dilatam solutionem quinque millium ducatorum, non fuerunt damna in rigore, imò Petrus lucrum magnum inde reportauit. Nam per annos decem, & septem possedit redditus quatuor millium ducatorum, quæ iam recepit, qui redditus per illud tempus plus valent, quàm duo millia ducatorum auri, & simul possedit redditus, seu fructus sui agri, & sic non damnum, sed potius lucrum, & commodum magnum sensit. Et hæc responsio, & probatio magis confirmata manebit ex proximè dicendis in solutione, vel responsione ad 3. quæsitum.

Responsio ad 3.

8 AD tertium quæsitum dico, quod siue venditio rescindatur in foro externo, siue non, Petrus in foro conscientiæ tenetur restituere Ioanni quatuor millia ducatorum quæ iam recepit, & simul tenetur restituere redditus illorum quos recepit singulis annis ex illis quatuor mille ducatis. Sic expresè tenet Nauarrus *citato consilio 5. de vsuris, num. 5.* vbi ponit hæc verba: *Quando venditor rei, accepta parte pretij retinet illam cum suis fructibus, donec totum pretium soluatur, iuxta legem Iuliam, emptor debet*

debet habere partem fructuum pro rata partis pretij soluti iuxta legem memorabilem, &c. Et paulò pòst subiungit sic : *Venditor qui iam accepit partem pretij , & retinet fructus rei venditæ , quasi pignus , fructus quos recipit quoad illam partem pretij iam soluti, debet restituere :* quo nihil clarius dici potuit. Et citat Nauarrus Baldum, & Salicetum. Idem docet Reginaldus *citato lib.* 25. *num.* 230. §. *Aduertendum est secundò :* vbi citans, & sequens Nauarrum in alio loco Sum. Latinæ , ait , quod si inter mutuantem , & mutuatarium pactum fuit , quod non soluente mutuatario in termino præfixo teneretur ad soluendam certam pœnam conuentionalem : si tamen mutuatarius ante terminum præfixum soluit partem pretij , & in termino assignato non soluit pretium restans : in tali casu mutuatarius transacto termino non debet soluere totam pœnam impositam : sed de illa pœna detrahenda est pars illa quæ respondet parti pretij iam soluti. Eodem modo, quamuis in nostro casu apposita fuerit pœna conuentionalis Ioanni non soluenti in termino assignato : cùm tamen iam Ioannes in principio soluerit ferè dimidium pretij taxati, non debet amittere illud dimidium pretij, neque partem fructuum illi pretio soluto respondentem. Probat hoc Nauarrus *citato consilio* 5. quia nemo debet cum aliena iactura locupletari, iuxta legem *iure naturæ, ff. de Regul. iuris*, & cap. *Locupletari , de Reg. iuris in 6.* At si rescissâ istâ venditione de qua agimus, Petrus non teneretur restituere quatuor millia ducatorum iam recepta , & redditus illius , Petrus valde locupletaretur cum magna iactura Ioannis ; ergo Petrus tenetur ad illa prædicta restituenda : cum enim nihil perdiderit de fructibus sui campi, acqui-

ſiuit quatuor millia ducatorum *de iuro* cum redditibus ſuis per annos ſeptemdecim. Hoc fundatur in illa doctrina communi Theologorum, & Iuriſtarum dicentium: Quod ſi ego recepi aliquam rem bona fide, quæ tamen erat aliena; poſtquam cognoui illam eſſe alienam, teneor reſtituere rem, & fructus extantes propter quos factus ſum ditior. Sic docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.62. art.6.* Cajetanus, Sotus, Cauar. & Nauar. quos citat & ſequitur Rabello *lib.2. de reſtit. quæſt. 3. num. 1. & ſequentibus*, pro quo adducit exempla. At Petrus factus eſt ditior cum quatuor mille ducatis iam receptis, & hi extant, cum ſint *de iuro*: ergo illos debet reſtituere ſi venditio reſcindatur, vel ſi Petrus reliqua ſoluere non potuerit.

9 Quod verò hæc quatuor millia ducatorum iam ſoluta, ſint hodie Ioannis, illorúmque dominium non amiſerit, probatur, quia Ioannes hæc non dedit Petro gratis, vt patet, neque abſolutè, ſed ſub conditione, ſi venditio perficeretur, quæ tamen venditio non habuit effectum: donatio verò conditionalis, ſeu contractus conditionalis non obligat conditione non ſecutâ, vt communis Doctorum tenet opinio.

10 Probo inſuper id ipſum, quia, vt ſuprà dixi *in hoc caſu* 8. *num.*4. ex Nauarro, Petrus qui recepit illa quatuor millia ducatorum in partem pretij illa retinuit non ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis; ſed illa recepit, & retinuit tanquam pignus reliqui pretij nondum ſoluti, vt ait Baldus, & Bartolus, & lex ibi citata à Nauarro, & Azor quem ibi citaui. At iſta quatuor millia ducatorum *de iuro* recepta in pignus, ſunt fructifera, vt patet, cùm ſingulis

ſingulis annis mille ducatos *de iuro* valeant ad minus quadraginta ducatus reddituum. At conſtat ex Doctoribus quod creditor non poteſt retinere fructus pignoris fructiferi, niſi fortè ratione expenſarum quas fecit in conſeruando pignore: vt probat Rabello *lib.*8. *de vſuris* 2. *p. quæſt.* 21. *num.* 2. niſi fortè illos fructus recipiat ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: quæ duo Petro venditori non acciderunt, cùm neque illi ceſſauerit lucrum, neque aliquod damnum acciderit, vt ſuprà vidimus: ergo prædicta quatuor millia ducatorum recepta in pignus tenetur reſtituere cum redditibus illorum venditione non ſortitâ effectum. Confirmatur id ipſum, quia Ioannes ſoluens illa quatuor millia ducatorum, pro initio ſolutionis acquiſiuit ius ad illam partem campi reſpondentem partiali pretio à ſe ſoluto: ergo ſi venditio reſcindatur, tenebitur Petrus ſaltem reſtituere Ioanni, vel quatuor millia ducatorum iam recepta, vel partem campi reſpondentem illi pretio iam ſoluto: aliàs committeretur clara iniuſtitia.

11 Hanc ſententiam defendit Farinacius *tom.* 1. *deciſion. Rotæ Romanæ, deciſion.* 50. *num.*9. dicens, & probans ex lege *Curabit* Cod. *de act. empti*, dicens quod impoſſibile eſt quod quis ſimul cum re habeat pretium rei: in hoc verò caſu Petrus habet rem, ideſt, campum, & ſimul habet dimidium pretij. Idem tenet Reginaldus *citato lib.*25. *num.*298. §. *Nota* 2.

CASVS

CASVS IX.

De locatione reddituum cuiusdam Commendæ.

QVidam Commendatarius locauit fructus suæ commendæ quibusdam conductoribus per annos nouem sub certo pretio. Post contractum celebratum, coloni terrarum commendæ nouas terras antea incultas arauerunt, & excoluerunt, vnde resultauit vt fructus commendæ crescerent in tantum, quod conductores lucrarentur ex locatione vltra dimidium illius pretij quod commenda locari consueuerat. Commendatarius quarto anno post locationem incidens in magnam inopiam, & videns incrementum notabile fructuum commendæ voluit rescindere contractum locationis, illúmque augere ad iustum pretium pro ratione fructuum nouorum tunc extantium.

Quæritur primò, an prædictus Commendatarius potuerit suam commendam locare vsque ad annos nouem?

Quæritur secundò, an, dato quod potuerit ita locare, possit post contractum locationis celebratum rescindere locationem, & obligare conductores ad sibi soluendum pretium pro ratione fructuum tunc extantium in redditibus præsentibus commendæ.

Responsio ad primum quæsitum.

QVod attinet ad primum quæsitum, videtur, quod Commendatarius non potuit locare commendam

dam vſque ad annos nouem: nam commenda, & fructus illius ſunt bona Eccleſiæ, cùm ſint decimæ; decimæ verò ſunt bona Eccleſiæ, vt patet. At bona Eccleſiæ non poſſunt alienari, neque locari vltra triennium, vt expreſsè definit Paulus ſecundus in Extrauaganti, *Ambitioſæ*, de rebus Eccleſiæ non alienandis: ergo prædictus commendatarius non potuit fructus ſuæ commendæ locare vſque ad annos nouem.

1 Hoc non obſtante, Dico potuiſſe commendatarium locare fructus ſuæ commendæ vſque ad annos nouem. Tenet hoc expreſsè Vaſquez *tom. de opuſc. tract. de reddit. Eccleſ. cap.* 2. *dubio* 6. *num.* 31. citans Couarruuiam. Idem tenet Azor *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 3. *in fine*, citans Abbatem Fredericum, Hoſtienſem, Redoanum. Idem tenet Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 25. *num.* 538. & Bonacina *tom.* 3. *diſput.* 2. *q.* 4. *puncto* 11. *num.* 8. Et Camillus Borellus *tom.* 1. *deciſionum tract.* 16. *num.* 18. qui ſunt grauiſſimi, & recentiores Doctores, & ſufficientiſſimi ad acquieſcendum huic opinioni: imò dicunt aliqui ex his Doctoribus, maximè Reginaldus, quod poſſunt iſti fructus locari per totam vitam. Licet verò hi Doctores loquantur in terminis ſolum de beneficiario, quod poſſit locare fructus ſui beneficij modo prædicto, & non loquantur de fructibus commendæ: eadem tamen ratio currit in fructibus commendæ, vt poſſint locari per totam vitam, cùm commenda non ſit beneficium Eccleſiaſticum, ſed ſit quid minus beneficio Eccleſiaſtico. Nam beneficiarius Eccleſiaſticus recipit bona Eccleſiaſtica ratione officij ſpiritualis, & debet eſſe clericus, ſaltem primæ tonſuræ, vt colligitur ex definitione beneficij tradita à Reginaldo *tomo* 2. *lib.* 19. *num.* 78.

*num.*78. Bona verò commendæ militaris, neque dantur clerico, neque propter officium spirituale, ac proinde ex hoc capite, siue ex parte subiecti bona commendæ sunt bona Ecclesiæ minùs quàm sint bona beneficij Ecclesiastici. Cùm ergo iuxta præcitatos Doctores, beneficiarius possit fructus sui beneficij locare per totam vitam, à fortiori id poterit facere commendatarius de bonis suæ commendæ. Nunc restat adducere rationes, ob quas beneficiarius potest locare fructus sui beneficij vltra triennium, imò per totam vitam, non obstante citatâ Extrauagante *Ambitiosæ*, prohibente alienationem rerum Ecclesiasticarum vltra triennium. Ratio verò est, quam tradit Vasquez *cit. num.* 31. ex Couarruuia, quia dicta Extrauagans solùm intelligitur de rebus Ecclesiæ, quæ sunt immobiles, vel sunt res pretiosæ, quæ seruando seruari possunt, vt calix pretiosus, & similia. At fructus annui beneficij, vel commendæ nec sunt res immobiles, neque pretiosæ, quæ seruando seruari possint, vt clarè constat. Secundò, quia causa ob quam beneficiarius, vel Prælatus non potest alienare bona immobilia Ecclesiæ, est, quia non habet dominium illorum bonorum, sed solam habet administrationem, manente dominio penès Ecclesiam, vel Summum Pontificem: nemo verò potest alienare id cuius non est dominus. At beneficiarius habet verum dominium fructuum sui beneficij: ergo potest alienare prædictos fructus, & per locationem quoad totam vitam. Probatur minor, quod scilicet beneficiarius, & similiter commendatarius sit dominus fructuum sui beneficij: primò, quia sic expressè docent Couar. Sarmient. Syluest. Adrian. Cordub. apud Vasquez *cit. opusc. de reddit. Eccles. cap.* 1. §. 2.

num. 7.

num. 7. qui sunt grauissimi Doctores, & recentiores. Id ipsum probatur expresse *ex cap.* 1. *de clericis non residentibus*, vbi Papa dicit quod clericus vel canonicus, qui non residet, non sit dominus distributionum: ex quibus verbis Doctores argumentantur à contrariò sensu; videlicet: ergo si canonicus residet, fit verè dominus fructuum sui beneficij. Denique id ipsum probant citati Doctores ex praxi communi, saltem totius Hispaniæ, in qua beneficiarij de redditibus suorum beneficiorum dant dotes in vita nepotibus ex fratre, vel sorore: itémque de eisdem fructibus beneficij relinquunt legata perpetua in testamento, neque de hoc eos aliquis condemnat: quod signum est illos verè esse dominos prædictorum fructuum; ac proinde, sicut in morte de illis possunt disponere in perpetuum: ita de iisdem poterunt per locationem disponere per nouem annos, vel pro tota vita. Et ex dictis in hoc numero patet responsio ad Extrauagantem *Ambitiosæ* in principio huius numeri positam pro parte opposita.

Responsio ad secundum quæsitum.

2 MAior dubitatio est in secundo quæsito, an videlicet ob incrementum fructuum commendæ possit commendatarius augere pensionem, vel pretium locationis iam factæ, & acceptatæ. In qua materia Rodriguez *in summa verbo Alquileres cap.* 21. *conclus.* 2. tenet quod crescentibus fructibus rei locatæ propter fertilitatem, pensio locationis debet augeri. Dat rationem: nam si ob nimiam sterilitatem pensio minuitur conductori, cur non augebitur

bitur ob nimiam fertilitatem. Citat ad hoc Syluestrum verbo *locatio* quæst. 14. Excipit Rodriguez casum, quando fertilitas illa accreuit ex industria conductoris plus solito laborantis ; tunc enim ait conductorem non teneri augere pensionem, quia illud incrementum fructuum est fructus suæ industriæ. Idem tenet Vega Minimus 1. *part. sum.* verbo, *arrendamentos*, *casu* 1. assignans ferè eandem rationem cum Rodriguez, & ponit hoc exemplum. Si quis haberet molendinum in fluuio, & fluuius præter modum, & consuetudinem ita inundaret, vt cætera omnia molendina destrueret, excepto illo molendino, ex quo conductor illius molendini excessiuum, & insolitum commodum reportauit, teneretur vtique conductor talis molendini augere pensionem, seu pretium statutum locationis.

3 Hoc non obstante dico imprimis prædictum commendatarium non posse rescindere contractum locationis iam factum. Primò id probo ratione communi, & ex definitione contractus, qui dicitur obligatio vltrò, citróque obligans. Et cùm per contractum vtraque pars contrahens obligetur, non poterit ista obligatio tolli, nisi per consensum vtriusque partis, iuxta illam regulam iuris, quæ dicit: *res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* At contractus nascitur per consensum vtriusque contrahentis : ergo non potest dissolui nisi de consensu vtriusque, & proinde alter tantum dissentiens non poterit contractum dissoluere. Hoc intelligo, dummodo contractus factus fuerit sine fraude, & dolo, & dummodo in illo non fuerit apposita aliqua conditio, quæ postea non est sortita effectum : tunc enim poterit contrahens resilire. Quorum neutrum

constat

constat in hoc contractu interuenisse. Tenet hanc conclusionem Bonacina *tom.2. disput.3. de contract.q.7. num.8.& seqq.* dicens quod locator non potest rem locatam repetere nondum finito locationis tempore: quia non potest resilire à contractu inuito conductore, qui per contractum locationis acquisiuit ius vsque ad certum tempus. Excipit ibi Bonacina aliquos casus quorum nullus hîc interuenit. Idem tenet Lessius *lib.2.de locatione cap.24.dub.7.à num.32.* & idem Lessius *eodem lib. cap. 17. dub. 4.* vbi citat Gomez, & Couar. & dicit esse communem, & Camillus Borellus *tom.1. decis. tit.16. num. 21.* & probat Lessius, quia ex iure naturali tenetur vnusquisque seruare quod promisit. At iste Commendatarius promisit conductoribus fructus commendæ per nouem annos, ergo tenetur promisso stare.

4 Excipiunt prædicti Doctores quatuor casus, in quibus locator potest ante tempus præfixum expellere conductorem. Primus est, si pensionem non soluit annis duobus. Secundus quando conductor malè vtitur re locatâ. Tertius si domum locauit, & domus ruinam minatur: tunc enim poterit conductorem expellere ad domum reparandam. Quartus casus est, si postquam locator domum locauit, eidem superuenit grauissima necessitas, ita vt non habeat aliam domum, in qua habitet, tunc enim poterit conductorem à domo locata expellere, vt ipse locator habitet in illa. Verùm aduertit Bonacina *citato num. 12.* hoc solum intelligi de necessitate domus ad habitandum, non verò de aliis necessitatibus locatoris, quia leges solum loquuntur de necessitate domus, non verò de aliis necessitatibus. Et hinc patet responsio ad id quod in informatione suprà diceba-

 tur,

tur,an ſcilicet hic Commendatarius potuerit locationem reſcindere eo quod in grauem inopiam inciderit. Reſpondetur enim prædictam neceſſitatem non eſſe cauſam ſufficientem ad locationem reſcindendam, ob aduertentiam proximè poſitam à Bonacina, quia ſcilicet iura de ſola neceſſitate domus loquuntur, non de aliis neceſſitatibus. Et prætereа, quia nemo poteſt ſuam neceſſitatem ſubleuare auferendo ius alterius, niſi fuerit extrema neceſſitas, qualem ſuppono Commendatarium non incurriſſe.

5 Reſtat probandum non potuiſſe Commendatarium locationem reſcindere propter incrementum fructuum, ſiue propter fertilitatem ſuperuenientem. Et quidem ſi prædicta fertilitas euenit ex eo quod agricolæ aliquas terras antea incultas denuo arauerunt, & ad hoc conductores commendæ agricolas induxerunt, & mouerunt; conſtat in tali caſu non poſſe conductoribus auferri locatam commendam, quia illa fertilitas non fuit fertilitas terræ, ſed induſtria agricolarum, vel conductorum, ob quam induſtriam non poteſt conductori augeri penſio, vt dicunt ſuprà citati Doctores, maximè Rabello loco mox citando. Et in communi ſiue abſolutè, quod propter vbertatem ſuperuenientem non poſſit locator augere penſionem conductori, tenet Rabello *lib.14.de contractibus quæſt.9.num.1.& ſequentibus*, dicens hanc eſſe communem conſuetudinem. Et pro illa ibidem citat Emanuelem, Soarez, Pincianum, Valaſcum, Salicetum, illamque defendi affirmat ab aliis antiquis Doctoribus. Cauſam huius dicti aſſignat Rabello, quia contrahentes hodie, huiuſmodi conſenſum tacitum habere cenſentur, cum iuxta receptam

conſuetu

consuetudinem contrahere saltem tacitè intendant. Et pro hoc adducit legem *si merces*, §. *Vis maior ff. locati*. Potest hoc probari exemplo. Fecit aliquis pactum cum piscatore iaciente rete in mare dans illi vnum ducatum pro omnibus piscibus quos rete primo iactu comprehenderet. Rete traxit multitudinem piscium, quorum pretium æstimabatur decem ducatis. Nunquid locatór iactus tenebitur augere piscatori pretium ob multitudinem piscium ? Non profectò; quia sicut contigit illa piscium abundantia, potuit contingere, vt rete nihil traheret. Idem euenit in nostro casu: pacti sunt conductores cum Commendatario in pretio ordinario plus minúsve. Contigit vt fructus commendæ plus solito crescerent: non videtur quod possint obligari conductores ad plus soluendum ob fertilitatem, quia potuit ab opposito contingere, quod fructus commendæ plus solito minuerentur.

6 Pro maiori adhuc claritate, & probatione, adduco doctrinam Syluestri, & Molinæ adductam à Reginaldo *lib.25. cap. 41. num. 524. tom.2.* vbi cum citatis duobus Doctoribus ponit tria puncta sequentia. Primum est, non esse augendam pensionem conductori si vbertas in eo sit, quod fructus hoc anno plus valeant solito, quia non est minuenda ex eo quod fructus vno anno minus valeant solito. Secundum punctum est: non esse augendam pensionem si vbertas contingat ex industria conductoris, quia nulli sua industria debet esse damnosa, sed proficua: quod etiam dicendum est si vbertas contingat ex bonitate agri, quia dominus illum quâ potuit sufficiente mercede locauit. Tertium punctum est, augendam esse pensionem quando vbertas contingit ex casu

 fortuito,

fortuito, qui præuideri non potuit, ex lege *Sed addes*, §. *Si mulierem ff.locati*; sicut est minuenda pensio propter sterilitatem in simili casu contingentem. Dant prædicti Doctores exemplum molendini supra positum. Nam si ex molendino locato solebas percipere tantum quinquaginta singulis annis; sed aliis molendinis hoc anno destructis propter inundationem fluuij percepisti centum, æquum est vt pensio pro rata augeatur; sicut fieret remissio pro rata si casu fortuito, qui præuideri non potuit, recepisset tantum viginti. At in isto casu non contigit casus fortuitus circa fructuum incrementum, qui casus præuideri non posset. Si enim contigit ex noua cultura agrorum antea incultorum, vt dicitur, talis casus non fuit fortuitus, sed optimè præuideri potuit tum à Commendatario, tum à conductore. Et per hoc patet responsio ad exemplum molendini suprà adductum *num.*2. à Vega pro parte opposita.

7 Ad argumentum adductum à Rodriguez eodem numero secundo, cùm dicit, quod si ob sterilitatem minuitur pensio conductori, cur non augebitur pensio propter vbertatem, cùm contrariorum eadem sit disciplina, vel vtrobique sit par ratio. Ad hoc argumentum respondet Rabello *citata quæst.9. in fine numeri primi*, negando consequentiam, ac dicendo, non esse eandem contrariorum disciplinam quando ex tacito pacto, aliâve de causa, quæ in vno tantum contrariorum subsit, diuersa ratio colligitur. Diximus autem suprà quod ex consuetudine Regni, pensio minuitur ob magnam sterilitatem. Non est verò consuetudo quod pensio augeatur propter vbertatem. Addi potest hæc ratio. Nam ad minuendam pensionem propter sterilitatem, dantur leges, maximè Lu-

sitana

ſitana *lib.4.Ordin.tit.27.* & datur ratio ad id, quia conductori reſultaret notabile ſcandalum, ſi teneretur ſoluere penſionem nullis perceptis fructibus. At non datur lex, quæ obliget conductorem augere penſionem propter vbertatem, niſi fortè in caſu fortuito molendini, de quo ſuprà. Et præterea, quia ex nimia vbertate obueniente conductori, nullum damnum reſultat locatori, vt patet.

Vltimò aduerto, quod ſi conductores commendæ liberè velint deſiſtere à contractu, id poterunt licitè facere, cùm poſſint cedere iuri ſuo, & manebit tunc locator liber, poterit etiam locator locationem reſcindere, ſi conſtiterit quod commendam locauit pretio quod erat infra dimidium iuſti pretij pro tempore quo facta eſt locatio, vt Doctores tradunt in materia emptionis, & venditionis: de quo non tracto, cùm in hoc caſu id non quæratur.

CASVS X.

De quodam voto facto per iracundiam.

PEtrus cùm eſſet perturbatus animo, cum iracundia fecit certum votum de re aliàs licita, & honeſta: poſt factum votum, & ſedata iracundia, pœnituit illum de voto. Quæritur an validum fuerit tale votum? Et pro parte negatiua, quod ſcilicet non fuerit validum; arguitur primò, quia facta per iracundiam ſunt inualida in iure, ſicut probat Maſcardus *tomo primo, de probation. concluſionne* 346. *num.* 20. citans multos Doctores, & ait quod confeſſio rei

facta per iracundiam, illi non nocet, nisi detur perseuerentia post sedatam iracundiam. Secundò, quia Petrum statim pœnituisse facto voto, & sedatâ iracundiâ, est signum quod quando votum fecit, non habebat perfectam deliberationem, & consensum. Et ex hoc signo probat Sanchez *tomo primo Decalogi lib. 2. cap. 3. num. 13.* cum Torres ibi citato, non esse hæreticum illum, neque blasphemum, qui inter magnas tentationes hæresis, & blasphemiæ positus, & putans, vel timens, quod consenserit, statim pœnitet; illa enim pœnitentia signum est quod non consenserit: cum ergo Petrus præ iracundia vouens statim pœnituerit, signum est quod in voto non consensit perfectè, ac de libertate, ac proinde votum non fuit validum. Tertiò probatur ex eo quod tradunt Angelus *verb. votum 1. q. 6.* & Tabiena *verb. votum 1. q. 1.* & supplementum Gabrielis 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *artic.* 1. qui dicunt, quod si transacta periculi angustia, eum qui vouet, vel contrahit, pœniteat, signum esse defuisse plenam deliberationem, & proinde non obligare. Imò & Panormit. ad cap. *Si verò, de iureiur. num. 3.* & Anton. *cap. Sicut ex litteris, eod. tit.* dicunt, quod, si cessante calore iracundiæ minimè votum, aut iuramentum fuisset emissum non obligare.

1 Pro solutione notandum est primò, cum Petro Soto *de instit. Sacerdotum, tractat. de discrimine peccatorum lect.* 8. in voluntate nostra triplicem reperiri motum. Quidam dicitur motus primò primus, qui ita est celer, & repentinus, vt nullo modo sit in hominis potestate illum cohibere: & hic actus non est liber, neque in hoc aliqua culpa potest reperiri. Secundus motus dicitur secundò primus, qui impediri, & cohiberi potuit, sed sub tenui liber-

tate:

tate: & in hoc motu culpa mortalis inueniri non potest, quia imperfectè liber est; bene tamen in eo dari potest culpa venialis cum gaudeat aliquali libertate. Tertius motus est perfectus, & deliberatus, plenéque liber, qui ex ratione dirigente, & voluntate libera procedit. Et in hoc inuenitur plena ratio culpæ, vel virtutis. Et hinc sequitur duobus modis dici actum deliberatum; primò vt distinguitur contra actum primò primum, & secundò primum, in quibus vel nulla est, vel tenuis deliberatio, & insufficiens ad culpam mortalem. Secundo modo quando adest perfectum, & maturum consilium, præuiáque deliberatio omnium circunstantiarum, quæ in ea re possunt occurrere.

2 Notandum est secundò, iram in aliquo ita posse esse celerem, repentinam, & vehementem, vt auferat ab homine omnem prorsus deliberationem, ita vt nullo modo de circunstantiis actus deliberauerit. Secundò potest esse ira lenior & tardior, ita vt sinat intellectum semiplenè deliberare. Tertiò ita poterit ira turbare intellectum, vt tamen sinat ipsum perfectè, & plenè deliberare: & nihilominus intellectus non obstante dictamine rectæ rationis sequitur passionem iræ.

3 Hoc posito, Dico primò: Si votum per iracundiam fiat primo modo, ita vt auferat deliberationem vt iudicatam primò primam, tale votum non est obligatorium. Constat ex dictis proximè *in numero* 1. vbi diximus actum primò primum carere omni libertate. Vbi autem nulla est libertas, nullum est meritum, vel demeritum, neque proinde vlla obligatio potest inde resultare: & in hoc sensu intelligendi sunt Doctores, præcipuè allegati à Mascar-

do ſuprà citato loco, cùm dicunt facta calore iracundiæ eſſe nulla: intelliguntur enim de iracundia tollente omnem deliberationem, etiam primò primam. Colligitur hoc præcipuè à Maſcardo ſuprà citato loco, dum dicit cum Baldo, hominem magno calore iracundiæ promotum non eſſe omnino ſuæ mentis compotem: & iratum à furioſo non diſtare, niſi tempore: quatenus ſcilicet furioſus ſemper eſt amens; iratus verò eſt amens ad tempus, videlicet quandiu durat ira.

4 Dico ſecundò, ab oppoſito; quando ira non impedit plenam, & perfectam deliberationem ſufficientem ad peccandum mortaliter, talique irâ durante fit votum, tale votum obligat ad mortale. De hac nulla poteſt eſſe dubitatio. Et probatur primò ex cap. *Dudum, de conuerſione coniugatorum*, vbi dicitur votum factum cum iracundia, eſſe obligatorium. Et hanc opinionem eſſe communem tenet Nauarrus *commentario ſuper cap. diuortium, de pœnit. diſt. prima in fine, num.* 17. contra Romanum, & quamdam gloſſam oppoſitum dicentes. Et probat ibi Nauarrus, ex praxi Romanæ Eccleſiæ; nam vt ait, teſtis oculatus; ſacra Pœnitentiaria Romæ, omnia vota per iracundiam, vel aliam turbationem, vel paſſionem facta iudicat eſſe valida, niſi tanta fuerit iracundia, tantáque paſſio, & turbatio, quæ vouentem extra mentem ad inſaniam trahat. Sic ibi Nauarrus. Idem tenet Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſput.* 8. *num.* 5. cum multis Doctoribus, quos ibi citat, quamuis ibi diſſerat de promiſſione ſponſalium facta per iram: ibi tamen dicta poſſunt optimè ad hoc intentum applicari. Et probatur ratione, quia ſi ſtante illâ perfecta deliberatione per iram, fiat aliquod peccatum mortale,

tale, propter quod obligamur diabolo: pari modo, si stante plenâ deliberatione per iram faciamus votum Deo, vtique obligabimur Deo, sicut Sanchez *citato num.*5. dicit; pro quo citat cap. *Sunt qui opes* 17. *quæst.*14. & c. *Veniens, de voto.* Et hoc probat Nauarrus *consilio* 7. *de voto*, ex quadam glossa *in cap. Mulier* 32. *quæst.* 2. dicente quod iudicium sufficiens ad obligandum aliquem diabolo, sufficit etiam ad obligandum eundem Deo.

5 Sed quid, si votum ex iracundia factum, fuit factum cum semiplena deliberatione tantùm, seu cum deliberatione secundò prima: an tunc votum obliget sub mortali? Hoc dubium apud nullum Doctorem reperi discussum in particulari, ex dictis tamen à Sanchez *lib.*1. *de Matrim.disput.*8. *num.*5. potest colligi quod tunc votum obliget ad mortale. Nam ibi Sanchez ait, quod si quis promittat fœminæ sponsalia, vel matrimonium ex iracundia, ita vt tanta sit passio quæ rationis vsum obtenebret, & deliberationem ad peccatum mortale requisitam impedierit, tunc sponsalia non obligant, neque erunt valida defectu deliberationis: vbi clarè innuit quod si promissio non tollat semiplenam deliberationem, promissio, & votum valebit. Quia tamen difficillimum est hos actus internos internoscere, & an facti fuerint ex motu primò primo, vel secundò primo, ait idem Sanchez *cit. disput. num.* 10. cum Alexand. de Neuo, Panorm. & Felino, quod stante dubio, an iracundia priuarit vouentem deliberatione requisitâ, iudicandum esse pro validitate voti, quia semper præsumitur deliberatio sufficiens: sicut rarissimè, occidens hominem per iracundiam excusatur à mortali. Nam qualitas, quæ naturaliter homini inest (qualis est de-

liberatio) semper adesse præsumitur, vt probat Menochius *lib.1. de præsumpt.quæst.14. num.3.* & præterea, quia verba exteriùs prolata sunt naturaliter signa intentionis internæ; & nemo præsumitur dicere, quod in corde non habet. Quod adeò verum est, vt etiam iuramentum metu extortum obliget in conscientia, licet in illo vehemens sit coniectura, quod defuerit animus se obligandi: sicut tenet communis opinio Doctorum. Eandem doctrinam tradit Nauarrus *consilio 4. de voto, num.2.* vbi de quodam qui vouerat castitatem, sed dubitabat qualem intentionem habuerit, sic ait: *Si nescit qualem intentionem habuit, vel non credit probabiliter qualem habuit, sed dubitat; tenetur eligere tutiorem partem, & consequenter reputare se obligatum: quamuis ob talem dubitationem facilius cum illo Papa poterit dispensare.* Sic Nauar. citato loco.

6 Ad primum argumentum in contrarium respondet Nauar. super citatum cap. *diuortium, num.12.* quod facta per iracundiam non sunt inualida in iure, nisi quando constaret iracundiam abstulisse omne iudicium rationis, vt patet in furioso, & amente, sicut dixit Baldus citatus à Mascardo citato loco. Videmus enim quotidie homines rixantes, & cum ira vulnerantes, passim puniri. Ad secundum dicendum Petrum post votum pœnituisse, non esse signum sufficiens, quod antea in vouendo non consenserit. Vt enim bene docet Sanchez *cit. disput. 8. num. 8.* Sæpe eorum quæ ex magna deliberatione gesta sunt, facientem pœnitet, vt experientia docet. Exemplum verò adductum de homine tentato de hæresi, non cogit, quia illud non ponitur pro claro signo quod consensus non intercesserit in illo qui post tentationem pœnituit, sed ponitur tanquam iudicium pium.

Et

Et præterea constat quod ille sic tentatus semper restitit, & non constat quod consenserit. At in isto casu constat clarè quod vouit: & proinde præsumitur habuisse in animo id quod ore protulit, vt diximus ampliùs *paulò suprà num.* 5. Ad tertium manet responsum ex solutione secundi proximi argumenti: non enim est signum infallibile quod consensus antea defuerit si post factum quis pœniteat, cum, sicut ait Sanchez, sæpius post rectè facta nos facti pœniteat.

7 Quæri posset hoc loco, an iste Petrus peccauerit eo quod illum pœnituerit de voto facto? Ad hoc iam respondi in meo primo tom. *Dubiorum Regular.* verbo *votum*, *num.*67. cum Azorio ibi citato, quod si quis pœniteat de voto, id est, de actu quo primùm vouit, peccat mortaliter, quia licitum non est dolere de actu qui est opus virtutis, & honestatis. Si verò pœniteat ob molestiam, & pœnam quam subiturus est in voti impletione, tunc non peccat, quia hoc non est pœnitere de voto, sed de molestia impletionis voti. Debet tamen habere semper propositum seruandi votum.

CASVS XI.

De quibusdam Missis relictis quibusdam Clericis soluendis in campo fructuoso plantatis.

PEtrus reliquit testamento quod Clerici certæ Ecclesiæ Collegiatæ pro se dicerent singulis annis certum numerum Missarum: pro labore, & stipendio

dio Clericis soluendo, consignauit in quodam agro certas mensuras tritici annuas per modum emphyteusis, quod in Portugallia dicitur, *renda de foro.* Clerici prædictas Missas dixerunt per aliquos annos quamdiu illi soluta est pitancia, seu stipendium Missarum. Et declaratur quod illi redditus tritici sunt relicti directè ipsis Clericis, non verò alicui sæculari, qui Clericis solueret. Lapsu temporis prædicti redditus tritici extincti, & amissi sunt, vel ob lites obortas contra dictós redditus alteri adiudicatos, vel ob terram redditam omnino infœcundam, & proinde Clericis nullum stipendium Missarum solui potest.

Quæritur, an prædicti Clerici teneantur dicere prædictas Missas, supposito quod illis stipendium relictum non soluitur. Et pro parte affirmatiua, quod teneantur, videtur facere hoc exemplum. Dederunt mihi decem ducatos pro certis Missis dicendis, & postquam illos acceptaui, & recepi, quidam latro eos mihi surripuit, vel illos casu amisi. Clarum est quod hoc non obstante teneor ad illas Missas dicendas, cùm iam pecuniam apud me receperim, eiusque dominium acquisiuerim, licet illa casu perierit: res enim vbicunque est perit domino suo, iuxta commune dictum Doctorum. Eodem modo videtur dicendum in isto casu. Hi enim redditus tritici relicti sunt illis clericis, & illi acceptarunt, & suo modo receperunt dominium, & proinde si redditus tritici perierunt, & exinde illi ad dictas Missas obligantur, ad quas antea se obligauerunt.

1 Saluo tamen meliori iudicio, credo prædictos Clericos ad dictas Missas dicendas non obligari, eo quod illis assignatum stipendium non soluatur. Probo hoc

hoc imprimis ex illa regula iuris *in sexto*, quæ dicit: *Qui sentit commodum, sentire debet & onus: & è contrà, qui sentit onus, sentire debet & commodum.* Vel è contrà, qui non sentit commodum, non debet onus sentire. At hi Clerici non sentiunt commodum, id est solutionem stipendij, ex quo alantur: ergo non debent sentire onus Missarum dicendarum. Secundò potest ad hoc applicari illud D. Pauli 1. ad Corinth. 9. *Qui altari deseruiunt, cum altari participant.* Et, *dignus est operarius mercede sua.* Tertiò, illud probo exemplo claro in materia census. Vendidit Petrus Francisco ducentos ducatos census assignatos in re fructifera ipsius Petri, quæ erat res immobilis, & fructifera, de qua Petrus tenebatur singulis annis dare Francisco ducentos ducatos. Si casu perierit vel extincta fuerit res immobilis in qua plantatus est census, deobligatur Petrus à soluendo tali censu, etiamsi iam per aliquot annos Francisco censum soluerit. Sic decretum fuit à Pio V. in sua Bulla de censibus: & tenet communis Doctorum opinio cum Azorio *tom. 3. lib. 10. cap. 5. de censu, §. communis est opinio.* Quod exemplum est omnino adæquatum ad casum præsentem. Vnde licet Clerici acquisiuerint possessionem, vel dominium prædictorum redditutuum tritici, pereunte re in qua illis plantata fuit obligatio solutionis, videtur extingui in illis obligatio Missarum.

2 Quartò probatur etiam claro exemplo emphyteusis. Habet Petrus domum vel oliuetum sub contractu emphyteusis, de qua domo soluit singulis annis viginti ducatos: si non soluerit pensionem tempore assignato, amittit dominium vtile quod habebat in tali domo. Si verò res illa emphyteutica perierit.

ierit, vel extincta fuerit, non obligatur Petrus soluere pensionem, vt tenet communis opinio cum Azorio *tom. 3. lib. 10. citato cap. 6. de emphyteusi*; quod est omnino simile praesenti casui, in quo illi redditus tritici dicuntur fuisse plantati sub emphyteusi in agro illo.

3 Probatur exemplo beneficiarij, qui habet beneficium simplex, sed non habet Ordines sacros. Est res certissima ex motu proprio Pij V. quod iste talis tenetur ad recitandas horas canonicas, etiam si careat sacris Ordinibus: quas si omiserit, tenetur restituere fructus beneficij pro rata. Et tamen si iste talis beneficiarius ob aliquam causam sine culpa, redditus beneficij non receperit, non tenetur pro tunc horas canonicas recitare, sicut dicunt grauissimi Doctores, maximè Caietanus, Paludanus, Sotus, Nauarrus, Corduba, & alij, quos citat, & sequitur Vasquez *tom. opusc. tract. de benef. cap. 4. §. 1. dub. 6. num. 31.* Sextò probatur exemplo locationis. Conduxit quidam agrum fructiferum cum certa pensione soluenda locatori singulis annis. Contigit in quodam anno quod obuenerit nimia sterilitas, ita vt conductor nullum fructum ex agro receperit, talis conductor non tenetur tali anno aliquid soluere locatori, non obstante contractu praecedente, sicut decernitur in legibus iuris ciuilis, maximè in nostra Portugallia *lib. 4. Ord. tit. 27. §. 1. in principio.* Ergo à simili, licet hîc clerici sub contractu se obligauerint ad Missas illas dicendas, si tamen res, in qua assignatum est stipendium Missarum, fuit extincta, vel ita sterilis reddita, vt clerici nullum fructum recipiant, non sunt obligati ad praedictas Missas dicendas.

4 Vltimò probatur. Quia hæc obligatio, qua ſe clerici obligarunt ad dicendas has Miſſas, non eſt maior obligatio, quam ſit obligatio voti, vel iuramenti, vt patet; votum enim & iuramentum obligant de iure diuino, contractus verò humanus obligat de iure humano poſitiuo. At conſtat ex Doctoribus in materia de voto, & iuramento, quod ſi ego aliquid voui in certa materia, vel iuraui circa aliquam materiam, ſi poſt votum vel iuramentum materia illa valde notabiliter immutata eſt, tale votum, vel iuramentum non obligat ob notabilem mutationem materiæ, quam ſi à principio vouens præuidiſſet, non vouerat. Eodem modo licet hi clerici ſe obligauerint ad Miſſas illas dicendas quia tamen poſtea materia contractus valde immutata eſt, ita vt terra, in qua fundatum eſt Miſſarum ſtipendium, extincta ſit, vel clericis adempta, & hoc ſi clerici præuiderent, nullo modo ſe obligarent, ſequitur quod hodie mutatâ ſic materiâ non tenentur ad prædictam obligationem Miſſarum.

5 Ad argumentum, ſeu exemplum in oppoſitum adductum in principio de Petro, qui recepit decem ducatos pro Miſſis dicendis quos ille poſtea caſu amiſit, vel latro clam furatus eſt, dico eſſe caſum valde diſſimilem, & in eo cerni diuerſam rationem. Nam illo caſu Petrus recepit ſtatim totam ſolutionem, ſeu ſtipendium futurum, abſque ſpe alterius ſtipendij futuri, & ſine aliquo alio contractu virtuali de futuro. At verò clerici in noſtro caſu licet in principio receperint ſtipendium duorum, vel trium annorum; tamen quarto anno, verbi gratia, nullum ſtipendium, vel ſolutionem receperunt: contractus verò clericorum factus in principio, virtualiter

ter

ter fuit contractus multiplex, id est pro omnibus annis futuris sub intellecta conditione in contractu imbibita, videlicet: Dicemus Missas si nobis pactum stipendium solutum fuerit singulis annis. Illi verò Petro qui recepit decem ducatos, iam solutum est totum stipendium, in quo conuenerunt: his verò clericis non soluitur stipendium annuatim sicut pactum fuit cum illis à testatore. Secundò datur diuersa ratio, quia in illo casu Petrus recipiens decem ducatos pro dicendis Missis, obligauit se ad illas absolutè, & proinde etiamsi pecunia recepta casu perierit, durat obligatio. At clerici de quibus loquimur, non se obligarunt absolutè ad illas Missas dicendas, sed sub conditione, si videlicet illis singulis annis stipendium assignatum solueretur, quæ conditio virtualiter & clarè inclusa fuit in illo contractu, & sic deficiente conditione, cessat obligatio.

CASVS XII.

An possint Religiosi ministrare Eucharistiam in priuatis Oratorijs.

QVædam fœmina nobilis habebat licentiam Ordinarij, vel Nuntij Apostolici vt sibi diceretur Missa domi in Oratorio particulari. Aliàs idem Ordinarius mandato particulari præcepit, vt nemini liceret in particulari Oratorio sacram Eucharistiam recipere: si verò illam vellet recipere, à proprio Parocho, & non ab alio reciperet, etiam si esset Religiosus, qui virtute talis licentiæ, vel alicuius

cuius ſui priuilegij in eodem Oratorio Miſſam celebraret.

Quæritur, an prædictâ prohibitione non obſtante poſſit aliquis Religioſus prædictæ fœminæ in illo Oratorio Euchariſtiam miniſtrare, virtute alicuius priuilegij ſui Ordinis, dum celebrat in prædicto Oratorio?

1 Et videtur quod non poſſit. Nam Epiſcopus habet authoritatem prohibendi, ne Religioſi miniſtrent ſacram Euchariſtiam in particularibus Oratoriis. Probatur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis in celebrat. Miſſarum*, vbi dat licentiam Epiſcopis vt poſſint prohibere ne Religioſi poſſint Miſſas dicere in Oratoriis priuatis ſæcularium, quouis priuilegio non obſtante. Ergo ſi Epiſcopus poteſt prohibere Religioſis ne dicant Miſſas in Oratoriis, poſſunt etiam eiſdem prohibere ne dent Euchariſtiam in eiſdem Oratoriis. Valet conſequentia; quia qui poteſt deſtruere principale, poteſt etiam deſtruere illi annexum, & acceſſorium, iuxta *legem* 1. *& 2. ff. de pec. legat.* vbi dicitur quod perempto principali, perimitur acceſſorium. At conſtat quod miniſtrare Euchariſtiam eſt annexum, & acceſſorium Miſſæ, & Miſſa eſt quid principale: ergo ſi Epiſcopus poteſt Religioſis prohibere ne dicant Miſſas in Oratoriis, quod eſt principale; poterit eiſdem interdicere ne miniſtrent Euchariſtiam in eiſdem Oratoriis, cum miniſtratio Euchariſtiæ ſit acceſſorium Miſſæ: & confirmatur ex maxima Iuriſtarum collecta ex cap. *per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, vbi dicitur: *Qui poteſt quod eſt plus, poteſt vtique quod eſt minus.* Videtur autem quid maius poſſe prohibere Miſſam, quam poſſe prohibere miniſtrationem

Eucharistiæ. Secundò probatur quòd possint Episcopi prohibere ministrationem Eucharistiæ in Oratoriis etiam Religiosis habentibus priuilegium, nam vnum ex priuilegiis, quæ ad hoc pro se Religiosi citant, est Pauli III. quod incipit, *Cum inter cunctas*, concessum patribus Societatis Iesu, in quo illis concedit, vt possint ministrare sacram Eucharistiam etiam sæcularibus, addens hæc verba, *Sine alicuius præiudicio.* Est autem præiudicium parochi, & Episcopi, vt illis inuitis ministretur Eucharistia suo parochiano in Oratorio priuato; id enim resultat, vel fit cum aliquali irreuerentia Episcopi prohibentis. Addo quod dictum priuilegium concessum fuit prædictis patribus ante confirmationem Concilij Trident. per Pium IV. vt patet ex datis Bullarum; Concilium verò Tridentinum postea celebratum *citata sess.* 22. concedit Episcopo facultatem reuocandi omnia priuilegia antecedentia. Tertiò probatur ex Clementina *Religiosi, de priuileg.* vbi Papa expresse prohibet ne aliquis Religiosus ministret Eucharistiam alicui sæculari sine speciali licentia sui parochi, & addit Papa hæc verba: *Nullo Religiosis eisddem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante.* Quo nihil clarius dici potuisse videtur. Et declaratur hoc exemplo: Si aliquis Religiosus existat in aliqua Ecclesia parochiali, non potest ibi ministrare Eucharistiam per annum alicui parochiano petenti sine licentia expressa parochi eiusdem Ecclesiæ, alias parocho fieret iniuria. Et hoc etiam dicendum videtur de Religioso dicente Missam in Oratorio existente intra parochialem Ecclesiam, & ibi ministrante Eucharistiam parochiano. Quartò, si Religiosi per aliquod priuilegium possent sæcularibus

ribus Euchariſtiam miniſtrare in Oratorio particulari, parocho irrequiſito, ſequeretur quod poſſet etiam Religioſus extra ſuum conuentum per plateas publicas ducere ſacram Euchariſtiam ad domum ſæcularis ægroti, eámque illi miniſtrare extra mortis articulum, cùm ſcilicet ſæcularis ſenio, vel alio impedimento non poteſt commodè ad Eccleſiam accedere, quod tamen foret magnum ſcandalum.

2 His non obſtantibus, credo quod Religioſus dicens Miſſam in Oratorio priuato ſæcularis, approbato ab eodem Epiſcopo, vel Nuncio pro Miſſa ibidem dicenda, poterit eidem ſæculari ibidem Euchariſtiam miniſtrare, non obſtante quod Epiſcopus expreſsè prohibuerit ne ibi Euchariſtiam miniſtret niſi ſolus parochus: idque dummodo non ſit in Paſchate, neque in articulo mortis. Et quod Religioſus hoc faciens per annum, neque peccet, neque aliquam pœnam incurrat. Hæc concluſio eſt Suarez, Rodriguez, Villalobos, & aliorum, quos antequam citem,

3 Suppono, & præmitto, Religioſos Mendicantes, & qui cum illis communicant in priuilegiis, habere priuilegium miniſtrandi ſacram Euchariſtiam ſæcularibus extra ſuos conuentus, excepto die Paſchatis, & articulo mortis. Præcipuum ad hoc priuilegium eſt quod conceſſit Paulus IV. anno 1557. Fratri Angelo de Auerſa Vicario generali Ordinis Minorum; quod priuilegium tranſcribitur à Rodriguez *in ſuo Bullario fol.* 851. In cuius priuilegij procœmio narratur quod prædictus Vicarius generalis conqueſtus eſt apud Sum. Pontificem, quod aliqui Parochi Eccleſiarum in Italia moleſtabant fratres Minores

circa Sacramentorum ministrationem erga sæculares. Dicebant enim parochi prædictos fratres non posse ministrare Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ sæcularibus nisi intra suos conuentus, non verò extra suos conuentus: quo præmisso, & narrato, Papa sic ibi concedit eisdem fratribus Minoribus: *Quod de cætero per totum orbem omnium vtriusque sexus fidelium pro tempore, dicti Ordinis fratres à suis superioribus deputati confessores, confessiones, etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorumdem fratrum audire, eosque posse absoluere: ac omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ, tam illis, quàm quibusuis personis ministrare possint, Apostolica auctoritate indulgemus.* Sic ibi. Hoc priuilegium tam clarum nondum viderat Rodriguez *in* 1.*tom.qq.q.*56. *art.*3. vbi tractat an possint Religiosi ministrare Eucharistiam sæcularibus; & postea dictum priuilegium transcripsit citato loco Bullarij: neque ipsum viderat Villalobos mox citandus. Alia priuilegia, licet non tam clara, sunt Nicolai V. Sixti IV. & Leonis X. quæ citat Rodriguez *citata quæstione* 56. *art.* 3. Quæ eadem priuilegia citat Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.*9.*cap.*3. §. *Circa alteram, in fine*, dicens quod illi tres Pontifices concesserunt Religiosis facultatem ministrandi Eucharistiam sæcularibus, *Sine limitatione ad proprias Ecclesias, vel ad aliquod templum.* Aliam concessionem circa eandem materiam refert Villalobos *tom.* 1. *tract.* 9. *difficultate* 54. §.*vltimo*, dicens Pium V. concessisse, quod Religiosi possent audire confessiones, & ministrare Eucharistiam etiam extra suos conuentus. Sed non citat librum vbi sit talis concessio, vel, an sit concessa per Bullam, an per viuæ vocis oraculum.

3 Secundò

3 Secundò præmitto Religiosos posse dicere Missam extra conuentus, & in Oratoriis sæcularium, & posse dare sacram Eucharistiam sæcularibus, esse duos actus distinctos, ac differentes, quorum alter non dependet ab altero, cùm possit bene vnus existere sine alio. Potest enim dari Missa sine ministratione Eucharistiæ: & è contrà potest ministrari Eucharistia sine celebratione Missæ, vt patet experientiâ, & praxi, quandò ex particulis consecratis in sacrario seruatis ministratur Eucharistia fidelibus in Quadragesima sine Missa, vel defertur ad infirmos extra Ecclesiam. Et cùm sint hi duo actus distincti, & diuersi celebrare Missam, & ministrare Eucharistiam extra conuentus, concesserunt Summi Pontifices distincta priuilegia Religiosis, vt possint celebrare Missam extra conuentus in quouis loco, eo modo quo ego dixi in primo tomo dubiorum Regularium verbo, *Altare*, & verbo *Missa*. Et præterea iidem Pontifices concesserunt eisdem Religiosis alia priuilegia distincta ad sacram Eucharistiam ministrandam sæcularibus extra suos conuentus, vt paulò suprà citauimus, in quibus secundis priuilegiis de Eucharistia ministranda, non fit mentio Missæ, vel quod fiat cum Missa. Et sic cùm sint distincta priuilegia dicendi Missam, & ministrandi Eucharistiam, vnum non dependet ab alio,& reuocato vno,non censebitur reuocatum aliud,nisi id claris,& expressis verbis exprimatur.

4 Hoc posito, probatur conclusio suprà posita primò ab authoritate: nam illam tenet Suarez *cit. tom.4. de Relig. lib. 9. cap. 3. §. Dices: ergo licebit.* vbi in fine dicit, quod Religioso qui habuerit licentiam Ordinarij ad dicendam Missam in aliquo Oratorio par-

ticulari, obtentâ facultate ad faciendum sacrum in loco accommodato, *non erit necessaria specialis licentia ad dandam Eucharistiam, sed ex vi priuilegij licebit.* Sic ille. At Religiosus in nostro casu habet licentiam Nuncij, vel Episcopi ad celebrandum in illo Oratorio, vt supponimus: ergo ex vi sui priuilegij poterit ibidem Eucharistiam ministrare absque alia licentia speciali. Verum quidem est, quod Suarez *citato capite post initium*, §. *Tertio circa*, dicit, quod poterit Episcopus, vel parochus prohibere suo parochiano cum iusta causa, ne sumat Eucharistiam in pœnam alicuius delicti, vel ob aliam causam iustam, & in tali casu non poterit illi licitè ministrari Eucharistia. Sed hoc non obstat: nos enim loquimur in casu ordinario, quando non adest delictum propter quod Episcopus, vel parochus communionem parochiano interdixerit, qui casus rarissimus est, & propterea de illo non est sermo. Imò ibidem Suarez addit hæc verba: *Si Episcopus prohibeat subdito non quidem communionem simpliciter, sed ne illam à nostris sacerdotibus* (Societatis IESV) *recipiat, talem prohibitionem nihil obstare huic facultati, quia illa supposita præceptum est iniustum, & directè pugnans cum priuilegio Pontificis.* in quibus verbis satis clarè defendit hanc opinionem. Eandem tenet Rodriguez *citato art.* 3. §. *Circa quas, in fine*, vbi postquam citat tria prædicta priuilegia Nicolai V. *&c.* ponit hæc verba. Per facultatem tamen Leonis X. extra communionem Paschalem, id illis conceditur per viam communicationis, in omnibus communionibus voluntariis, vt scilicet in quacumque Ecclesia possint fideles communicare (id est dare illis Eucharistiam.) Idem tenet Villalobos loco suprà citato, dicens, quod

per

per priuilegium possunt Religiosi audire confessiones, & ministrare Eucharistiam sæcularibus extra suos conuentus. Idem tenet frater Ioannes de Cruce *in sua Epit. de statu Religionis lib.2.cap.5. §. Tertia conclusio.*

5 Rationibus etiam probatur eadem conclusio. Primò: nam Religiosi habent priuilegium dandi Eucharistiam sæcularibus extra suos conuentus, excepto die Paschatis, vt patet ex supradictis, saltem per priuilegium Pauli IV. ergo id poterunt hodie licitè facere. Valet consequentia, quia tale priuilegium non est abrogatum per aliquem Papam successorem, quod sciam; sin minus ostendatur: & sic supponit Suarez non esse abrogatum, sed posse practicari; siquidem motus solum ex priuilegio Leonis X. quod fuit antiquius, ait posse id fieri. Secundò probatur, nam Episcopus non potest abrogare hoc priuilegium Religiosorum dandi communionem extra suos conuentus: cùm enim priuilegium sit lex priuata, inferior Episcopus non potest tollere, vel abrogare legem Papæ superioris. Et licet Tridentinum *sess.22.citata*, facultatem dederit Episcopis, vt possent prohibere Religiosis ne Missas celebrent in Oratoriis particularibus virtute alicuius priuilegij; non ideo ex hoc illis licentiam dedit vt possint prohibere eisdem Religiosis ministrare Eucharistiam extra suos conuentus virtute priuilegiorum quibus ad id muniuntur; cùm vnum priuilegium sit distinctum ab alio, & vnum ab altero non dependeat, vt dixi *suprà num.* 3. & proinde reuocato vno, non censeatur reuocari alterum. Reuocatio enim priuilegij est res odiosa, & quasi pœna, & ideo strictè est interpretanda, iuxta regulam *odia restringi, fauores con-*

uenit ampliari, de regulis iuris *in 6.* & proinde commissio facta alicui ad abrogandum priuilegium, stricte debet interpretari, vt solum extendatur ad illud priuilegium abrogandum, quod in commissione exprimitur. In citata verò commissione Tridentini facta Episcopo, vt Missas in Oratoriis prohibeat Religiosis, non exprimitur quod illis prohibeat dare communionem sæcularibus extra suos conuentus. Secundò principaliter probo, quia hoc priuilegium Pauli IV. non est amissum per non vsum. Nam vt amittatur priuilegium alicuius Religionis, necessarium est primò spacium centum annorum, vt possit in illis dari præscriptio. Et secundò necessarium est vt detur scientia talis priuilegij: & tertiò requiritur quod Religio habeat voluntatem non vtendi tali priuilegio Pauli IV, ab anno 1557. nondum transacti sunt anni centum, vsque ad hunc 1633. Facit etiam ad hoc exemplum istud: Aliqui Religiosi aliquando celebrant Missam extra suos conuentus in Ecclesiis, quæ nec sunt parochiales, neque monasteria, & ibi aliquando Catholici petunt ab illis sacram communionem in Missa, eamque illis ministrant; & de hoc nullus conqueritur: ergo aliquo modo in praxi positum est vt Religiosi sæcularibus Eucharistiam ministrent extra suos conuentus, idque sine licentia parochi; cum hæ sint communiones voluntariæ, ex quibus parocho non fit præiudicium. Et quamuis in hoc fieret aliquod modicum præiudicium parocho, Papa id videns, & sciens potest tale priuilegium concedere cum aliquo præiudicio tertij ob causam aliquam iustam, vt patet clarè in multis priuilegiis, quæ aliqui Summi Pontifices concesserunt aliquibus monasteriis ne

soluerent

soluerent decimas : in quo tamen aliquod præiudicium fit Episcopo, & beneficiariis quibus illæ decimæ debentur. Ergo à simili poterit Papa concedere hoc priuilegium Religiosis, sicut concessit, etiam si aliquod præiudicium parochis adueniret: quanto magi cùm inde illis nullum præiudicium resultet, vt diximus, cùm hæ sint communiones voluntariæ per annum; & solam communionem paschatis, & in articulo mortis teneatur parochianus recipere de manu proprij parochi.

6 Ad primum argumentum pro parte contraria patet solutio ex iis quæ diximus in primo argumento adducto pro ista conclusione : vbi ostendimus Concilium Trident. non dedisse Episcopis facultatem abrogandi priuilegia, quæ habent Religiosi ad ministrandam Eucharistiam sæcularibus extra suos conuentus, licet illis concesserit, quod possint prohibere eisdem Religiosis ne celebrent in Oratoriis: & hoc ex eo quod sint duo priuilegia distincta, & independentia adinuicem, & proinde reuocato vno non censeri reuocari alterum. Et ibi etiam ostendimus non posse Episcopum sine licentia Papæ abrogare alia priuilegia Religiosorum, quale est priuilegium dandi communionem sæcularibus extra conuentus. Ad illud quod additur in confirmationem cùm ait : Qui potest in maius, potest in minus: si id intelligat absolutè, est falsum : nam sacerdos absoluens pœnitentem sacramentaliter, dat illi remissionem peccatorum, quod est maius, & tamen ex se non potest illi dare vnum diem indulgentiæ propriè sumptæ, per modum indulgentiæ, quod est minus. Intelligitur ergo illud dictum, *qui potest in maius, potest in minus*, ist est, quando illud minus est

contentum ſub maiori, illíque ſubordinatum, & dependens à maiori. At dare Euchariſtiam ſæcularibus extra conuentus, quod eſt minus, non ſubordinatur celebrationi Miſſæ, neque ab illa dependet, vt ſuprà vidimus, ſed poteſt dari ſine Miſſa. Addo quod aliquando ius concedit alicui quod eſt maius, & negat illi quod eſt minus. Nam in *cap.* 1. *de Torneamentis*, illi qui moritur in torneamentis, conceditur abſolutio ab excommunicatione, quod eſt maius, & tamen illi negatur ſepultura Eccleſiaſtica, quod eſt minus, vt notat gloſſa *ad cap. citatum.*

7 Ad aliud exemplum eiuſdem primi argumenti, ex regula iuris dicente, quod *acceſſorium ſequitur naturam principalis*, & quod *deſtructo principali deſtruitur acceſſorium*; primò poteſt negari quod dare communionem ſit acceſſorium Miſſæ. Nam licet Euchariſtia quoad fieri pendeat à Miſſa, cùm ſolum intra Miſſam poſſit conſecrari, miniſtratio tamen Euchariſtiæ non pendet à Miſſa, vt ſuprà vidimus. Nec valet exemplum, ſi dicas; Homo producit alium hominem, & homo productus pendet in fieri à producente: ergo homo productus eſt acceſſorium hominis producentis. Eodem modo non valet: Miſſa producit Euchariſtiam (id eſt fit in Miſſa;) ergo Euchariſtia eſt acceſſorium Miſſæ. Secundò reſpondetur ad eandem regulam, quod dato quod miniſtratio Euchariſtiæ eſſet acceſſorium Miſſæ, non ſequitur quod peremptâ Miſſâ, quod eſt principale, pereat Euchariſtia (id eſt illius miniſtratio) & quod diſpoſitum in Miſſa cenſeatur diſpoſitum etiam in miniſtratione Euchariſtiæ: nam illa regula, *deſtructo principali, perit acceſſorium*, intelligitur

telligitur quando accessorium non potest consistere, seu conseruari sine suo principali, à quo pendet in conseruari. Vt perempto homine, qui est principale, pereunt illius albedo, & cætera accidentia, quæ erant illi accessoria, & pendebant ab homine in conseruari. At Eucharistia, vel ministratio illius non pendent ab illa Missa in conseruari, cùm Eucharistia possit conseruari sine Missa, & Eucharistiæ ministratio detur quotidie sine Missa. Sic explicatur illa regula de destructo principali, & accessorio, à Nauarro *consilio 35. de voto, & voti redempt.* vbi ait, quod illa regula, dispositum in principali censeri dispositum in accessorio, debet intelligi quando accessorium non potest consistere sine principali.

8 Ad secundum argumentum dico primò, quod præter citatum priuilegium Pauli III. dantur alia quæ vidimus suprà, maximè Pauli IV. in quo conceditur Religiosis absolutè ministratio Eucharistiæ extra conuentum absque illa clausula: *Sine alicuius præiudicio.* Secundò respondetur, quod licet in hoc fieret aliquod præiudicium parocho (quod suprà fieri negaui) adhuc posset Papa id priuilegium concedere Religiosis, vt suprà ostendi *num. 5. propè finem.*

9 Ad tertium argumentum respondet Suarez *citato cap.3.§.Obijci verò*, dicens quod Papa Clemens V. in Clementina citata non poterat reuocare priuilegia, quæ postea Pontifices successores concesserunt Religiosis, nam Papa antecessor non potest ligare manus sui successoris: & constat quod alij Pontifices successores Clementis V. id expresse concesserunt Religiosis.

10 Ad

10 Ad quartum argumentum respondet Suarez *cit. cap.* 3. §. *Dices ergo*, negando sequelam, nam licet Papa nobis concedat posse ministrare Eucharistiam sæcularibus extra conuentum, non ideo censetur concedere, vt illam deferamus cum pompa per plateas ad infirmos, quia hoc esset contra communem consuetudinem, quæ satis declarat illum modum admiministrationis pertinere ad parochum: ideóque ministerium propriè comprehendi sub illa exceptione Pontificum: *Sine alicuius præiudicio.* Et ratio est, quia ille modus deferendi Eucharistiam per Religiosos ad infirmos per plateas non est in vsu. Leges autem, & iura attendunt id quod regulariter, & frequenter accidit. Et sic poterat Papa concedere Religiosis ministrare Eucharistiam sæcularibus extra suos conuentus, sed non illam deferendi per plateas publicas cum pompa ad infirmos: quia hoc non est in vsu.

11 Adhuc aduerto in illo priuilegio Pauli IV. contineri concessionem magnæ ponderationis. Ex illo namque non obscurè colligitur posse Religiosos dare Eucharistiam sæcularibus etiam infirmis extra suos conuentus, dummodo non deferant per plateas cum pompa, sed sacratissimam Eucharistiam conficiant in Oratorio particulari, & illam ministrent infirmo intra domum Oratorij. Nam dictum priuilegium Pauli IV. cùm exprefsè præmiserit posse Religiosos extra suos conuentus audire confessiones sæcularium, etiam infirmorum, statim subdit: *Ac omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ sacramentum Eucharistiæ illis ministrare.* Vbi clarè dicit posse etiam infirmis sacram Eucharistiam ministrare. Dices: ergo etiam extra suos conuentus, poterunt Religiosi

ligiosi Eucharistiam ministrare infirmo sæculari existenti in articulo mortis, celebrando in Oratorio sæcularis, & dando Euchariſtiam exiſtenti in articulo mortis ? Reſpondeo Papam in prædicto priuilegio ſolam communionem in die paſchatis excipere, & cùm hanc ſolam excipiat, videtur etiam permittere quod poſſint dare communionem in articulo mortis non deferendo per plateas. Poteſt hoc probari ex illo communi Iuriſtarum dicto, quod *exceptio firmat regulam contra alios caſus non exceptos*; at ibi Papa ſolum excipit communionem in die Paſchatis : ergo communio in quocumque alio die firmatur, & permittitur. Et præterea facere poteſt aliud dictum Iuriſtarum, dicens, quód *expreſſum in lege facit ceſſare præſumptum*, vt dicitur in l. *Si ita ſcriptum*, de liber. & poſth. At priuilegium citatum ſolum exprimit, & excipit quod in die paſchatis non miniſtrent Euchariſtiam : ergo præſumptum de miniſtratione illius in articulo mortis ceſſabit, & locum non habebit. Hoc tamen non obſtante, ego non conſulo vt virtute prædicti priuilegij Religioſus miniſtret Euchariſtiam ſæculari exiſtenti in articulo mortis extra ſuum conuentum propter praxim communem extantem in contrarium: & propter Clementinam *Dudum*, de ſepulturis.

CASVS

CASVS XIII.

De reuocatione priuilegiorum concessorum per viuæ vocis oraculum.

DOminus Papa Vrbanus VIII. motus grauibus ex causis, vt ipse innuit in Bulla, anno 1631. in forma Breuis reuocauit omnia priuilegia concessa à quibusuis Sum.Pontificibus,quæ concessa fuerunt solo viuæ vocis oraculo, cuicumque Religioni Mendicanti, vel non Mendicanti, Collegio, Societati,&c. prout statim videbimus. Et quoniam prædicta Bulla nimis tangit Religiosos, & ex illa grauia & quotidiana dubia sunt exorta, libuit hîc primò prædictam Bullam transcribere, & postea aliqua dubia circa illam explicare. Igitur tenor Bullæ talis est.

S. D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII.

Extensio constitutionis rec.mem. Gregorij Papæ XV. reuocatoriæ concessionum viuæ vocis oraculo factarum.

VRBANVS VIII.

AD perpetuam rei memoriam. Aliàs felic. record. Gregorius Papa XV. prædecessor noster, vt subnascentibus iugiter varijs difficultatibus, & abusibus

abusibus ex priuilegijs à sede Apostolica viuæ vocis oraculo sæpenumero concessis obuiam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius Papa XV. ad rei memoriam Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ constitutus diuina prouidentia, gratias, & indulta à se, & à prædecessoribus suis concessa, iustis interdum suadentibus causis, iuxta creditum sibi pastoralis officij debitum moderatur aut reuocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè conspicit salubriter in Domino expedire. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac maturâ deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula indulta, facultates, priuilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas tam ad forum interius, quàm ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientiâ & potestatis plenitudine similibus, à sede Apostolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque, ex quauis etiam necessitate de exprimenda causa, quibusuis Collegijs, Capitulis, Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis Iesu, ac Congregationibus quibuslibet; siue eorum & earum respectiuè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Prouincialibus, quocumque nomine nuncupatis superioribus, etiam

quomo

quomodolibet exemptis, ac sedi prædictæ immediatè subiectis, cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessa, in ijs videlicet quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribúsque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse: neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere: neque aliquem illis de cætero vti vllo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio etiam de verbo ad verbum de ijs facienda esset, decernimus, & declaramus. Firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & alijs concessionibus prædictis viuæ vocis oraculo S. R. Ecclesiæ Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque fauorem propria S. R. Ecclesiæ Cardinalium manu firmatis pro ipsis, vel alijs factis, & de quibus ijdem S. R. Ecclesiæ Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel in controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas quodcumque iuris, gratiæ,

vel

vel facti remedium impetrari nullatenus posse: sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sícque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari debere, ac definiri; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque, indultis & litteris Apostolicis Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorúmque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs superioribus prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non tamen per clausulas generales idem importantes, mentio, seu

K quæuis

quæuis alia expreßio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenore huiuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreßis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, ac expreſsè derogamus, cæteríſque contrarÿs quibuſcumque. Volumus autem vt præſentium tranſſumptis etiam impreßis manu alicuius Notarÿ publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum ſancti Ioannis Lateranen. ac principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie campi floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Dat. Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo piſcatoris die 11. Iulÿ 1632. Pontificatus noſtri anno 11. Cùm autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceßiones, & gratias viuæ vocis oraculo etiam à S. R. Eccleſiæ Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmitas, ſæpè ab his in quorum fauorem emanarunt, minus canonicâ interpretatione extendi, & perperàm in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari. Idcirco quantum cum Domino poſſumus, his, & alÿs malis occurrere volentes motu proprio,

proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, quibus negotium huiusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula priuilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per nos, viuæ vocis oraculo, & S. R. prædictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Prouincialibus, cæterísque superioribus, & personis, cuiusuis Ordinis, Congregationis, instituti, & societatis, siue sæcularibus, siue regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, institutis, & societatibus, etiam Societati IESV, *aut Clericis, seu Presbyteris alÿsque personis prædictis quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero reuocata, cassa, sublata abrogata, & annnullata, viribúsque & effectu vacua esse, & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse nec debere declaramus. Præterea vt præsentes litteræ omnibus, & singulis ad quos spectat,*

& pro tempore ſpectabit, quantocyùs innoteſcant, omnibus & ſingulis Generalibus, & alijs quocumque nomine nuncupatis ſuperioribus quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis IESV, & inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac priuationis officiorum & dignitatum, necnon vocis actiuæ, & paßiuæ pœnis ipſo facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, vt infra tres menſes proximos à die præſentium computandos, omnes, & ſingulos Prouinciales eorumdem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis IESV, & inſtitutorum, de eiſdem præſentibus litteris certiores faciant, earumdémque præſentium exemplaria illis tranſmittant. Qui quidem Prouinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis ſuperioribus monaſteriorum, conuentuum, collegiorum, domorum, & locorum regularium præcipere, & eaſdem præſentes ſubditis ſuis, vt moris eſt, publicent. Decernentes præſentes litteras etiam ex eo quod quicumque in præmißis intereſſe habentes, vel habere prætendentes aduocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, inualidari, redargui, in ius, vel controuerſiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, ſiue aduerſus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper

per validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere. Sícque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores sublatâ eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere: ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præinsertis litteris huiusmodi, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam regulâ nostrâ de non tollendo iure quæsito: priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, institutis, & societatibus, eorúmque superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub quibuscumque verborum formis, & ten. ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret,

illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expreßis habentes, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transsumptis, etiam impreßis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, & ostensæ: quódque eædem præsentes litteræ, siue illarum exempla ad valuas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ huiusmodi similiter affixa, omnes quos concernunt perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Decembris 1631. Pontificatus nostri anno nono.

M. A. MARALDVS.

1 Hæc est Bulla priuilegiorum viuæ vocis oraculo reuocatoria: imò hîc sunt duæ Bullæ, prima Papæ Gregorij XV. secunda Vrbani VIII. & hæc secunda est rigorosior quàm prima Gregorij. Nam Gregorius non reuocat viuæ vocis oracula impetrata ad instantiam Regum, vel Cardinalium, dummodo sint firmata manu Cardinalium. At Vrbanus VIII. etiam hæc duo reuocat, vt patet ex textu. Incipit vero Bulla Vrbani ab illo versiculo, *Cùm autem experientia.*

2 Differt autem priuilegium concessum viuæ vocis oraculo à priuilegio concesso per Bullam, quia illud

non

non conceditur à Papa per ſcriptum, in quo Papa ponit ſuum nomen in principio Bullæ, & proponit narrationem, & cauſam conceſſionis. Et in fine adiicit, clauſulas, non obſtant. & cæt. At in conceſſione viuæ vocis oraculo, Papa nihil horum facit, neque per ſuum ſcriptum aliquid dicit, ſed ad petitionem alicuius Cardinalis, Epiſcopi, vel Prælati alicuius Religionis aliquid petentis ſolo ore, dicit, *Fiat*. Et de hoc prædictus impetrans teſtimonium ſcripto prodit, vt videre eſt apud Rodriguez in Bullario locis mox citandis.

3 Cùm autem ex reuocatione huiuſmodi priuilegiorum viuæ vocis oraculo, magna ſit orta confuſio inter Religioſos, eo quod vtplurimum ignorent quæ & qualia ſint illa viuæ vocis oracula tot Pontificum, quibus antea pacificè fruebantur, ego ſæpius de hoc rogatus, reſpondi, neminem in hoc poſſe reſolutionem ſummariam tradere, niſi conficiendo integrum librum de hac materia, ob multitudinem viuæ vocis oraculorum diuerſis Religionibus à variis Sum. Pontificibus conceſſorum. Nam imprimis ſolus Leo Decimus apud Rodriguez *in Bullario à fol.* 718. *& ſequentibus*, conceſſit ſeptuaginta ſex viuæ vocis oracula diuerſis Religionibus. Et Pius V. apud eundem Rodriguez *citato Bullario à fol.*977.conceſſit triginta tria: vltra alia viuæ vocis oracula, quæ in eodem Bullario citat Rodriguez in fine conceſſionum aliquorum Sum. Pontificum, quæ longum, & moleſtum eſſet recenſere. Præterea in compendio Mendicantium paſſim referuntur multæ conceſſiones Pontificum factæ ſolo viuæ vocis oraculo diuerſis Religionibus, & hæc viuæ vocis oracula deſignat prædictus Author compendij, apponens ſingu-

lis litteram *O* magnum, & litteram *o* paruum. Quæ viuæ vocis oracula cùm tot ſint numero, non poſſunt à me commodè recenſeri abſque nimio labore. Maximè cum poſſit contingere, quod aliqua viuæ vocis oracula, quæ citatis locis contenta ſunt, potuerint poſtea ab aliquibus Sum. Pontificibus per Bullam concedi aliquibus Religionibus, quibus hodie poſſunt frui, cùm iam ſint conceſſa per Bullam, quæ ego non poſſum ſcire. Et ideo mihi ſufficit oſtendere libros, in quibus viuæ vocis oracula continentur. Ne tamen rem adeò neceſſariam intactam relinquam, contentus ero hîc ponere illa viuæ vocis oracula prædictis libris contenta, quæ erant frequentiora apud Religioſos, & magis neceſſaria, vt ſciant hodie à quibus debeant abſtinere: cætera non ſic ſcitu digna omittam.

4 Primum ergo viuæ vocis oraculum poſitum inter viuæ vocis oracula Leonis X. *num. 5. citato Bullario* eſt, quod poſſint prælati noſtri Ordinis in ſuis Eccleſiis, vel capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias ſepulturas in ſuis Eccleſiis transferre de conſenſu illorum quorum intereſt, quod aliàs facere non poſſent; de quo Rodrig. *tom.* 3. *qq. q.*62. *art.*1.

5 Secundum eſt, quod ponitur *ibidem num.* 8. quod ſcilicet in tempore quo Eccleſia ponit ceſſationem à diuinis, eadem poſſint tunc facere Religioſi, quæ poſſunt facere tempore interdicti, & quod in forma obſeruationis nulla ſit differentia inter ceſſationem à diuinis, & interdictum quodcunque. Quæ profectò erat magna conceſſio, cùm ceſſatio à diuinis ſit rigoroſior interdicto.

6 Tertium ponitur *num.* 38. eiuſdem Leonis, quod fratres

fratres Minores vocati, aut inuitati à prælatis Ecclesiarum, id est Episcopis, aut à prælatis Religiosis, vel Visitatoribus habentibus curam aliquorum monasteriorum Monialium, ad hoc quod visitent prædicta monasteria, vel exerceant omnia alia, quæ in monasteriis sibi subditis exercent, aut ad hoc quod intrent cum ipsis prælatis, siue Visitatoribus ad videndum officinas, & totum monasterium interius, possint cum ipsis prælatis, non obstante prohibitione, seu regulâ, vel declarationibus eiusdem regulæ, &c. quæ etiam erat magna concessio, sed hodie reuocata.

7 Quartum ponitur *ibidem num.* 39. quod tempore interdicti ordinaria auctoritate appositi possint prædicti fratres dare publicè professionem fratribus suis, & in illa cantare, *Veni Creator Spiritus*, & alias ceremonias consuetas facere. Et quod tempore huiusmodi interdicti possint facere processiones per claustra dicendo litanias, & hymnos, &c.

8 Quintum ponitur *ibidem num.* 49. quod fratres laici socij Vicariorum generalium, dum illis in Missa inseruiunt, possint propriis manibus tangere calices, & corporalia plicando, & explicando, sicut Clericus in sacris constitutus facere consueuit.

9 Sextum habetur *ibidem num.* 54. quod possent fratres Minores celebrare Missam illico post matutinum, & post meridiem, præsertim diebus quando datur præceptum de Missa audienda: quando fratres sunt iter agressuri, vel veniunt de via, vt non possint ante meridiem celebrare, &c. ibi. Sed quoad hanc materiam quæ sæpe Religiosis occurrit, noto quod Patres Augustinienses habent priuilegium non viuæ vocis oraculo, sed per Bullam concessam ab

Innocentio VIII. in compendio Mendicantium, verbo *Missa* 2. §. 5. per quod illis conceditur, quod expleto matutinali officio etiam ante lucis auroram possint Missas celebrare: nihil tamen ibi concedit de Missa post meridiem. Et proinde hoc priuilegium prædictorum Patrum non est hodie reuocatum, cùm sit illis datum per Bullam, & in illo poterunt communicare cæteri Religiosi participantes priuilegia prædictorum Patrum.

10 Septimum viuæ vocis oraculum est *ibidem n. 66.* per quod concedit Papa Leo X. prælatis Minorum, vt cum aliquem fratrem in capitulo excommunicant, vel in communitate, non teneantur sententiam fere in scriptis, prout in iure sub pœna excommunicationis præcipitur, proferentibus. Pro quo sciendum est quod in cap. *Cùm medicinalis*, de sentent. excom. *in 6.* excommunicantur illi qui proferunt excommunicationem contra aliquem ore tenus sine scripto. Vnde iam non habet locum quod cum Rodriguez dixi meo primo tomo dubiorum Regularium verbo *Excomm.n.*2.videlicet prælatos nostræ Religionis cum ponunt excommunicationem ab homine præcipientes subdito præsenti ne aliquid faciat, vel vt aliquid faciat sub excommunicatione, idque sine scriptis, non incurrere hanc excommunicationem. Cessat,inquam, illa doctrina, quia erat fundata in hoc viuæ vocis oraculo iam reuocato per hanc Bullam: & aliàs lata excommunicatio erit nulla, vtpote lata à non potente sic excommunicare. Aduertit tamen Bonacina *tom.*3.*disput.*3.*q.*5.*punct.*1.§.2.*num.*4. quod poterit talis prælatus excusari ob ignorantiam, vel propter bonam fidem, pro quo citat Suarez, & alios. Ait præterea posse excusari si periculum sit in mora, neque aliud

aliud ferat necessitas, vtpote si nequeat fieri scriptura. Tertiò addit non esse necessarium quod scriptura sit publica, sed sufficiet quod sit priuata: debet tamen scriptura continere causam ob quam fertur excommunicatio, sicut exprimitur in dicto cap. *Cùm medicinalis.*

11 Octauum viuæ vocis oraculum inter eadem oracula Leonis *num.* 76. erat quod fratres nostri Ordinis quando sunt extra conuentum, & non possunt habere sacerdotem eiusdem Ordinis, quia non habent socium confessorem, possint confiteri peccata sua alteri Religioso alterius Ordinis, vel etiam Presbytero sæculari, & hoc sine fraude, dummodo dicant prælato suo. Hoc tamen viuæ vocis oraculo frui possunt hodie Religiosi communicantes cum Patribus Dominicanis in priuilegiis quibus per Bullam concessum est à Sixto IV. in compendio Mendicantium verbo *Absolutio ordinaria quoad fratres*, §. 35. quod de licentia suorum prælatorum dum itinerauerint, vel fuerint extra conuentus suos dumtaxat, valeant confiteri quibuscunque sacerdotibus regularibus, vel sæcularibus. An verò iste confessor alterius Ordinis debeat esse confessor sæcularium, an sufficiat quod sit tantum confessor fratrum sui Ordinis, dixi *in 1. tom. dubiorum Regul. verbo, Confessor erga regulares, n.* 14. cum Nauarro, & Rodriguez, sufficere, quod sit confessor tantum fratrum in suo Ordine.

Cætera viuæ vocis oracula Leonis X. apud Bullarium Rodriguez citato loco, vel pertinent ad indulgentias, quæ propriè non sunt priuilegia, vt infrà dicemus: vel non sunt adeò necessaria, & ad vsum frequentia. Venio ad viuæ vocis oracula Pij V. in eodem Bullario *à fol.* 977. circa quæ idem seruabo, quod

quod feci in oraculis Leonis X. solum citando illa, quæ frequentiora erant, & grauiora, à quibus oporteat abstinere.

12 Primum igitur viuæ vocis oraculum Pij V. positum in principio, & impetratum à Cardinali Alexandrino, quod Moniales sanctæ Claræ singulis feriis quintis possint recitare officium sanctissimæ Eucharistiæ non impeditâ illâ quintâ feriâ aliquo alio festo prout ibi explicatur.

13 Secundum ibidem ponitur impetratum ab eodem Cardinali Alexandrino §. *Nos Alexander.* in quo sequentia concedebantur circa ingressum feminarum in monasteria Monachorum. Primò, vt feminæ possent intrare claustra, & clausuram Monachorum, quando in eis Missa, & alia diuina officia celebrarentur; & quando processiones fiunt, vel defunctorum cadauera sepeliuntur, vel etiam pro illis suffragia fiunt. Secundò, vt quando in Ecclesia Regularium habetur concio ad populum, vel ob aliam caussam, est tantus populi concursus, vt feminæ commodè exire non possint per portam Ecclesiæ, vel intrare per illam, possint ingredi, & egredi per portam claustri Monasteriorum, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur à Monasterio: hæc ibi continentur. Et scio hoc esse viuæ vocis oraculum à quodam Cardinali Alexandrino. Nec mihi constat quod ab alio Summo Pontifice per Bullam concessum sit. Quo non obstante, ego video hodie post prædictam Bullam fieri oppositum, & sine scrupulo: de quo nihil audeo dicere; sed solum hanc quæstionem proponere, pro dicta praxi in contrarium excusanda, vel potius accusanda.

Dubium tale est. An ista Bulla Domini Vrbani VIII.

ni VIII. reuocatoria priuilegiorum concessorum viuæ vocis oraculo, reuocet etiam declarationes aliquorum Summorum Pontificum, quas ipsi videntes fecerunt ore tenus circa aliquam Bullam à se antea publicatam? Et mihi videtur quod ista Bulla non reuocat declarationem alicuius Papæ ore tenus factam circa aliquam Bullam prius à se editam. Probatur, quia declaratio alicuius Papæ circa aliquam suam legem præteritam, neque est priuilegium, neque est noua lex, vt patet, sed explicatio contentorum in Bulla præterita. Cum ergo reuocatio sit quid odiosum, imò aliquando pœnale, non debet lex ista reuocans priuilegia viuæ vocis oraculo concessa extendi ad reuocandas declarationes alicuius Papæ, imò neque ad reuocandas declarationes Cardinalium: iuxta regulam, de Regulis iuris in 6. *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Si autem hoc verum est, vt credo, potest responderi ad præcedens dubium de ingressu mulierum in claustra Religiosorum in prædictis occasionibus, quod non fuit nouam concessionem facere, sed declarare mentem suam, & proinde fuit declaratio Papæ, non verò fuisse nouam concessionem. Probo hoc ex verbis ibi Cardinalis Alexandrini: referens enim quod Papa Pius V. per rigorosam suam Bullam præcedentem rigorosè prohibuerat ingressum feminarum in monasteria virorum; ait prædictus Cardinalis, prædictum dominum Pium respondisse sic: *Quod per dictas suas litteras non intellexit, neque intelligit, quod mulieribus præcludatur aditus accedendi ad monasteria, & loca regularia, quando in eis,* &c. Quæ verba, *Non intellexit, neque intelligit*, videntur esse declaratiua tantùm, & non denuò concessiua: sed potiùs supponentia quod ibi contenta iam fiebant ex consuetudine, saltem de ingressu

ingressu feminarum in claustra quando sit processio. Et ideo si prædicta interpretatio Cardinalis Alexandrini circa prædicta, non fuit noua concessio viuæ vocis oraculo, sed Papæ declaratio, non est reuocata per istam Bullam D. Vrbani. Hoc est quod mihi occurrit dicendum in hoc dubio grauissimo. Videant illi ad quos pertinet, quid sibi faciendum sit.

14 In eodem Bullario inter oracula Pij V. *num.* 9. conceditur quod prouinciales possint aliquibus Religiosis confessoribus doctis, concedere authoritatem vt possint dispensare cum viris, & mulieribus incestuosis, qui carnaliter peccauerunt cum consanguineis alterius coniugis intra quartum gradum ad hoc vt possint petere debitum, & hoc in foro cõscientiæ tantùm.

15 Ibidem *num.* 12. concessit prouincialibus, vt possint committere confessoribus approbatis iuxta Concilium Tridentinum, authoritatem dispensandi cum his, qui ante matrimonium vouerunt castitatem vt licitè possint petere debitum, & hoc in foro conscientiæ tantùm. Quæ duæ concessiones erant magni momenti, & sæpius in praxi occurrentes. Hodie tamen sunt omnino sublatæ.

16 Ibidem *num.* 15. concessit quod fratres Minores possint vti omnibus suis priuilegiis concessis per antecessores Pontifices etiamsi aliqua ex illis priuilegiis essent restricta, & derogata per Concilium Tridentinum. Quæ quidem erat magna concessio, & valde vtilis ad tollendos sæpè scrupulos in aliquibus materiis difficilibus. Hodie tamen prædicta concessio sublata est per præsentem reuocatoriam. Cætera viuæ vocis oracula Pij V. vel sunt minoris momenti, vel ad indulgentias spectantia.

17 Adhuc refero aliud viuæ vocis oraculum Leonis X.

nis X. citato loco Bullarij *num.* 57. quo concessit Minoritis vt in die ieiunij possint comedere vnâ horâ ante horam consuetam prandij, quod video practicari apud eosdem Religiosos extra communitatem, neque ego inuenio prædictum priuilegium ab alio Pontifice per Bullam scriptam fuisse concessum. Quod tamen viuæ vocis oraculum per præsentem Bullam D. Vrbani VIII. clarè reuocatur. Et antequam circa illud aliud aduertam, noto quod absque vllo priuilegio prandere in die ieiunij vnâ horâ ante horam consuetam quidquid sit de peccato veniali, saltem non est peccatum mortale. Ita tenet Bonacina *tom.*2. *disp. vlt. q.*1.*punct.*4.*n.*3.cum Toleto, Filliucio, & Lessio ibi citatis; & addit, quod si detur iusta causa, neque erit peccatum veniale talis anticipatio per horam: & citat alios quatuor Doctores graues vltra prædictos. Et si fiat sine causa, erit veniale.

18 Occasione prædicti viuæ vocis oraculi Leonis hactenus practicati pono sequens dubium ortum post præsentem Bullam D.Vrbani VIII.quod tale est. Occasione alicuius viuæ vocis oraculi antea concessi, aliqua Religio habet consuetudinem ferè immemorabilem faciendi illud quod concedebat tale viuæ vocis oraculum, vt prandere vna hora ante horam consuetam in die ieiunij: quæritur an ista Bulla reuocet prædictam consuetudinem ortam ex tali viuæ vocis oraculo? Audiui ego quemdam virum doctum, & Religiosum respondisse talem consuetudinem immemorabilem non reuocari per hanc Bullam. Potuit fortè moueri ad id asserendum, ex eo quod in ista Bulla licet multa reuocet, non tamen reuocat consuetudines, vt patet ex Bulla. At constat quod lex non abroget consuetudinem rationabilem nisi expresse caueatur in le-

ge

ge ipſa, vt colligitur *ex cap.*1. *de conſtit. in* 6. Ego tamen omnino cenſeo oppoſitum, & dico qualemcunque conſuetudinem fundatam in aliquo viuæ vocis oraculo, licet ſit immemorabilis, reuocari per hanc Bullam. Probo, quia in iſta Bulla D. Vrbani VIII. poſtquam Papa exprimit aliqua quæ reuocat, addit: *Et cæteris contrarijs quibuſcunque*, id eſt non obſtantibus quibuſcunque contrariis. At talis conſuetudo eſt contraria iſti Bullæ ſicut eſt viuæ vocis oraculum, in quo fundatur: ergo per Bullam reuocatur. Secundò hîc optimè inſeruit illa regula iuris, quod *deſtructo principali, deſtruitur acceſſorium*, in ipſo fundatum, & ab ipſo principali dependens: ſed talis conſuetudo fundatur in illo viuæ vocis oraculo tanquam in principali, & ab ipſo viuæ vocis oraculo dependet: ergo deſtructo viuæ vocis oraculo, & reuocato per hanc Bullam, deſtruitnr etiam, & reuocatur talis conſuetudo. Tertiò, quia conſuetudo vniuerſalis abrogatur per legem vniuerſalem, etiam ſi lex non habeat clauſulam derogatoriam, vt probat Suarez *tom. de legibus, lib.*7. *cap.*20. *n.*7. citans Baldum, Felinum, & Rotam. Cum ergo hæc Bulla reuocatoria, ſit generalis, reuocabit quamcunque conſuetudinem contrariam. Quartò probatur, quia aliàs Bulla hæc foret ferè fruſtatoria: bene enim ſciebat Papa quod in aliquibus Religionibus erant conſuetudines ortæ, & fundatæ in viuæ vocis oraculis, quæ reuocare intendit: ergo ſi tales conſuetudines in iſta Bulla non reuocaret, parum, vel nihil Papa efficeret, eſſetque lex ſaltem ex magna parte fruſtratoria, quod non eſt dicendum. Vltimò probatur, quia Papa in hac Bulla interdicit omnino vſum cuiuſcumque viuæ vocis oraculi: at illa conſuetudo orta ex viuæ vocis oraculo, nihil aliud eſt quàm vſus

viuæ

viuæ vocis oraculi, vt patet; ergo illam consuetudinem interdicit.

19 Maius dubium est, an per istam Bullam Papa reuocet viuæ vocis oracula per quæ aliqui Sum. Pontifices concesserunt aliquibus Religionibus aliquas indulgentias, quales concesserunt Leo X. & Pius V. *cit. loco Bullarij* viuæ vocis oraculo, vt ibi videre licet. Et videtur quod etiam illa reuocet: nam tales indulgentiæ concessæ sunt viuæ vocis oraculo; hic autem Papa reuocat omnia viuæ vocis oracula sine distinctione: *quando* verò *lex non distinguit, neque nos debemus distinguere*, vt dicitur in iure. Secundò, quia hic Papa expresse dicit se reuocare quascunque gratias, & indulta: at indulgentia in significatione propria est gratia, & indultum: ergo etiam reuocat indulgentias concessas per viuæ vocis oraculum, quæ sunt multa. Et hæc opinio est securior, & consulenda in praxi. Disputandi tamen gratiâ, videtur posse dici, quod Papa hîc non reuocet indulgentias viuæ vocis oraculo concessas. Potest hoc vtcunque probari ex glossa *in cap. de praben. & dignit. in 6. verbo Dignitatum*, vbi explicans textum Papæ dicentis quod ad Papam pertinet dispositio Ecclesiarum, personarum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum, &c. quærit glossa, an Episcopatus comprehendantur in ista constitutione? & respondens quod non, ponit ista verba: *Quia eà quæ speciali notâ sunt digna, nisi specialiter notentur, neglecta intelliguntur.* Et citat ad hoc legem quandam iuris ciuilis, & duo capita iuris Canonici. At indulgentia est res valde notabilis, & digna speciali notâ, vt patet, & non notatur specialiter in ista reuocatoria Bulla: ergo videtur quod non reuocantur in illa viuæ vocis oracula indulgentiarum. Ad quod facit, quod sub com-

munibus nominibus non comprehenditur indulgentia, vt probat Suar.*tom. de legib.lib.8.cap.9. ad finem*, & innuit Nauarrus *lib.5. consiliorum tit. de pœnitent. & remiss. consilio 2. num.3.* Nihilominus certius est oppositum, vt dixi, per illam rationem quam dixi, videlicet quia Bulla reuocat omnia viuæ vocis oracula, & non distinguit, quidquid contineat tale viuæ vocis oraculum: ergo etiam reuocat viuæ vocis oracula, per quæ conceduntur indulgentiæ. Sed de hoc videat qui voluerit id quod dixi in primo meo tomo dubiorum Regularium *verbo, Indulgentia, à num.1. vsque ad 14.* de reuocatione indulgentiarum facta à Domino Paulo V. circa indulgentias regularium.

Non adduxi hoc loco viuæ vocis oracula posita in compendio, tum quia multa sunt, tum quia non sunt frequentia in praxi: tum quia Rodriguez in suo Bullario citato illa maiori ex parte transcripsit. Videat qui voluerit in eodem Bullario in fine concessionum cuiusque Pontificis: & in compendio Mendicantium in fine cuiusuis concessionis habentis litteram *O* paruum, siue *O* magnum.

CASVS XIV.

Dubia circa reclamationem cuiusdam professi.

QVidam Religiosus in Ordine non Mendicante transiuit ad alium Ordinem Mendicantem strictiorem, in quo habitum suscepit, & professionem emisit in eodem secundo Ordine; & in eodem secundo Ordine vixit per annos sexdecim, repûtatus pro vero Religioso

Religioſo ſecundi Ordinis. In eodem ſecundo Ordine commiſit grauia delicta, ob quæ prælatus ſecundi Ordinis illum primò carceri mancipauit, & poſtea per ſententiam illum condemnauit ad maius tempus carceris, & alias pœnas minores. Ille lectâ ſibi ſententiâ, per modum appellationis recurrit ad Vicarium generalem Ordinarij, allegans ſe non eſſe profeſſum ſecundæ Religionis, eo quod quando ad illam venit, non petiit, neque obtinuit licentiam à ſuo prælato primæ Religionis. Quo audito Vicarius generalis decreto particulari mandauit prælato locali conuentus, in quo carceratus exiſtebat, vt prædictum carceratum ſolueret è carcere, eundémque reponeret in certo quodam loco Religioſo extra prædictam ſecundam Religionem. Prælatus localis prædicti carcerati, reſpondit ſe non teneri obedire præcepto prædicti Vicarij generalis, ob rationes, quas mox prætendebat allegare ſicut de facto allegauit. Et profectò hic caſus, & nouus, & difficilis, & inuoluens multas quæſtiones.

Prima eſt, an prædictus Religioſus poſt annos ſexdecim profeſſus in ſecunda Religione potuerit reclamare, & audiri ſine reſcripto Papæ?

Secunda eſt, an prædictus Vicarius generalis illud potuerit præcipere prælato locali carcerati, & facere per ſe ſolum proceſſum circa nullitatem profeſſionis?

Tertia, an prædictus Vicarius generalis poſſit liberare à carcere prædictum Religioſum?

Quarta, an profeſſio emiſſa à prædicto Religioſo in ſecundo Ordine fuerit valida, licet conſtet, quod non petierit, neque obtinuerit licentiam à ſuo prælato primæ Religionis?

Quinta, an dato quod ſecunda profeſſio fuerit

nulla, poſſit prælatus ſecundæ Religionis hodie prædictum Religioſum punire propter culpas ab eo commiſſas tempore quo geſtauit habitum ſecundæ Religionis, & reputatus eſt verus Religioſus illius. His omnibus quæſtionibus ſingillatim reſpondebimus.

Reſpondetur primæ quæſtioni.

1 QVòd attinet ad primam quæſtionem, præmitto Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. cap.10. de Regularibus*, decernere abſolutè, vt ſi aliquis Religioſus poſt annos quinque à die ſuæ profeſſionis prætenderit probare ſuam profeſſionem fuiſſe nullam, non audiatur. Quo non obſtante, Suarez *tom.3. de Religione, cap.4. à num. 6. & ſeqq.* ſentit in tribus caſibus poſſe audiri reclamantem contra ſuam profeſſionem. Primus eſt, quando aliquis toto tempore quinquennij non potuit reclamare, & ius ſuum coram Ordinario poſtulare, & fuit impeditus. Secundus caſus eſt, ſi ignorantia inuincibilis de ipſius profeſſionis nullitate aliquo tempore interceſſit: nam licet hæc non præſumatur, niſi probetur, vbi tamen probari poteſt, excuſabit, quia cauſat moralem impotentiam. Tertius caſus eſt quando defectus profeſſionis talis eſt, vt ſit euidens non potuiſſe toto illo quinquennio auferri, & conſequenter nec ratificari profeſſionem: ponit ibi exemplum de quodam viro coniugato, qui prius dimiſit vxorem ſuam ob publicum adulterium ab illa commiſſum: & ingreſſus Religionem, in illa profeſſus eſt, & in illa manſit vltra quinquennium: ſed poſtea probatum eſt, quod ille ante ingreſſum Religionis pariter adulterium commiſit, & ſic non poterat facere diuortium, nec proinde profeſſionem emittere: &

ex

ex conſequenti non potuit in quinquennio profeſſionem ratificare abſque conſenſu vxoris ſuæ adhuc viuentis. Et ait Suarez iudicatum fuiſſe, talem profeſſionem diſſoluendam fuiſſe, non obſtante quinquennio tranſacto. Fundamentum præcipuum Suarez eſt, quia lex illa Tridentini eſt fundata in præſumptione: præſumit enim Concilium, quod talis profeſſus intra annos quinque debuit ratificare ſuam profeſſionem præteritam;ergo quotieſcunque talis præſumptio euidenter ſeu cum ſufficienti probatione in externo foro ceſſauerit, non obſtante hac lege audiendus erit talis Religioſus. Et eſt quidem hæc opinio ſatis probabilis, cum dictis modificationibus,neque puto vllum ex illis tribus caſibus in hoc noſtro caſu concurriſſe.

2 Quo non obſtante Bonacina Doctor grauiſſimus poſt ipſum Suarez *in ſuo primo tom.q.2.de clauſura,puncto* 10. *difficultate* 4. *num.* 4. abſolutè dicit nullum remedium competere Religioſo reclamanti poſt quinquennium, niſi reſcriptum Papæ. Rationes iſtius Doctoris ſunt plures, & efficaciores. Prima, quia Concilium Tridentinum abſolutè dicit, quod Religioſus reclamans non audiatur niſi intra quinquennium: ergo non præmittit ipſum vti alio remedio, cum eo vti non poſſit niſi audiatur. Secunda, quia in pari cauſa reſtitutionis in integrum inter duos Minores, melior eſt conditio poſſidentis *l. Si minor* 35 *.ff.de minoribus.* Sed Religio gaudet priuilegio Minoris, *cap.* 1. *de in integrum reſtitut.* ergo Religioſus vti non poteſt contra Religionem priuilegio reſtitutionis in integrum. Tertiò, quia Concilium Tridentinum citato loco denegat Religioſum audiri poſt quinquennium propter pacem, & tranquillitatem Religionis: Religio autem hac tranquillitate, & pace priuari poſ-

set, si Religiosus transacto quinquennio vti posset remedio extraordinario restitutionis in integrum, multi enim hoc subsidium implorarent. Quartò, quia licet admittamus Tridentinum citato loco niti præsumptione rationis professionis intra tantum tempus, nihilominus huiusmodi præsumptio est iuris & de iure, contra quam non datur probatio, perinde enim se habet huiusmodi præsumptio, ac si esset firmum ius, & ea posita certum quid statuitur, etiam si in lege non exprimatur probationem contrariam non esse admittendam, vt probat Menoch. *de præsumpt. lib.*1.*q.*3.*num.*16.*& seqq.* Quintò, quia Gregor. XIII. ex sententia sacræ Congregationis Cardinalium, declarauit Religiosum audiendum non esse vltra quinquennium, etiam si allegaret vim, & metum semper durasse: ergo idem dicendum est de ignorantia, vel alio impedimento, cum eadem in omnibus ratio militet: & alleganti in hoc casu ignorantiam, vel aliud impedimentum aduersetur præsumptio iuris, & de iure. Ita Parisius *de resignat. beneficiorum*, *lib.*13. *quæst.* 5. *num.*46. vbi testatur ita declaratum fuisse à sacra Congregatione Cardinalium. Idem tenet Ceuallus *quæst. pract.q.*500. *in fine*, & alij.

3 Et sanè hæc videtur opinio potioribus fundamentis probata, maximè propter declarationem DD. Cardinalium pro illa citatam. Concedit tamen Bonacina *citato loco num.* 7. quòd si Religiosus professus habebat impedimentum perpetuum irritans professionem, tunc elapso quinquennio poterit audiri, vt cernitur in exemplo adducto ex Suarez *num.* 1. de viro adulterante, *&c.* Secus ait Bonacina dicendum si impedimentum fuit temporale. Ad fundamentum verò Suarez dicentis, legem Concilij fundari in præsumptio

ſumptione, dicendum eſt hanc præſumptionem non eſſe qualemcumque, ſed præſumptionem iuris, & de iure, quæ non admittit probationem, vt numero præcedenti diximus cum Bonacina. Tres verò caſus citati ſupra à Suarez, in quibus ait admitti poſſe reclaclamationem, non potuerunt contingere in iſto caſu, cum iſte Religioſus non laboraret ignorantiâ, & benè ſciret ſe non poſſe profiteri in alia Religione abſque licentia ſui Prælati prioris Religionis. Et præterea habuerit ſexdecim annos, in quibus abundè potuit reclamare, neque illi vnquam vis aliqua facta fuerit: neque per annos ſexdecim requiſitus fuerit à Prælatis ſuæ prioris Religionis, ſcientibus de illius profeſſione facta in ſecunda Religione.

4 Ad maiorem dictorum probationem, & claritatem aduerto hîc cum prædicto Bonacina *citatâ quæſtione 2. puncto* 10.§.5. *num.* 2. cum Rodriguez, & Angles ibi citatis teneri Religioſum inualide profeſſum, & obligari ad ratificandam profeſſionem nullam, poſt quinquennium, ſaltem quando profeſſio irrita fuit ob ipſius culpam, præter alias rationes affert iſtam; quia licet Religio ſit graue iugum, nihilominus eſt etiam valde vtile ipſimet profeſſo onus illud ſuſcipienti, & onus vtilitate, & incommodum fructu compenſatur: & ex conſequente ægrè ferre non debet in eas ſe coniectum eſſe anguſtias, vt ad illud ſubeundum obligetur, maximè cùm culpa ſua ad id occaſionem dederit. Quod ſi dicas in hoc religioſo per illos ſexdecim annos datum fuiſſe perpetuum impedimentum ratificandi profeſſionem cùm non haberet licentiam Prælati primæ Religionis ad profitendum in ſecunda Religione: & ſicut ſine illa non poterat profiteri in ſecunda, ita non poterat dictam

professionem ratificare ob impedimentum durans. Ad hoc dubium patebit responsio ex dicendis in responsione ad quartam quæstionem, vbi probabo professionem istius Religiosi factam in secunda Religione fuisse validam, etiam si non petierit, neque obtinuerit licentiam à suo Prælato primæ Religionis.

5 Vltimò aduerto hodie in hoc regno in praxi positum esse, vt nullus Ordinarius audiat aliquem reclamantem post quinquennium, nisi prius obtento rescripto Papæ, per quod restituatur ad quinquennium, sicut ego vidi circa duas Moniales istius regni, quæ post quinquennium de nullitate professionis reclamarunt, & non fuerunt auditæ ab Ordinariis, nisi prius obtento rescripto Papæ. Et ratio clara id suadet: nam in dubio parendum est legi, neque in dubio licitum est operari contra legem, aliàs subiiceret se quis claro periculo peccandi contra legem: ergo stante dubio de validitate professionis, de qua reclamatur vltra quinquennium, non est licitum operari contra legem Concilij clarè decernentis vt non audiatur: intellige sine rescripto Papæ dispensantis in lege prædicti Concilij.

Responsio ad secundum quæsitum.

1 QVod attinet ad secundum quæsitum, an scilicet Vicarius generalis Ordinarij possit solus absque Prælato regulari facere processum, vel processum incipere sine dicto Prælato regulari? Respondeo non posse. Pro quo suppono prius, quod Concilium Tridentinum *cit. cap.* 19. *de regularibus*, circa nullitatem professionis iudicandam, constituit iudices duos, videlicet Prælatum regularem ipsius reclamantis, & Ordinarium. Circa quos

Noto

Noto imprimis, quod illi duo non constituuntur iudices in solidum, ita scilicet, vt vnus possit procedere sine alio, & quilibet habeat integram facultatem iudicandi per se, sine alio. Constat hoc ex verbis Concilij: cùm enim Concilium concedit vt reclamans possit allegare causas nullitatis, ait, quod eas proponat, *Coram Superiore, & Ordinario:* non dicit coram Superiore, vel Ordinario, sed per particulam, *&*, copulatiuam, clarè significat ambos simul debere procedere. Quod idem probatur, quia ibidem Concilium non ponit clausulam aliquando solitam apponi in iure, videlicet quando causa committitur duobus, cum ista clausula: *Vt si ambo interesse nequiuerint, alter nihilominus exequatur.* Vt exprimitur in cap. *Prudentiam, de off. & potest. iud. deleg.* Tridentinum hanc clausulam ibi non apponit circa hos duos iudices, sed copulatiuè vnum cum alio iudices facit.

Secundò noto, quod dictus prælatus regularis, & Vicarius generalis in hac causa non sunt iudices delegati, sed Ordinarij, sunt enim iudices constituti à iure communi, videlicet Concilio generali, & proinde non sunt delegati, sed verè iudices Ordinarij.

2 Hoc posito resolutè dico, Vicarium generalem Ordinarij nullum actum iurisdictionis posse exercere in causa nullitatis istius professionis sine consensu, & assistentia prælati regularis, qui est coniudex cum illo, ita vt nec citare aliquem possit. Hoc probatur primò ex citato cap. *Prudentiam,* de off. & pot. iudicis deleg. vbi Papa dicit quod si causa committitur pluribus, cum clausula, *Quod si non omnes, duo saltem illam exequantur*, posse tunc illos duos causam iudicare, si aliquis se excusauerit, & interesse nequiuerit. Vbi apertè ait, quod si causa pluribus committatur sine

illa clausula, *quod si non omnes*, non poterit vnus sine alio in causa procedere. At Concilium Tridentinum *citato c.19.* constituens iudices professionis prælatum regularem, & Vicarium generalem, non ponit clausulam, *quod si non omnes, vel quod si non ambo* : ergo vnus sine alio non potest procedere. Et facit adhuc quod addit Papa citato cap. *Prudentiam*, in textu, dicens; consuetudinem fuisse Sedis Apostolicæ libentiùs committere causam duobus quàm vni. Nam, vt ibidem ait glossa in verbo, *Plurimorum*, id quod à pluribus quæritur, sapientius, & facilius inuenitur: iuxta cap. *De quibus*, 20. distinct. Causa autem non debuit vni tantùm, Ordinario scilicet, committi, sed duobus simul, vt sapientius, & facilius rem cogitarent. Facit glossa in citato cap. *Prudentiam*, in verbo, *teneatur*, vbi ait, quod si tres iudices dati sunt in aliqua causa, & duo tantum citant reum, non tenetur reus respondere. Imò addit glossa ibidem, quod si tres iudices dati sunt in causa aliqua, & duo tantùm protulerunt sententiam, tertio absente; non potest ille tertius absens postea adueniens ratificare sententiam, cum ab initio nulla fuerit: ad quod adducit regulam iuris ciuilis *ff. de regul. iuris, quod ab initio, in fine.* Idem colligitur ex glossa in cap. *Coram dilecto filio*, eodem titulo, verbo, *Quod non intelligitur*, in fine. Denique vt omnis dubitatio tollatur, extat circa hoc declaratio DD. Cardinalium adducta à Marzilla in suo tomo de decretis Tridentini, & declarationibus Cardinalium *lib.1. de statu regularium, tit.12. super cap. 23. §. Coram superiore suo, & ordinario*, quæ sic habet: *Congregatio Concilij censuit, Regularem deducentem intra quinquennium nullitatem professionis, teneri eam probare coniunctim coram proprio superiore Regulari*

gulari illius monasterij in quo professionem emisit, & coram Ordinario illius loci, vbi extitit monasterium, &c. Quo nihil clarius dici potuit: cum dicat reclamantem debere suam causam probare coniunctim coram suo superiore, & Ordinario.

3 Ex his clarè colligitur non potuisse Vicarium generalem Ordinarij in hoc casu procedere in re aliqua, citando scilicet, mandando, vel aliquid ordinando in re aliqua spectante ad iudicandam nullitatem huius professionis, absque consensu, & assistentia prælati regularis. Cùm enim Vicarius generalis, tale mandatum, vel citationem faciat vt iudex, non valet tale mandatum, vel citatio facta absque prælato regulari, qui est coniudex cum illo: & facta sine iurisdictione sint nulla, vt patet ex citatis text. & gloss. in numero præcedenti. Et in particulari, cum educere de carcere istum reclamantem, & deponere illum in loco tuto extra secundam religionem, sit annuere petitioni reclamantis, in re graui, & proinde sit actus iurisdictionis ordinatus ad iudicandam nullitatem professionis, vt patet; non potuit tale præceptum de educendo reclamante à carcere imponi prælato locali ipsius carcerati absque consensu, & assistentia prælati regularis ipsius carcerati, qui est coniudex causæ cum Vicario generali: quinimo est prius nominatus iudex à Tridentino, quàm ipse Ordinarius.

Responsio ad tertium.

1 QVod attinet ad tertium quæsitum, an Vicarius generalis possit præcipere, vt dictus reclamans educatur de carcere, iam patet solutio ex dictis in proxima responsione ad secundum, maximè in num. 3.

num. 3. vbi diximus id non potuisse mandare absque assensu, & assistentia prælati regularis. Nunc autem id probo clariùs, & efficaciùs. Aut Vicarius generalis præcepit hanc eductionem è carcere tanquam iudex appellationis per quam carceratus appellauit ad dictum Vicarium à sententia sibi data ob culpas commissas in secunda Religione: aut præcipit talem eductionem à carcere tanquam iudex appellationis factæ à carcerato ad ipsum ob nullitatem professionis. Si dicas primum; Vicarius generalis nullo modo potest se intromittere in causa criminali Religiosorum, neque iudicare culpas commissas à Religioso, dum gestat habitum Religionis, vt amplius dicemus in responsione ad quintam. Sunt enim Religiosi personæ exemptæ à iurisdictione Episcopi, vt patet ex multis priuilegiis apud compendium verbo, *Exemptio*; quorum aliqua ibi excommunicant prælatos Ecclesiasticos, qui Religiosos exemptos per aliquam sententiam latam molestauerint. Ergo Vicarius generalis non potest præcipere eductionem à carcere istius carcerati tanquam appellantis ad illum à sententia carceris sibi data ob culpas à prælato Ordinis, iam enim hoc esset intromittere se in causis regularium exemptorum. Addo quod à prælato regulari non potest appellari ad Episcopum, vt putet, sed Generalem Ordinis, & à Generali ad Papam, vt patet ex multis priuilegiis regularium. Si dicas secundum, videlicet Vicarium generalem imperasse hanc eductionem à carcere, quia ipse reclamans recurrit ad illum tanquam ad iudicem nullitatis professionis; tunc dico iterum, neque vt sic potuisse illum è carcere educere sine consensu, & assistentia prælati regularis, qui est coniudex eiusdem causæ, siue appellationis, vt clarè, &

abundè

abundè manet dictum, & probatum in responsione ad secundam quæstionem.
2 Idem probo nunc ex quadam declaratione Cardinalium adducta à Marzilla *citato tomo lib.4. de appellat. tit. 10. super caput primum*, §. *Per diffinitiuam.* vbi postquam DD. Cardinales dicunt iniuste carceratum posse appellare ab indebita carceratione, & teneri ordinarium tali appellationi, & processum transmittere ad iudicem appellationis, subdunt DD. Cardinales hæc verba : *Interim tamen reo manente in carceribus donec iudex appellationis causa cognita, aliud iusserit.* Vbi vides duo ibi requiri vt reus è carcere appellans ab illo educatur. Primum quod processus mittatur ad iudicem appellationis. Secundò quod non educat illum de carcere nisi causâ cognita. At in nostro casu ad Vicarium generalem non est transmissus processus culparum, quas commiserat carceratus, vt constat, neque item fuit ad illum transmissus processus de nullitate professionis, quia talis processus nondum factus fuerat cum assistentia prælati regularis, qui debebat tali processui interesse, iuxta Tridentinum *citato cap.19.* & proinde Vicarius generalis non potuit perfectè habere cognitionem causæ absque illis processibus, & ex consequente non potuit præcipere prædictam liberationem à carcere. Vltimò probo, quia prædicta declaratio Cardinalium loquitur solum, quando appellans fuit incarceratus iniustè. At in nostro casu Religio secunda iustè carceri mancipauit hunc, qui post carcerem reclamauit, ob graues culpas commissas, prout constabit ex processu. Et Vicarius generalis non potuit iudicare, an ista carceratio fuerit iusta, vel iniusta, cùm non viderit processum culparum : ac proinde illius mandatum fuit nullum,

nullum, vtpote factum expresse contra dictam declarationem Cardinalium, & contra alia in præcedentibus allegata.

Responsio ad quartam quæstionem.

QVod attinet ad quartam quæstionem, an professio istius reclamantis in secunda Religione fuerit valida, etiam si constet illum non petiisse, neque obtinuisse licentiam à suo prælato primæ Religionis? Quæ quæstio difficillima est, tum propter multa quæ Doctores dicunt circa illam, & propter aliqua priuilegia concessa à Sede Apostolica aliquibus Religionibus, ne sui Religiosi transeant ad alias Religiones nisi petitâ, & obtentâ licentiâ.

1 Et quidem in hoc casu, primò noto adeundum esse prælatum primæ Religionis, vel successores illius, & ab illis inquirendum, an prædicto reclamanti licentiam dederint transeundi ad secundam hanc Religionem, vel ipse illam petierit, cùm credibile non sit quod prælatus secundæ Religionis illum admiserit non prius constito, quod prælatus primæ Religionis licentiam dederit. Tenetur enim prælatus secundæ Religionis sub mortali non admittere professum alterius Religionis ad suam, nisi cum litteris commendatitiis prælati primæ Religionis, vt expresse habetur in cap. *Statuimus*, 19. q. 3. vbi sic dicitur. *Discedentem vero nullus Abbatum, nullus Episcoporum, nullus Monachorum sine communi litterarum cautione suscipiat.*

2 Hoc posito, Bonacina *tom. 1. tit. de clausura q. 2. puncto 9. §. 3. num. 7.* absolutè dicit, quod si aliquis Religiosus professus in vna Religione sine licentia sui primi

primi Prælati, nec petitâ, nec obtentâ transeat ad aliam Religionem strictiorem, & in illa professionem emittat, professio erit valida, itavt prædictus Religiosus non possit repeti, seu reuocari à Prælato primæ Religionis, neque ad illam propria sponte redire. Probat hoc citatus Author, quia quamuis in cap. *Licet*, de regularibus, præscribatur, vt priùs licentia petatur, nihilominus ibidem præcipitur, vt non molestetur qui bona fide transiit, neque irritatur professio aliter facta: constat verò quod multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent. At iste reclamans, de quo agitur, clarè transiuit ad secundam Religionem strictiorem quàm erat sua prima. Secundò probat Bonacina, quia cuilibet Religioso iure naturali competit ius aduolandi ad arctiorem Religionem, etiamsi fortè delinquat in modo non petendo licentiam à Prælato, vel eam per dolum extorquendo; citat pro se sanctum Antoninum, & Sanctarellum, quem dicit citare alios Doctores. Addit tamen Bonacina *citato num.7.* quod si prima Religio habet priuilegium, ne sui Religiosi transeant ad aliam Religionem nisi petitâ, & obtentâ licentiâ, & quod professio aliter facta in secunda Religione sit irrita, & nulla, tunc, si Religiosus transeat ad aliam Religionem non petitâ, & obtentâ licentiâ, professio in secunda Religione erit nulla, ob dictum priuilegium irritans.

3 At Sanchez *lib.6.Decalogi cap.7.num.*89. tenet oppositum, videlicet, quod secluso etiam priuilegio si aliquis Religiosus transeat à prima Religione ad secundam etiam arctiorem non petitâ, & simul obtentâ licentiâ, professio illius in secunda Religione strictiori erit nulla. Probat auctoritate Abbatis & Rosellæ. Addit hanc solam rationem: quia licet Docto-

tes

res diuersimodè sentiant an bono zelo transiens non petitâ licentiâ reuocandus sit: concordant tamen vniuersi illum reuocandum quando bonus defuit animus. Idem tenet idem Sanchez *n.90.& sequenti, & n.96.* vbi tamen fatetur contrariam opinionem esse probabilem, & iuxta illam fore validam professionem illius, qui in arctiore Religione professus est non petitâ, & obtentâ priùs licentiâ primi Prælati. Et quidem mihi magis placet opinio Bonacinæ dicentis suprà professionem prædictam fore validam in Religione arctiori, etiam non petitâ, & obtentâ licentiâ. Nititur enim Bonacina meliori ac solidiori fundaméto, vt vidimus.

4 Quia tamen suprà dixi ex Bonacina non fore validam professionem, de qua agimus, si prima Religio habet priuilegium irritans professionem sui Religiosi profitentis in alia Religione, non petitâ, & obtentâ licentiâ primæ Religionis: iuuabit scire, quod Religio sancti Benedicti in Hispania habet priuilegium concessum ab Eugenio IV. quod sui Religiosi non possint transire ad alium Ordinem nisi petitâ, & obtentâ licentiâ sui Prælati. Idem priuilegium habet Ordo D. Hieronymi in Hispania, vt testatur illius compendium verbo, *Transitus ad alium Ordinem.* Sed tamen ibi non lego quod irritetur professio aliter facta. Item Religio Societatis IESV, & Religio Carmelitarum Discalceatorum, teste Sanchez *citato lib.6. Decalogi cap.7. num.*31. habent priuilegium ne sui Religiosi possint transire ad aliam Religionem, etiam Carthusiæ, nisi prius petitâ, & obtentâ licentiâ, ídque præcipitur sub pœna excommunicationis. Non tamen ibi dicitur, quod Papa annullet professionem aliter emissam. Rodriguez tamen *tomo* 3. *quæstionum Regul. q.52.art.*20. propè finem, citat vnam declarationem

nem Cardinalium, sic dicentem : *Illustrissimi Cardinales definierunt quod transitus ad parem, vel strictiorem Religionem, non fiat nisi causa cognita transeuntis, & vitæ, ac morum ratione, idque ex approbatione Capituli generalis.* Sed neque hæc declaratio est in vsu, cùm quotidie transferantur Religiosi sine licentia Capituli generalis, cum sola licentia sui prælati Ordinarij, vel prælati Prouincialis. Neque item in illa declaratione irritatur professio facta sine prædicta licentia.

5 Hoc solùm restat aduertere, & inquirere : an opinio Bonacinæ tenentis professionem factam in secunda Religione arctiore sine licentia petita, & obtenta, defendi possit, quando prima Religio habet priuilegium ne sui Religiosi transeant ad aliam Religionem, nisi petitâ & obtentâ licentiâ, non tamen ponit clausulam irritantem professionem secus factam ? Azor *tom.* 1. *lib.*12. *cap.* 14. *q.* 4. absolutè dicit, quod non obstantibus Bullis particularibus Religionum prohibentibus transitum sine licentia, non tamen irritantibus secus factum, professio facta in Religione secunda erit valida. Idem tenet Nauarrus in tomo consiliorum *tit. de regular. consilio* 59. & Sà *in Aphoris.* verbo *Religio*, *num.* 37. qui omnes Doctores tenent quod illæ prohibitiones particularium Pontificum solum prætendunt, nè transitus fiat temerè, leuiter, vel cum damno Ordinis omissi. Si enim constet nihil horum interuenisse, dictæ Bullæ non impediunt. Hinc videas opinionem, quod professio facta in secunda Religione arctiori, non petitâ, & obtentâ licentiâ, est valida, esse opinionem D. Antonini, Sanctarelli, Bonacinæ, Azoris, Nauarri, & Sà, qui sunt sex Doctores satis graues, & ex illis quatuor sunt recentiores, ob quos securè possit in praxi practicari.

6 Et postea adhuc hæc opinio Bonacinæ probari exemplo professionis factæ à seruo, quæ cùm sit valde prohibita, imò nulla, secundum iura, per allegata à Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 6. num. 1.* Nihilominus ibidem *num. 2.* tenet cum Archidiacono, Turrecremata, Angelo, Syluestro, Gregor. Lopez, & Lessio, professionem serui factam, etiam inscio, & inuito domino esse validam. Inter alias probationes, quas adducit, præcipua est, quia nullum ius canonicum inuenitur quod annullet professionem factam à seruo. Quod idem videtur locum habere in professione Religiosi facta in alia Religione sine licentia prælati primæ Religionis: quamuis enim iste talis prohibeatur per suos priores prælatos, imò per Bullas particulares, ne profiteatur in alia Religione absque licentia sui prælati, si tamen non detur aliquod ius, vel Bulla irritans factum, professio erit valida. Quamuis autem ibidem Suarez fateatur posse dominum serui illum repetere vt sibi seruiat in vita, non obstante validâ professione: hinc non infertur à simili posse prælatum primæ Religionis repetere subditum, qui inscio, vel inuito prælato professionem validam emisit in secunda Religione. Vt enim bene notat Bonacina *citato puncto 9. num. 8.* sibi imputet prælatus primæ Religionis, qui non curauit sibi restitui subditum ante professionem, nec præsumitur transitum ignorasse. Maximè cùm superiores Religionum teneantur singulis annis fugitiuos reuocare. Quod in particulari contigit in isto casu, in quo prælatus primæ Religionis per annos sexdecim non requisiuit istum subditum, maximè cùm pluribus annis habitauerit in quodam conuentu secundæ Religionis posito in quadam vrbe, vbi etiam prima

ma eius Religio habet quemdam conuentum: quod ſignum clarum eſt, primam Religionem eius tranſitum non ignoraſſe, imò neque impediuiſſe.

Reſponſio ad quintam quæſtionem.

1 QVinta quæſtio petit: an dato quod prædictus reclamans iudicetur pro non profeſſo in ſecunda Religione, poſſit nihilominus prælatus ſecundæ Religionis illum punire pro culpis commiſſis in ſecunda Religione dum reputabatur verus profeſſus in illa? Et videtur quod non poſſit, nam declarato quod non fuit verus profeſſus in ſecunda Religione, conſtat quod non eſt verè prælatus illius: at prælatus vnius prouinciæ, non poteſt punire ſubditum alterius Prouinciæ. Sicut Epiſcopus vnius diœceſis non poteſt punire ſubditum alterius diœceſis, vt praxis, & iura docent.

2 Nihilominus ſentio prælatum ſecundæ Religionis poſſe punire dictum profeſſum, etiam poſt declarationem, quod non fuerit verè profeſſus in ſecunda Religione, & hoc multo magis habebit locum in iſto de quo agimus, qui iam incipiebat puniri in carcere per ſententiam latam à prælato ſecundæ Religionis antequam illius ſecunda profeſſio nulla declararetur. Probo hoc imprimis ex praxi; nam vt Iuriſtæ dicunt, vnuſquiſque ſortitur forum ratione delicti. Exempli gratia: Clericus ſubditus Epiſcopi Conimbricenſis, ſi exiſtens Olyſippone delictum graue commiſit, poterit, ac debet puniri ab Archiepiſcopo Olyſipponenſi, quia ratione delicti commiſſi Olyſippone ſortitus eſt forum prædicti Archiepiſcopi: quod iura ſic decernunt, quia aliàs multa

crimina manerent impunita, & sequerentur multa scandala, & inconuenientia. Quod optimè applicatur ad nostrum casum. Nam licèt iste nulliter professus in secunda Religione in substantia fuerit subditus prælati primæ Religionis, quia tamen deliquit grauiter in secunda Religione dum reputabatur verus Religiosus illius, ratione delicti sortitus est forum,& tribunal prælati secundæ Religionis,& proinde ab illo poterit puniri. Ita expresse definitur *in cap. vlt. de foro compet.* vbi dicitur quod ratione delicti sortitur quis forum; id est efficitur subditus illi prælato, in cuius ditione illud commisit, ita vt possit coram illo ritè conueniri. Idem probat glossa 2. *in cap. A nobis*, 1. *de sent. excom.* docens, quod si Episcopus vnius diœcesis fulminet excommunicationem contra patrantes certum delictum, talem excommunicationem incurrere subditum alterius Episcopi existentem in diœcesi excommunicantis. Idem tenet Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 11. & clarius idem tenet Bonac. *tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 16. *punct.* 3. *num.* 14. vbi tenet quod Nouitius exiens à Religione, in qua grauia delicta commisit, non potest puniri à potestate laica, sed ab Ecclesiastica; probat hoc, quia ad cognoscendum cui foro quis subiiciatur, inspiciendum est tempus delicti, & status in quo tempore delicti reperiebatur delinquens, ex Baldo *in l. Affinitatis, Cod.comm.de succ.* Sed hic tempore delicti erat nouitius, & consequenter immunis à laica potestate: ergo remanet immunis à laica potestate ob delictum in nouitiatu commissum. Secundò probat, quia qui relicto clericatu sistitur coram iudice laico ob delicta quæ commisit tempore clericatus, non potest puniri à iudice laico ob talia delicta: pro quo citat Abbatem,

tem, Iulium Clarum, Sayrum, Farinacium, Cenedum, & alios. Quæ omnia magis quadrant ad nostrum intentum: si enim Nouitius potest puniri à prælato regulari, qui directè non habet iurisdictionem supra Nouitium, multò magis poterat prælatus istius reclamantis illum punire ob delicta commissa tempore, quo supra illum habebat plenam iurisdictionem ob professionem factam in sua Religione nondum declaratam vt nullam. Vltimò, ne aliqua dubitatio maneat, valde probatur hoc ex eo quod tradit Nauarrus *consilio 59. de Regular.* dicens, posse prælatum procedere contra Nouitium, de quo est magna præsumptio, quod Religiosum occiderit, & formare processum contra illum. Si verò hoc potest prælatus facere contra Nouitium, etiam poterit punire. Et quod possit prælatus talem Nouitium punire, tenet expresse Rodriguez *tom.2.qq.q.2. art.10.* vbi multa addit ad hoc intentum. Videatur etiam ad hoc Suar. *tom. de leg. lib. 3. cap. 33.* & Sayro *lib.1. de censur. cap. 7. num. 9.* qui dicunt, extraneos in alieno territorio teneri ad pœnam territorij ratione delicti.

CASVS XV.

De institutione cuiusdam Maioratus.

Antonia per scripturam publicam instituit maioratum, & capellam de omnibus suis bonis: & per hanc scripturam publicam nominauit, & instituit Bartholomæum consanguineum suum, clericum Diaconum tanquam primum successorem, & administratorem huius maioratus. Et declarauit in scriptura, quod

quod prædictus primus nominatus Bartholomæus per mortem suam nominaret successorem in dicto maioratu alium consanguineum proximiorem eiusdem Antoniæ, qui esset masculus, si talis daretur. Mortuâ Antoniâ, & possidente Bartholomæo maioratum, dictus Bartholomæus nominauit Mariam successorem eiusdem maioratus neptem suam ex fratre, cùm declaratione, & onere, quod illa nuberet cuidam filio Emanuelis: quem filium Emanuelis declarauit successorem dicti maioratus, applicans illi & filiis masculis succedentibus bona sua vinculata eidem maioratui Antoniæ.

Facta hac institutione, & nominatione per Bartholomæum clericum, ipsemet postea fecit aliam nominationem, & institutionem, & nominauit successorem dicti maioratus quendam alium Ludouicum consanguineum, & reuocauit institutionem, & nominationem priorem factam Mariæ. Mortuo verò Bartholomæo clerico, apprehendit possessionem maioratus cum suis bonis dicta Maria, quæ hodie prædicta bona possidet. Et declaratur quod iste Ludouicus secundò nominatus à Bartholomæo est masculus, & proximior consanguineus Antoniæ primæ instituẽtis maioratus.

Quæritur, an prædictus maioratus cum bonis suis pertineat ad Mariam primò nominatam à Bartholomæo, an verò ad Ludouicum secundò nominatum masculum, & proximiorem consanguineum, cum reuocatione prioris nominationis factæ in Maria?

Et quod maioratus pertineat ad Mariam primò nominatam, non verò ad Ludouicum secundò nominatum, videtur probari ex regula illa iuris *in 6.* quæ dicit: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Sed Bartholomæo clerico primò nominanti semel & prius

prius placuit nominare Mariam in maioratu; ergo non potuit amplius pœnitere reuocando prædictam nominationem Mariæ, & nominando denuo Ludouicum. Et confirmatur, quia Maria per priorem nominationem factam à clerico circa illam, acquiſiuit ius ad rem; ſicut ille qui eligitur ad aliquod beneficium, acquirit ius ad illud per ſolam electionem ante confirmationem, vt omnes fatentur. At nemo poteſt ſpoliari iure ſibi quæſito ſine cauſa, & [illegible]ntia iudicis, quæ hîc non videntur interueniſſe [illegible] poſſet Maria ſpoliari iure ſibi acquiſito.

Reſponſio.

1 HOc non obſtante dico prædictum maioratum cum bonis ſuis non pertinere ad Mariam primò nominatam, ſed ad Ludouicum ſecundò nominatum cum reuocatione prioris nominationis. Fundamentum principale iſtius concluſionis eſt, quia prima nominatio Mariæ facta à Clerico, fuit nulla. Probo primò, quia iſte Clericus primò nominans Mariam ſucceſſorem maioratus non ſeruauit formam, & mandatum Antoniæ primæ inſtituentis, & fundatricis maioratus, vt patet. Nam Antonia mandauit Clerico per ſcripturam, quod ipſe poſt ſe nominaret in ſucceſſorem maioratus conſanguineũ maſculum proximiorem ipſi Antoniæ, ſi extaret; & extabat prædictus Ludouicus, qui erat maſculus, & proximior conſanguineus, Maria verò erat femina: & proinde non ſeruauit formam mandati. Conſtat autem quod diſpoſitio Antoniæ primæ inſtituentis maioratus fuit ſicut teſtamentum. Voluntas autem teſtatoris habenda eſt pro lege, vt dicitur in Authent. de nuptiis, vbi

 dicitur:

dicitur : *Diſponat teſtator, & erit lex.* Et idem colligitur ex cap. *Cum eſſet, de teſtam.* Conſuetudo verò, ſeu conditio quod in ſucceſſione maioratuum primò nominentur maſculi, eſt conſuetudo ferè omnium gentium, & regnorum. Nunc probo amplius ab authoritate quod non ſeruatâ formâ mandati, ſiue alicuius diſpoſitionis, ſit irritum, quod fit contra prædictam formam.

2 . Imprim habetur clarè in cap. *Cum dilecta, de reſcript.* vbi contra quoſdam, qui in iudicando non ſeruauer formam mandati ipſius Papæ, ſic ait : *Propter quod proceſſum ipſorum contra noſtri formam reſcripti, ac iuris ordinem attentatum, irritum decernimus, & inanem.* Idem habetur in cap. *Venerabili*, de officio legati, vbi habentur hæc verba : *Quorum proceſſus caſſauimus, quia contra mandati noſtri tenorem*, &c. Et idem habetur *in cap. vltimo, de reſtitut. ſpoliatorum.* At Clericus nominando primò Mariam feminam, non ſeruauit formam mandati primæ inſtituentis Antoniæ, mandantis nominari maſculum ; ergo fecit actum irritum, & nullum. Qui voluerit videre textus, & gloſſas iuris ciuilis, & Iuriſtas idem docentes, videat Suarez *tom. de legib. lib. 5. cap. 31. num. 1. & ſeqq.* vbi ait eſſe commune prouerbium Iuriſtarum, quod ex forma non ſeruata reſultat nullitas actus. Ad quod ibidem Suarez adducit hanc rationem : nam ſicut in naturalibus, defectus formæ deſtruit rem : deficiente enim animâ in hoc leone, deficit leo : ita etiam in moralibus (quale eſt mandatum, ſeu teſtamentum) deficiente formâ mandati corruit factum in contrarium. Quod etiam deducitur ex lege Iulia. §. *Siquis, ff. ad exhibendum*, vbi ponuntur hæc verba : *Defectus formæ propriè ſubſtantiam rei deſtruit.*

3 Secundò

3 Secundò principaliter idem probo, quia prima nominatio Mariæ facta à Clerico fuit conditionalis, si videlicet Maria nuberet filio Emmanuelis; idem enim important hæc verba: *Cum declaratione, & onere, vt nubat filio Emmanuelis*; ac dicere: *Cum conditione quod nubat filio Emmanuelis*, vt patet ex communi modo loquendi. At Maria noluit illi filio Emmanuelis nubere, vt colligitur ex informatione, & mihi constitit extra supra positam informationem. At donatio, siue legatum, siue contractus conditionalis sub conditione licita, & iusta factus [illegible] conditio, & conditio non ponatur in actu [illegible] & caret robore, & firmitate, quando conditio non est turpis, neque impossibilis, qualis non fuit ista: ergo illa prima nominatio Mariæ sub conditione quod tali nuberet, non secutâ conditione appositâ nubendi, fuit nominatio nulla. Minor argumenti, quod scilicet donatio facta sub conditione, vel contractus conditionalis, non secutâ conditione, sit inualidus, est communissima Doctorum, vt probatione non indigeat. Nam contrahentes sub conditione, non consentiunt in tali contractu nisi secutâ tali conditione; at contractus, deficiente consensu est inualidus, vt patet. Probo nunc maiorem, quod scilicet ista nominatio Mariæ cum onere, & declaratione vt nubat filio Emmanuelis, fuerit conditionalis. Nam natura conditionis appositæ in contractu, est vt obliget contrahentes; at Clericus obligauit Mariam ad nubendum filio Emmanuelis, siquidem dixit in nominatione Mariæ, *Cum onere vt nubat filio Emmanuelis*. Et talis conditio non fuit impleta. Pro maiori confirmatione illius dicti, quod conditione non secutâ corruat donatio, vel contractus conditionalis, videatur

Syluester *verbo Conditio, quæst.* 1. Rabello *tom. de obligat. iustitiæ, lib.*18. *q.*14. *num.* 1. Sanchez *lib.* 7. *Decalogi, cap.* 5. *num.* 59. Nauar. *Miscellanea* 58. *de oratione post medium:* vbi post legem quamdam ad hoc citatam, ait: *Quod conditio efficit, vt positum sub ea censeatur esse de forma substantiali actus*, iuxta Baldum, & Felinum, quos ibi citat, & sequitur.

4 Quod autem Clericus primò nominans Mariam, potuerit ei valdè imponere conditionem quod nuberet [illegible] Emmanuelis, & proinde talis conditio fuerit [illegible] honesta, & proinde obligans; probatur [illegible] praxi; quotidie enim relinquuntur legata, sub conditione, *dummodo nubat Fullano.* Et vltra praxim, ita in terminis tenet Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disput.*13. *num.* 7. Ad quod citat *l. cum ita legatum sit, vers. Si Titio nupserit. ff. de condit. & demonstrat.* Et citat aliam legem Castellæ, & Couar. Tello, Manticam, Ioan. Lupum, Molinam *tom.* 1. *de iust. tractat.* 2. *disput.* 201. & alios, qui omnes dicunt posse testatorem relinquere alicui feminæ legatum cum conditione quod nubat Petro designato, sub pœna amissionis legati, si illi non nubat. Idem tenet Iulius Clarus *lib.*3. *sententiarum, verbo, Testamentum, q.*96. *num.* 1. dicens posse testatorem priuare hæreditate voluntaria, hæredem cui iniunxit in testamento, vt nubat cum consilio Fullani: & ait esse hanc opinionem communem. Rationem huius dicti assignat: nam testatori licitum est rei suæ adiicere quamcunque conditionem voluerit, dummodo non sit conditio turpis, vel improba: ita vt illâ non impletâ priuetur hæreditate. Et statim *post num.* 3. addit idem Clarus quod non impletâ conditione redibit hæreditas ad alios cohæredes, vel alios substitutos,

tutos, pro quo citat Bartolum. Hinc manet clarius, fuisse nullam nominationem Mariæ factam à Clerico primo loco: nam illam nominauit sub conditione quod nuberet Fullano: quam conditionem ille non impleuit. Et præter hoc nominata est femina contra mandatum primæ instituentis Antoniæ iubentis nominare masculum.

5 Et quamuis prima instituens Antonia, non concesserit Clerico licentiam vt in sua prima nominatione posset arctare nominatum, vt nuberet tali, vel tali. Respondeo, quod licet hoc non concesserit in indiuiduo, concessit tamen in genere. Nam constat ex testimoniis extra informationem suprapositam, prædictam Antoniam in prima institutione huius maioratus dicere, quod si prædictus Clericus secundus nominator vellet huic maioratui bona sua iungere, & vinculare, posset tunc prædictus Clericus in sua nominatione, facere nouam institutionem, vel clausulam pro futuris successoribus maioratus pro suo arbitrio. Et constat ex informatione, quod prædictus Clericus bona sua vinculauit prædicto maioratui, & ideo bene potuit addere prædictam clausulam Mariæ, vt nuberet Fullano, iuxta Iulium Clarum dicentem citato loco, posse testatorem adiicere rei suæ quamcunque licitam conditionem voluerit. Et hic Clericus vinculans bona sua maioratui, adiecit bonis suis conditionem licitam, vt Maria nuberet Fullano. Pro quo videatur Molina *tract. de Maioratibus disput.* 622. *num.* 8. cum ibi citatis.

6 Probatur insuper prædictum maioratum non pertinere ad Mariam primò nominatam à Clerico, nam prædictus Clericus reuocauit hanc primam nomi-

nationem

nationem Mariæ, vt patet: idque antequam Maria possessionem illius acquireret, & talem reuocationem poterat iustè facere, imò & debebat facere: ergo Maria non habet ius ad maioratum. Valet hæc consequentia: nam dispositio, vel actus reuocatus est nullus, vt patet in testamento reuocato, tunc enim manet nullum. Prima pars antecedentis, quod Clericus reuocauit nominationem factam de Maria, patet ex informatione suprà posita. Secunda pars antecedentis, quod scilicet prædictus Clericus potuerit reuocare priorem nominationem Mariæ, antequam illa possessionem acquireret maioratus, probatur argumento à simili: quod argumentum antequam adducam, noto, quod argumentum à simili est efficax, & in iure vsitatum, vt habetur in *cap. Corporalia, de transl. Episcop.* vbi Papa argumentatur à simili, dicens. *Propter expressam tamen similitudinem, nemini poterat videri dubium*, &c. vbi glossa verbo, *Similitudinem*, citat alios textus. Quo posito, probatur à simili quod Clericus potuerit reuocare nominationem Mariæ. Nam patronus habens ius præsentandi, postquam præsentauit vnum, potest postea præsentare alterum antequam primus præsentatus confirmetur ab Episcopo: quod Iuristæ vocant, *Variare*, vel *mutare præsentationem.* Ita habetur in cap. *Quod autem, de iure patron.* & cap. *Pastoralis*, eodem titulo: & tenet Syluester verbo *ius patronatus*, quæstione 8. Azor *tomo 2. lib. 6. cap.* 21. *q.* 13. & quamuis ibi Syluester, & Azor dicant posse patronum *variare*, id est, nominare secundum post primum, sed non recedendo à primo; hoc intelligetur, quando primò nominatus est idoneus. Nam si primus nominatus est indignus, ipse tenetur recedere à primo, nunquam

enim

enim licet præſentare, vel nominare, vel eligere indignum. Et idem colligitur ex Nauarro *conſil.5. de iure patronatus*, vbi dicit quod patronus tenetur præſentare digniorem. At in noſtro caſu Clericus primò nominans Mariam in ſucceſſione maioratus, nominauit, ſeu præſentauit perſonam indignam, ſeu inhabilem, præſentauit enim feminam contra mandatum primi inſtituentis, mandantis nominari maſculum, qui extabat. Et idem Clericus potuit recedere à prima perſona præſentata tanquam ab indigna, ſeu inhabili. Et hic habet locum dictum commune Iuriſtarum, quod pactum contra leges, & bonos mores non obligat, & habetur in l. *Pacta quæ*, Cod. *de pactis*: & prædicta nominatio Mariæ fuit contra legem, & voluntatem primæ inſtituentis, ac proinde potuit, imò debuit corrigi à Clerico per reuocationem primæ nominationis.

7 At argumentum poſitum in principio pro parte oppoſita, ſumptum ex regula iuris, *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* Reſpondeo primò in genere, videlicet, non poſſe aliquem mutare quod ſemel placuit, quando id quod primò placuit fuit licitum, & non prohibitum. Nam ſi id quod primò placuit fuit illicitum, & prohibitum, non ſolùm poteſt quis illud retractare, ſed potius tenetur in conſcientia ad retractandum, & reuocandum: vt patet etiam in teſte, qui per inaduertentiam depoſuit falſum in iudicio cum præiudicio tertij: talis enim tenetur errorem ſuum retractare coram iudice, vt Theologi docent. At in noſtro caſu Clericus primò nominans Mariam errauit contra mandatum primæ inſtituentis iubentis nominari maſculum: & errauit cum præiudicio Ludouici maſculi, cui competebat prima nominatio:

minatio: ergo non ſolum potuit, imò etiam debuit ſibi diſplicere, & retractare errorem, quem fecerat nominando Mariam, quam non poterat nominare. Secundò reſpondetur ad citatam regulam iuris, iuxta gloſſam ad citatam regulam iuris *in 6.* vbi gloſſa adducit multa exempla, ex quibus conſtat poſſe alicui diſplicere id quod antea ſibi placuerat: quæ exempla videri poſſunt in gloſſa citata, & hîc applicari.

8 Ad confirmationem prædicti argumenti reſpondetur prædictam Mariam non acquiſiuiſſe ius ad maioratum per illam nominationem nullam, ſiquidem facta eſt contra ius, & contra voluntatem primæ inſtituentis, vt manet probatum in præcedentibus. Pro quo videatur Ordinatio iſtius regni *lib.* 4. *tit.* 37. *principio*, *&* §.1. *&* 2. vbi agitur quomodo poſſit reuocari prima nominatio, quod inſeruit ad hunc caſum: ſed debet prius attendi forma ſcripturæ primæ inſtituentis maioratum: & facit adhuc lex iſtius regni *lib.* 4. *tit.* 100. §. 1. vbi iubetur quod in ſucceſſione maioratus filius maſculus ſuccedet prius, & præferri debet ſorori ſeniori. Vnde videbis quantum ſe conformauerit cum lege regni Antonia prima inſtituens, mandando vt in maioratu prius nominaretur maſculus, & non femina. Et probo adhuc quod dicta Maria non acquiſiuerit ius ad rem per illam nominationem nullam, exemplo electionis adducto in argumento. Nam ſi quis eligatur in Prælatum per electionem, & conſtiterit quod electio fuit nulla, non acquiret electus ius aliquod ad talem prælaturam, vt conſtat. Quia ſicut *ex nihilo nihil fit*, vt omnes dicunt: ita *ex nullo nullum fit.* Eodem modo ex nominatione Mariæ, quæ fuit nulla, nihil

nihil fit, nec proinde ius aliquod ad rem fuit acquisitum. Vide adhuc, si placet, Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disput. 2. num. 5.*

CASVS XVI.

De quodam Religioso culpato in quadam visitatione.

QVidam Prælatus regularis in visitatione cuiusdam conuentus inuenit quemdam Religiosum valdè diffamatum, & denunciatum, de quodam crimine graui, quod crimen naturâ suâ est difficilis probationis. Vocauit Prælatus Religiosum, & exhibitis illi articulis culparum: ille primò dicit decem Religiosos ex iis qui testes fuerunt in visitatione esse suos inimicos capitales, & proinde illorum testimonium in sua causa non valere, & proinde se illis ponere exceptionem. Secundò dixit ante prædictam visitationem processisse contra se conspirationem, quia illi prædicti decem cum aliis dixissent, se tempore visitationis denunciaturos esse Prælato de culpis illius. In processu iuridico aliqui testes non recusati à reo ferè dixerunt id quod sufficiebat ad illum condemnandum in parte, sed non pœna totali. Si autem valerent dicta testium recusatorum, iuncta cum aliis, superabundabat probatio ad totalem pœnam inferendam, & alia paruioris momenti, quæ ex processu considerabuntur.

Quæritur primò, quid dicendum sit circa allegatam causam inimicitiæ capitalis inter Religiosos allegatæ?

Secundò,

Secundò, vtrùm in hoc casu interuenerit coniuratio, & conspiratio, quæ allegatur à reo?

Tertiò. An dictum testium recusatorum, & suspectorum iungi possit cum testimoniis testium non suspectorum ad probationem coadiuuandam, & complendam?

Responsio ad primum.

1 QVod attinet ad primum de inimicitia capitali allegata à reo, antequam referam friuolas causas à reo pro illa allegatas, duo præmitto. Primum est, quàm detestanda sit hæc locutio, seu allegatio inimicitiæ capitalis inter Religiosos, qui aliquando prætextu illius sæpius se defendunt. Notat hoc Rodriguez dicens, & bene, *tom.2. qq.q.15. art.3.* quod inter Religiosos non sit admittenda hæc locutio, vel exceptio inimicitiæ capitalis in testimoniis ferendis. Nam Religiosi quotidie sacramenta recipiunt, celebrando Missam, & sacramentum confessionis passim recipiunt, & cætera sancta exercitia faciunt, cum quibus stare non potest, vt plurimùm, odium capitale: sicut potest facilius in personis sæcularibus reperiri ob defectum frequentiæ prædictorum sanctorum exercitiorum. Et proinde Prælati regulares debent esse cauti in recipienda exceptione inimicitiæ capitalis inter Religiosos.

2 Secundò præmitto causas, & signa, quod inter aliquos sit inimicitia capitalis, assignari à Rodriguez citato loco, & à Mascardo *tom.2. de probat. conclus.*878. quæ præcipuè sunt istæ. Primò, si præcesserunt minæ de occidendo. Secundò, si accusauit aliquem de crimine graui. Et nota, quod dicunt, *si accusauit.* Nam

Nam si solum denunciauit coram Prælato in Inquisitione, vel visitatione generali, vel particulari, non erit inimicitia capitalis, quia denunciatio non est accusatio. Tertiò, si occidit, vel percussit grauiter personam coniunctam ipsi recusanti. Quartò, si ego illum detinui in carcere cùm essem Prælatus. Quod explicat Mascardus *cit. conclusione num.* 22. intelligendum esse quando Prælatus iniustè in carcere detinuit. Nam si iustè detinuit, non fecit illi iniuriam, nec proinde dicendus est inimicus. Quintò, si dixit contra me verba iniuriosa. Sextò, si illum accusauit quod esset Iudæus. Septimò, si conuersatur cum inimicis meis capitalibus. Hæc sunt præcipua signa inimicitiæ capitalis; vltra quæ dari poterunt aliquando alia iuxta circunstantias temporum, & personarum. Inimicitiæ non capitalis signa dantur alia quæ recenset Mascardus *cit. conclusione à num.*26. qualia sunt; si mecum antea loquebatur, & modò non alloquitur. Si illum expuli à domo: si de me seminat malam famam: si illum publicè reprehendi, & similia.

3 Tertiò noto ex Mascardo, & Rodriguez, quod est differentia inter inimicum capitalem, & non capitalem. Nam inimicus capitalis omnino repellitur à testimonio ferendo, eiúsque dictum nullius est valoris. Inimicus verò non capitalis non repellitur omnino, sed recipi potest in testem tanquam testis diminutus. Sic tenet Mascard.*tom.*2.*de probat.concl.*1049. *num.* 3. & commentator Iulij Clari in sua praxi *q.* 24. *num.*32.*&* 33. qui citant alios.

4 Inter causas ergo inimicitiæ capitalis assignatas ab isto reo, vna fuit, quod cùm ille esset Prælatus aliquos illorum testium in communitate reprehendit

ex officio : & vnum ex illis detinuit in custodia per aliquos dies. Sed imprimis hæ non sunt causæ inimicitiæ capitalis, vt patet ex signis suprà allatis. Imò in Prælato, qui ex officio tenetur reprehendere, & carcerare, nedum sunt signa inimicitiæ leuis. Nemo enim iustè queri potest de Prælato exercente iustè actiones sui officij : & constitit quod illum subditum quem detinuit in custodia, iustè detinuit. Ad hoc autem vt ex detentione in custodia resultaret inimicitia capitalis, iuxta Mascardum suprà citatum, necessarium erat, vt iniustè detineret. Idem dic si subditum puniuit iustè ob culpas; tunc enim nec datur causa leuis inimicitiæ ob causam proximè dictam. Aliam causam assignauit, dicens quod illi decem non conuersabantur cum ipso. De hac causa iam suprà dixi non esse signum inimicitiæ capitalis; imò aliquando neque erit signum inimicitiæ leuis : nisi quando (sicut ait Mascardus) antea intimè, & frequenter conuersabantur, & modo non se alloquuntur. Denique alij testes oblati ad probandam inimicitiam dixerunt sibi videri quod essent inimici adinuicem ; sed nullam causam inimicitiæ assignarunt : & proinde tales testes nihil probant, vt enim optimè docet Mascardus *tom. 2. de probat. conclus. 900. num.* 10. quando aliquis testis dicit in iudicio Petrum esse inimicum Francisci, & non assignat causam inimicitiæ, iste talis dicitur deponere vt pecus, non vt homo, maximè in criminalibus, & citat ad hoc quatuor Doctores.

5 Quod attinet ad secundum de coniuratione, seu conspiratione præcedente, dico quod licet aliqui Religiosi ante visitationem dixerint adinuicem : Denunciemus hoc delictum Prælato tempore visitationis: talis

talis cohortatio, seu exhortatio non est conspiratio, neque coniuratio. Probatur hoc primò ex quodam statuto generali istius Religionis, quod in materia visitationis, sic disponit: *Declaramus quod non est coniuratio, quando subditi se conuocant, & inter se conueniunt vt dicant Prælato aliquam culpam.* Quod statutum, siue declaratio est conformis definitioni, qua definitur coniuratio: definitur enim conspiratio à Mandozio *in commento Repertorij Inquisitorum*, verbo *Conspiratores*, in hunc modum: Conspiratio est, quando vnus, vel plures improbè coëunt in alienam litem, vel perniciem. Notandum est illud verbum, *improbè*, quod significat debere illam adunationem, & cohortationem esse iniustam & peccaminosam ad hoc, vt dicatur conspiratio. Nam si id fiat ex zelo virtutis, & tollendorum abusuum causâ, maximè quando peccata sunt publica, id non dicetur conspiratio, sed virtus zeli. Quæ definitio conspirationis traditur, vel colligitur ex duabus legibus iuris ciuilis ibi citatis à Petro Vendrameno. At illi decem Religiosi quos vt suspectos recusauit, non denunciarunt illud delictum improbè: non enim dixerunt falsum testimonium, cùm revera prædictus Religiosus tale delictum commiserit, ac de illo esset valdè diffamatus: ac proinde credendum est illos non improbè, sed iustè tale crimen ad Prælatum detulisse, & proinde ibi non interuenit coniuratio, seu conspiratio. Et præterea testes oblati à reo ad probandam conspirationem nihil validè dixerunt ex quo prædicta conspitio posset sufficienter probari.

6 Quod attinet ad tertium, dico, quod cùm illi decem testes recusati, non fuerint habiti pro inimicis capitalibus, sed ad summum possent esse inimici

 leues,

leues, vt ſuppono probatum ex præcedentibus, dicta teſtium recuſatorum iungenda ſunt cum dictis teſtium non recuſatorum, & illa adiuuabunt ad faciendam plenam probationem, maximè in hoc delicto, quod erat difficilis probationis, & ſolitum fieri in occulto. Ita expreſsè tenet Humbertus *in practica Inquiſitorum*, verbo *Suſpicio*. §. *Suſpicionum*. Et Maſcardus *tom.* 3. *de probat. concluſ.* 1360. *num.* 1. *&* *concluſ.* 1387. *num.* 4. *&* 6. cum multis citatis ab vtroque, & addunt quod pluralitas ſuſpicionum ſufficit in illis, quæ naturâ ſuâ non recipiunt perfectam probationem: & quod probationes aliàs imperfectæ iunguntur ad faciendam plenam probationem. Et vt iudices alios in hac materia iuuem, circa crimina difficilis probationis, & quæ fiunt in occulto: Noto primò, quod Ordinationes Portugalliæ *lib.* 5. *tit.* 13. dicunt quod delictum mollitiei, id eſt tactuum impudicorum inter maſculos, probatur per teſtes ſingulares, & Maſcardus *tom.* 3. *de probat. concluſ.* 1314. *num.* 2. dicit crimen ſodomiæ eo quod ſit contra Rempublicam, & ſit occultum, & atrociſſimum, probari ſufficienter per teſtes inhabiles, & per præſumptiones vehementes: & citat ad hoc ſex graues Doctores Iuriſtas.

CASVS XVII.

De quadam donatione facta intuitu matrimonij.

QVidam vir frequenter ingrediebatur domum cuiuſdam feminæ non nuptæ ſuæ conſanguineæ, tum

tum respectu consanguinitatis, tum quia intendebat cum illa contrahere matrimonium: eidémque promisit se impetraturum dispensationem ad dictum matrimonium. Hac de causa frequentabat domum feminæ ibi manducans, & bibens, & dormiens. Eidemque feminæ donauit aliqua dona: & alia ibidem deposuit, quæ inseruitura erant pro tempore matrimonij: & hoc fuit omnibus notorium. Post hæc omnia prædictus vir transmigrauit in alium locum remotum, ibique cum altera femina matrimonium contraxit in facie Ecclesiæ. Quo matrimonio contracto petiit à prima femina sua consanguinea res illas, quas illi donauerat.

Quæritur, an prædicta mulier teneatur huic viro res illas restituere, quas sibi donauerat intuitu matrimonij, postquam iam diffamata esset cum eo, & hodie manet ferè cum aliqua infamia, eo quod illi non nubat?

Responsum.

1 D*Ico primò.* Quod si, quando hic vir dona hæc donauit mulieri, eidem dixit se illa eidem donare sub conditione, si postea matrimonium contraheretur: tunc illa tenetur res prædictas illi restituere; fuit enim talis donatio conditionalis. Donatio verò seu contractus conditionalis valet, si conditio non ponatur in actu. Est communis opinio Doctorum, Syluest. verbo *Conditio, q.* 1. Rabello *tom. de oblig. iustitiæ, lib.*18. *q.*14. *num.*1. Sanch. *lib.*7. *de Matrim. cap.*5. *num.*59. Nauar. *Miscellanea* 58. *de orat. post medium*, & alij ab his citati: & idem dico de illis quæ donauit, dicens: *hæc inseruient pro tempore quo*

vixerimus in matrimonio. Talia enim clarè videntur donata sub conditione matrimonij futuri.
2 *Secundò dico* : Si quando vir iste res has donauit mulieri, nullam imposuit, vel expressit conditionem, neque dixit : Serua hæc pro tempore matrimonij, sed illas donauit absolutè, easque illa retinuit per spatium longi temporis : in tali casu credo hanc mulierem non teneri res sic donatas restituere tali viro sic donanti. Probo, quia ista donatio fuit absoluta, non conditionalis; fuit liberalis, & cum traditione rei. At donatio facta cum his omnibus circunstantiis statim sortitur effectum, ita vt non possit amplius reuocari. Sic decernit lex Portugalliæ *lib.* 4. *Ordin. tit.* 63. *in principio*, dicens, quod donationes absolutæ, simplices, & sine conditione factæ, statim sunt firmæ, & fixæ, ita vt non possint amplius reuocari à donatore. Excepto si donatarius fuerit ingratus donanti, in quatuor causis ibi numeratis; vel si donatarius aliquid promisit donanti, quod postea non impleuit : & suppono nullum ex prædictis in hoc casu interuenisse ex parte donatariæ. Secundò probo, quia res donata vbi primum donatur absque conditione, & acceptatur, statim transit in dominium recipientis, vt latè probat Rabel. cum aliis quos citat *tom.* 1. *de obligat. iust.* maximè *lib.* 18. *q.* 11. *num.* 4. Ergo vir iste non potest reuocare res has donatas, quæ transierunt in dominium feminæ, quia illarum dominium iam transiuit in donatariam acceptantem, & possidentem. Tertiò facit optimè quod tradit Sanch. *lib.* 6. *de matrim. disput.* 18. *conclus.* 3. & Rabel. 2. *p. lib.* 6. *q.* 5. *num.* 3. cum aliis, quos citant, qui dicunt, quod si sponsus ante matrimonium, misit aliqua donaria sponsæ intuitu matrimonij futuri,
sponsa

sponsa statim acquirit dominium rerum illarum donatarum. Si verò matrimonium non sequatur culpa sponsi, ipse illa donata amittit, & fiunt sponsæ. At in hoc casu matrimonium non est secutum culpâ istius viri, qui contra promissionem isti mulieri factam, alteri nupsit. Probatur quartò, quia donatio liberalis, & absoluta ex tribus circunstantiis præcipuè agnoscitur, iuxta Mascardum *tom.* 1. *de probat. conclus.* 554. *num.* 38. 40. *&* 54. Primò ob consanguinitatem. Secundò propter amicitiam. Tertiò ob longum tempus quo res donata possessa fuit. Hæ verò omnes tres circunstantiæ in hoc casu concurrerunt. Erat enim hæc mulier consanguinea, amica: & per longum tempus has res donatas possedit, vt colligitur ex informatione posita in principio.

3 Dices: vir iste res has donauit intuitu matrimonij futuri, vt constat; aliàs non esset daturus: ergo dedit hæc dona sub conditione, si matrimonium sequeretur; & proinde illo non secuto potest res donatas reuocare. Respondeo, non valere hanc consequentiam: Donauit intuitu matrimonij: ergo donauit sub conditione matrimonij. Nam conditio in contractu habet propria verba, per quæ apponitur, qualia sunt: *Dummodo faciat: Si faciat: Sub conditione,* & similia. Intuitus autem nihil est horum. Imò etiam si talis intuitus esset verbo significatus, vt si diceret. Hæc tibi do, quia debeo nubere tibi: etiam tunc non esset conditio apposita: sed vtplurimùm esset modus, vel causa impulsiua tantùm, quæ duo non faciunt donationem, vel contractum conditionalem, vt Doctores latè differunt in materia *de condition. appositis.* Et quamuis ille intuitus matrimonij quo motus est iste ad donandum, fuerit conditio ap-

posita (quod non admitto) adhuc res donatas non posset reuocare, quia talis conditio non est sortita effectum culpâ ipsius viri alteri nubentis, & promissum non implentis: & tunc recurrit doctrina Sanchez, & Rabelli *num. præcedenti*, dicentium, quod si culpâ viri matrimonium non sequatur, vir amittit illa, quæ antea donauit.

4 *Tertiò dico*, quod si inter hunc virum, & mulierem interuenerit copula carnalis, sub spe, vel promissione matrimonij, in tali casu poterit mulier securâ conscientiâ retinere res illas donatas. Probatur hoc ex illis quæ tradit Rabellus *cit. tom. & cit. q. 5. num. 3.* & Sanchez *cit. disput.* 18. *num.* 3. qui ambo dicunt quod si sponsus post sponsalia contracta mittat ad sponsam rem aliquam pretiosam, quæ vocatur sponsalitia largitas, & post dicta sponsalia, & donationem, sponsus dedit osculum sponsæ: & tandem post hæc omnia matrimonium non est secutum casu aliquo absque culpa vtriusque; in tali casu sponsa illa lucratur dimidium illius sponsalitiæ largitatis donatæ, propter detrimentum pœnæ pudoris, quo afficitur ex osculo, & quia fortè inde maiori dote indiget si alteri velit nubere. Quod si hi Doctores hoc dicunt de femina tantùm passa osculum intuitu matrimonij: quid dicerent de hac femina passa deflorationem intuitu matrimonij? & maximè quando matrimonium non est secutum culpâ ipsius deflorantis? Potest hoc adhuc confirmari exemplo omnino simili, quod tale est: Ordinationes huius Regni *lib.* 4. *tit.* 2. §. 3. decernunt, quod post venditionem factam, & completam de consensu vtriusque partis, neutra pars poterit resilire à contractu: si verò aliquis eorum voluerit resilire, & iam aliquid donauerat

rat in partem pretij soluendi, amittat id quod donauerat, in pœnam suæ inconstantiæ. Quod optimè fauet casui præsenti, ad probandum quod iste vir amittet quod donauit feminæ sub quasi contractu matrimonij, in pœnam suæ inconstantiæ, maximè si inde mulier aliquod detrimentum in sua fama passa est, iuxta proximè dicta ex Sanch. & Rab.

5 Circa promissionem verò quam fecisse dicitur huic mulieri, quod scilicet ipse esset impetraturus dispensationem Papæ circa impedimentum consanguinitatis, possunt oriri aliqua dubia necessariò hanc materiam concernentia: quæ breuiter resoluam. Primum est: an si vir iste tali mulieri consanguineæ promiserit matrimonium absolutè, dicens: Ducam te in vxorem: non adiiciens, si Papa dispensauerit, talis promissio fuerit sufficiens ad sponsalia contrahenda? Et videtur quod non fuerit sufficiens: nam fuit promissio de re illicita, cum non posset contrahere consanguinea sine dispensatione Papæ, & proinde promissio fuit facta contra legem Ecclesiæ. Sanchez *lib.5. de matrim. disput... quæst.3. num.* 26. dicit talem promissionem non obligare, eo quod sit promissio de re illicita. Adducit multa ad istius conclusionis probationem, videlicet ex iure ciuili, & Doctoribus, & rationibus, quæ ibi possunt videri. Et certè est opinio securior, & habet pro se plures Doctores, quàm opposita. Nihilominus ipse Sanchez *ibidem num.*25. refert oppositam opinionem dicentem talem promissionem obligare, & sufficere ad sponsalia, si femina pariter repromittat: & ait Sanchez esse opinionem satis probabilem. Et citat pro illa Molinam *de primog.* Gutier. & Sotum. Fundamentum huius opinionis apud me est validum. Videlicet,

N 5

cet, quia quando testator in maioratu, vel legato apponit conditionem, vt successor ducat consanguineam, omnes dicunt valere talem conditionem, licet testator non dicat, quod ducat consanguineam cum dispensatione Papæ. Adde quod promittens matrimonium consanguineæ necessariò supponit præmittendam esse dispensationem Papæ. Tertiò, quia verba quantumcunque generalia, restringenda sunt vt intelligantur de extremis habilibus, vt dicitur in l. *vt gradatim*, §. 1. *ff. de muner. & honor.* Omnes tamen fatentur, quod si consanguineus dicat feminæ consanguineæ: Ducam te in vxorem si Papa dispensauerit, tenet promissio, & facit sponsalia, de quo Sanchez *citata disput. à num.* 12. *& seqq.*

6 Secundum dubium est, an si vir promisit feminæ matrimonium, & illa non repromisit, sed tacuit; non dissensit, sed per aliqua signa ostendit se acceptare, sufficiat hoc ad sponsalia contrahenda? Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 5. *num.* 5. ait non sufficere illam acceptationem feminæ si non repromiserit viro. Probat, quia in dubio obligatio non est inducenda, sed acceptans illam promissionem potest acceptare inquantum est in sui fauorem, nempe vt solum promittens ipsi obligetur. Ergo si aliud obligationis mutuæ signum non intersit, minimè dicendum est ex illa acceptatione repromittere, & obligari. Citat pro hac sententia Sotum, Lopez, & Petr. Ledesm. Oppositam sententiam tenent alij ibi citati à Sanchez *num.* 4. quam Sanchez ait esse probabilem, quam tenent Paludanus, Veracruz, Henriq. & fauent alij ibi citati à Sanchez: & probatur, quia acceptans, virtualiter videtur repromittere; censetur enim velle vtrinque parem obligationem contrahere prout in

matrimo

matrimonio contingit. Aliam probationem ad hoc ibi afferunt Doctores huius sententiæ. Sed securior est prima opinio dicens necessarium esse ad sponsalia, vt non solùm femina acceptet, sed etiam vt repromittat.

7 Tertium dubium esse potest : An si iste vir de quo agitur, non dixit huic feminæ, promitto quod te ducam in vxorem, quæ sunt propria verba sponsaliorum : sed solum dixit ; promitto quod impetrabo dispensationem Papæ ad contrahendum tecum matrimonium, an, inquam, hæc sola promissio fuerit promissio matrimonij, & sufficiens ad sponsalia ex parte ipsius viri. Probo, quia verba debent intelligi secundum subiectam materiam, & naturam contractus, vt dicitur in l. *damni infecti*, *ff. de damno infecto.* At iuxta materiam, & contractum matrimonij, qui vult impetrare dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, clarissimè intendit, & promittit contrahere cum illa. Secundò, quia verba accipienda sunt secundum communem vsum loquendi, communis præferendus est proprietati verborum, vt probat glossa in cap. *Nonnulli*, verbo *vltra*,*de Rescript.* & est communis Doctorum. At communis vsus loquendi est, quod cùm quis promittit se impetraturum dispensationem pro contrahendo matrimonio, intendat verè prædictum matrimonium contrahere, & ad illud se obligare ; & quod non est facturus expensas frustra in impetranda dicta dispensatione.

CASVS

CASVS XVIII.

De quodam legato relicto in testámento nullo.

QVidam vir coniugatus carens filiis, domi habebat neptem filiam ex fratre, & pauperem, quæ illi seruierat per annos septem. Huic dixerat sæpe in vita quod illi debebat relinquere per mortem omnia bona sua propter obsequia sibi præstita, & ad dotem pro illa maritanda. Incidit hic in morbum, & vicinus morti, condidit testamentum, in quo post aliqua legata imperata, dixit quod cætera omnia bona sua legabat prædictæ nepti. Et vocato suo testamentario, dixit illi coram testibus illa quæ testamentum continebat: & antequam veniret Notarius ad approbandum testamentum, mortuus est testamento non approbató.

Quæritur primò, an testamentarius possit soluere illa legata quæ iussit, maximè pro expensis funeris?

Secundò, an possit donare aliquid prædictæ nepti, cùm sibi constet de clara voluntate testatoris fuisse, vt nepti traderentur?

Responsio ad primum.

1 AD primum quæsitum dicendum est primò, quod legata relicta ad pompam funeralem defuncti sunt adimplenda, si non erant nimia, & insolita. Nam de iure gentium est, quod vnusquisque sepeliatur

peliatur cum pompa decente ad suum statum, & idem dicendum est de Missis imperatis, & de cæteris quæ fuerint legata pia, iuxta mox dicenda. Quod de pompa funerali adeò verum est, vt Doctores communiter dicant, quod si defunctus moriens reliquit multa debita, nec reliquit bona, ex quibus solueretur creditoribus, non possunt creditores impedire pompam funeris ordinariam, vt sibi debita soluantur. Quoad Missas, relictas eleemosynas, & similia pia opera statim dico præsupposità primò hac distinctione. Ita Zerola *in 1. parte suæ praxis Episcopalis*, verbo *Funus corporis defuncti*, §. 2. *an expensæ*.

2 Legata relicta in aliquo testamento alia sunt pia, alia non pia. Illa dicuntur pia quæ relinquuntur pro aliqua causa pia, seu opere pio. Et quoniam hæc definitio non clarè explicat omnia quæ dici possunt legata pia, Doctores in hoc explicando vtuntur potius exemplis in indiuiduo. Vnde communiter dicunt legata pia esse, verbi gratia, quod relinquitur in honorem Dei, vel Sanctorum. Secundò, quod relinquitur pro animæ salute: vt quod relinquitur pro personis miseris, viduis, pupillis, peregrinis, hospitalibus, & similibus. Et in hoc numero possunt primò etiam intelligi Missæ, & officia defunctorum, quæ defunctus mandauit pro se dici, hæc enim clarè relicta sunt pro anima. Est etiam pium legatum id quod relinquitur pro maritandis puellis, vel pro eisdem Religionem ingredi volentibus. Tertiò, est etiam legatum pium quod relinquitur pro malè ablatis, & pro captiuis redimendis, vel mortuis sepeliendis. Quartò, id quod relinquitur alicui Religioni, vel confraternitati erectæ auctoritate Episcopi. Imò addit Mascardus *tom. 3.*

probat.

probat.conclusione 1172. *num.* 3. quod legatum relictum vni tantum Religioso, censetur legatum pium, pro quo citat Baldum. Quintò, id quod relinquitur consanguineo pauperi, dummodo ibi principalius moueat amor Dei quàm affectio consanguinitatis. Hæc omnia citant Doctores communiter, maximè Bonacina *tom.2.disput.3. de contractibus q.17.§.2. à num.1. & seqq.* Hinc iam licebit colligere, quæ sint legata non pia, seu prophana; sunt enim illa quæ relinquuntur ad causas non pias, sed prophanas, seu causas sæculares, quæ facilè dignoscentur ex opposito causarum piarum, quæ suprà sunt recensitæ.

3 Hoc posito, communis est Doctorum sententia quod legata pia relicta in testamento nullo, debentur in foro conscientiæ legatariis. Ita Bonacina *tom.2. disput. 3. de contract. q.1. punct. 3. à num.* 14. & maximè *ibidem num.* 17. ait teneri hæredem in iis, quæ pertinent ad pias causas, implere voluntatem testatoris quam ipse testator expressit in schedula scripta, modò constet talem fuisse voluntatem deliberatam testatoris. In illis enim quæ pertinent ad pias causas, non est necessaria solemnitas iuris, sed in foro conscientiæ sufficit nosse voluntatem testatoris, vt multis probat Menochius *lib. 3. consil.* 224. & Couar. *in cap. Cum esses, de testament. num.* 12. *& cap. Relatum num.*1. Sâ *in Aphor.verbo* Testamentum *num.4.& verbo* Legatum *num.*51. & Zerola *2.p.praxis verbo*, Legatum, §. 3. dicens quod legata pia debentur non obstante aliqua caducitate, vel defectu. Pro quo citat Capellam Tolosanam,& Couar. Idem tenet Sylu. *verbo* Legatum 4. *q.*10. *post medium*, vbi citat Bartolum. Idem tenet Panorm. *in cap. quia plerique, de immunit. Eccles.* & tenent communiter plerique alij, maximè

ximè Comitolus *in suis Respons. moralibus lib. 7. q. 6.* vbi refert casum sibi propositum, qui talis fuit. Quidam vir nobilis, habebat ancillam: hic moriens sine testamento dixit in hora mortis habens plenum, & integrum iudicium, & coram testibus quod relinquebat prædictæ ancillæ ducentos ducatos: & ait Comitolus se ad prædictum casum respondisse, quod hæredes defuncti tenebantur in conscientia soluere dictæ ancillæ prædictam pecuniam.

4 Colligitur iam hinc responsio ad primum quæsitum, an scilicet testamentarius iste possit, ac debeat implere illa legata quæ testator reliquit scripta in illo testamento nullo. Et dicendum quod legata pia implere tenetur, iuxta dicta in præcedentibus, qualia sunt Missæ, & officia, sunt enim res relictæ pro anima. Item eleemosynæ præceptæ debent impleri, & cætera quæ fuerint opera pia, iuxta regulam supra assignatam. Cætera verò legata, quæ non fuerint pia, non tenetur, nec potest implere, quia citati Doctores solum loquuntur de legato pio, non verò de prophano.

5 Colligitur secundò responsio ad secundum principale quæsitum, an scilicet testamentarius possit dictæ nepti testatoris tradere id quod illi à testatore in illo testamento relictum fuit? & respondetur absque dubio posse, imò & debere id facere. Probatur clarè ex supradictis, nam hoc legatum fuit pium, vt constat: tum quia relictum est feminæ pauperi; tum quia relictum est pro illa maritanda. Tum quia si Comitolus supracitatus *num.* 3. respondit deberi ancillæ ducentos ducatos legatos ab Hero, videlicet propter obsequia; multò magis legatum factum huic nepti testatoris illi debebitur, cùm sit pauper,

per, consanguinea, & seruierit sicut ancilla: & hoc abunde probatum manet ex illis quæ dixi suprà *num.* 3. cum Doctoribus dicentibus legata pia relicta in testamento nullo, deberi legatario. Et hoc in particulari docet Bonacina citatus suprà *num.* 3. in principio: loquens enim ibidem *num.* 21. de nostro casu in terminis, videlicet quid faciendum sit quando testator incepit condere testamentum, in quo instituebat hæredem causam piam, vel aliquid relinquebat ad causam piam, sed antequam perficeretur testamentum mortuus est (qui est casus noster in terminis) respondet, in foro conscientiæ tradendum esse legatum causæ piæ: nam voluntas perfecta defuncti seruanda est, præsertim in illis quæ pertinent ad pias causas, vt ait Bartolus *in l.* in testamentis, *ff. de fideicommissis:* & citat ibi Bonacina, Molinam, Couar. Vasquez, Iulium Clarum, Decium, & alios.

6 Semper hactenus locutus sum de legatis piis, dicens, quod hæc relicta in testamento nullo debentur in conscientia. Quæris an idem dicendum sit de legato non pio, sed prophano, an hoc relictum in testamento nullo, debeatur etiam in conscientia? Bonacina proximè citato loco respondet negatiuè. Assignat hanc præcipuè rationem: quia hæc legata prophana subsunt dispositioni iuris ciuilis, cùm pertineant ad causas prophanas; ius autem ciuile irritat contractus celebratos absque solemnitate. Quæ quidem ratio, & opinio probabilis est, & securior. At Couarr. ibi citatus à Bonacina, & Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dubio* 2. *num.* 9. & Sâ *in Aphorism. verbo* Legatum *num.* 4. & alij tres Doctores ibi citati, dicunt etiam legatum prophanum relictum in testamento nullo deberi in conscientia. Potest hoc aliquo modo probari

probari ex eo quod dixit Bart.cit.*in num.*5.præcedenti, videlicet,quod voluntas testatoris perfectè seruáda est. At licet testamentum fuerit nullum, constat quod voluntas perfecta testatoris fuit relinquere hoc legatum prophanum legatario. Ego censeo securius esse tenere cum Bonacina, ac dicere, legata prohana in testamento nullo, non deberi in conscientia. Si verò quæras causam cur legata pia debeantur, non verò legata prophana? Causa assignatur à Bonacina citato loco *n.* 19. Nam legata pia nullo iure irritantur: non enim irritantur iure canonico, cùm non possit assignari vbi irritentur. Neque irritantur iure ciuili,cùm ius ciuile non habeat potestatem circa causas pias. Tum quia *cap.relatum,de testam.* dicitur, relicta ad pias causas valida esse quamuis non seruetur ius ciuile. At ius ciuile annullat testamentum nullum,& proinde prophana in eo contenta. Et potest ius ciuile pro bono communi annullare donationes aliquas prophanas factas à sæcularibus,sicut annullat donationem factam inter coniuges, & donationem factam omnium bonorum, & donationem rei notabilis factam sine insinuatione, & sic de cæteris.

7 Ad maiorem claritatem istius materiæ propono hanc quæstionem. An Petrus cui relictum est legatum in testamento nullo,& tale legatum sibi non traditur, vel denegatur,possit illud clam apprehendere tuta conscientia: vel si illud iam habebat, possit in conscientia retinere, etiamsi feratur excommunicatio contra retinentes? Ad hoc, saluo meliori iudicio,cum distinctione dico. Quòd si legatum fuit pium,bene potest legatarius illud quantum sine scandalo possit in occulto apprehendere, vel retinere si iam habet, etiam si feratur excommunicatio. Ratio est, quia tale legatum sibi

O debet

debetur ex iure canonico per capitulum relatum primum *de testam.* vbi dicitur quod relicta ad causas pias valida sint non obstante iure ciuili, dummodo adsint duo vel tres testes. Imò Iulius Clarus *lib.3. sententiarum §. Testamentum quæst.90. num.2. & 3.* dicit quod relicta in testamento nullo debentur naturaliter, quod ex testamento minus solemni oritur naturalis obligatio. Pro quo citat Corne. Albertum, Socinum, Alciatum, & vnam glossam iuris ciuilis, & alios. Si ergo illud legatum debetur Petro naturaliter, imò & debetur illi in foro conscientiæ, iuxta Doctores citatos suprà *num. 3.* Clarum est quod poterit tale legatum clàm capere, vel retinere, dummodo non adsit scandalum. Quando verò Bonacina *disput. 3. de contract. quæst.17. punct.8. §.4. num.19. & eadem quæst.17. punct.4. num.15.* dicit non posse legatarium propria authoritate capere legatum sibi relictum, videtur loqui si id faciat in publico, & scandalo. Nihil enim cum scandalo facere licet: secus si id faciat in occulto, & sine scandalo, cùm capiat quod sibi debetur in foro conscientiæ, iuxta prædicta.

8 Secundò respondeo ad prædictam proximam quæstionem, quod si hoc legatum relictum Petro sit legatum prophanum, de quo variant Doctores, an debeatur in conscientia, iuxta prædicta *num.6.* Tunc, qui secutus fuerit opinionem Lessij, & aliorum dicentium talia legata prophana etiam esse valida, & deberi in conscientia, dicet pariter posse Petrum clam, & sine scandalo prædictum legatum capere, & retinere, iuxta rationem paulò suprà assignatam. At iuxta Bonacinam citatum *eodem num. 6.* dicentem legatum prophanum relictum in testamento nullo, non deberi in conscientia, non poterit Petrus tale legatum

legatum clam apprehendere, vel retinere, etiam vitato ſcandalo.

CASVS XIX.

De emptione cuiuſdam officij ſæcularis, qui dicitur Notarius publicus.

QVidam dominus ſæcularis habens in ſua iuriſdictione villas, oppida, & caſtella, dedit licentiam Petro Notario publico, vt poſſet vendere Ioanni ſuum officium Notarij. Ioannes emit prædictum officium pretio mille ducatorum: & de licentia ſcripta prædicti domini ſæcularis, nominauit Catharinam ſuam filiam, & hæredem vt poſt mortem ipſius Ioannis eſſet proprietaria, & domina prædicti officij. Mortuo patre Catharinæ, poſſedit illa officium per aliquod tempus, inſeruiente interim in eodem officio quodam famulo, ſeu vaſallo prædicti domini. Filius ſucceſſor prædicti domini præcepit vt ille famulus ſeruiens in officio ſolueret Catharinæ ſingulis annis certam pecuniam aſſignatam. Elapſo deinde aliquo tempore filius ſucceſſor eiuſdem domini præcepto in ſcriptis mandauit vt eadem Catharina nuberet prædicto famulo domini ſeruienti in officio, ſub declaratione, quod ſi illi non nuberet, amitteret illa dominium, & proprietatem officij. Et declaratur, quod prædictus famulus ſeruiens officio eſt pauper.

Quæritur an poſſit prædictus dominus filius prioris domini imponere Catharinæ hanc nouam obligationem nubendi tali viro, ſub pœna amiſſionis officij, ſi non nubat?

1 Respondeo, non posse prædictum dominum filium prioris domini obligare Catharinam ad nubendum tali viro, neque illi auferre possessionem officij si non nupserit.

Ante probationem huius conclusionis, Præmitto primò, quod officia publica sæcularia possunt vendi, maximè illa quæ nō habent annexam iurisdictionem, quale est hoc officium Notarij, de quo agitur. Sic tenet communis opinio Theologorum, teste Azorio *tom.3.lib.8.cap.7.* vbi citat multos. Et tenet Bonacina *tomo 2. disput. 3. de contractibus disputat. 2. punct. 2. num.* 10. & hoc patet ex praxi istius Regni, in quo passim similia officia venduntur. Neque obstat lex istius Regni *lib.2.Ordin.tit.*46. prohibens huiusmodi officia vendi. Nam prædicta lex intelligitur de officiis pertinentibus ad bona publica Regis: & præterea loquitur prædicta lex de personis, quæ vendunt prædicta officia authoritate propria, sine licentia superioris, Regis scilicet, vel domini superioris respectiuè, vt colligitur ex dicta Ordinatione. Quod non cernitur in hoc officio cùm non pertineat ad bona regalia, & possit donari à domino illius oppidi in quo viuit Catharina: in quo oppido prædictus dominus habet plenam potestatem donandi similia sæcularia.

2 Secundò præmitto quod post venditionem soluto pretio, & traditâ re venditâ emptor statim acquirit rei dominium, vt tradit etiam cummunis opinio Theologorum, vt videre est apud Azorium *tom.3. lib.1.c.14.* §. *Acquiritur*, vbi citat legem *Instit. de rerum diuisione* §. *Vendita*. Et nullus Doctorum hac de re dubitat.

3 Hoc posito, probo conclusionem. Nam hæc fœmina possidet hoc officium per emptionem, qua pater suus illud emit, & proinde illius officij habet dominiũ

tanquam

tanquam hæres nominata à patre suo: ergo cum illius officij plenum, & quietum dominium habeat, non potest illi imponi onus nubendi certo viro sub pœna amissionis officij. Antecedens patet apud citatos Doctores per Azorium. Probatur consequentia hoc exemplo claro. Vendidit Antonius Francisco domum, & soluto pretio tradita est domus Francisco: nunquid postea poterit Petrus prædictam domum auferre Francisco, vel circa illam aliquid innouare? Non profectò, quia si id posset, orirentur quotidie inconuenientia magna, lites, & scandala. Secundò id probo exemplo accommodatissimo ad casum præsentem. Habeo agrum sub emphyteusi (vulgo *de foro*) cuius agri habeo dominium vtile, dominus emphyteusis habet dominium directum. Vendidi hunc agrum cum licentia domini directi, sine qua vendi non poterat. Constat quod pôst factam venditionem dominij directi non potest dominus directus aliquid innouare in illa emphyteutica vendita Petro, neque illam illi auferre, vt praxis communissima testatur. Idem prorsus cernitur suo modo in nostro casu. Iste dominus sæcularis, de quo agitur, habet, vt sic dicam, dominium directum in officiis sæcularibus suæ iurisdictionis: ille verò qui vt proprietarius possidet officium habet dominium vtile prædicti officij. Si ergo iste qui habet dominium vtile officij, vendidit illud cum licentia domini sæcularis, qui habet dominium directum; non poterit ille dominus post venditionem factam de sua licétia innouare aliquid circa tale officium venditum, neque illud auferre Mariæ hæredi dicti Ioannis, qui illud emit cum licentia eiusdem domini, & erat Ioannes dominus directus illius. Eo nempe modo quo dominus directus rei emphyteuticæ non potest alterare,

vel auferre rem emphyteuticam ab hæredibus domini vtilis eiusdem rei, nisi forte ob culpas aliquas commissas. Quod suppono in Catharina non euenisse, cùm non dicatur illam, vel patrem suum culpam aliquam commisisse. At constat quod obligare illam vt nubat tali viro pauperi, est illi imponere onus molestum, & pensionem grauem, & proinde est alterare rem venditam. Secundò probo principaliter: nam licentia quam dedit prior dominus vt venderetur hoc officium, fuit in substantia quædam donatio liberalis, per quam Ioanni ementi dedit hoc officium. At donatio liberalis absoluta, & acceptata non potest reuocari, vt est communis Doctorum opinio, & decernitur in lege istius Regni *lib.*4. *Ord.tit.*63. Ergo donatio istius officij non potest hodie reuocari à filio prioris domini, maximè cùm ille confirmauerit donationem, seu licentiam datam à patre: cum ipse filius iusserit Catharinæ solui singulis annis assignatam pecuniam de fructibus officij tanquam veræ dominæ proprietariæ dicti officij. Si verò dicas quod licentia data à priori domino, vt officium venderetur, non fuit vera donatio, sed simplex licentia, quæ potest reuocari: dico quod neque tunc filius prædicti domini poterit talem licentiam reuocare eo quod iam illam confirmauit modo proximè dicto, ídque iuxta regulam 21. *de reg. iuris in 6.* dicentem: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Maximè quando iam non est res integra: sed est licentia posita in actu, & emptio officij absolutè facta sine vlla conditione.

4 Probatur adhuc conclusio, nam Princeps, etiam supremus (qualis non est dominus, de quo agitur) non potest auferre subdito ius quod habet acquisitum in re, inuito tali subdito, vt dicitur *in l.penult.& finali, de*

nata

natal. restit. cum aliis textibus citatis à Sarmiento 4. *p. de reddit. Eccles. cap.3. paulò post initium.* Imò nec Papa intendit tollere alicui ius suum quod habet acquisitum in re aliqua, vt habetur in *cap. Super eo vero, de off. & potest. iudicis delegati*, cum aliis ibi citatis à glossa, verbo *Intentionis*. At ista mulier habet iam ius in re acquisitum in hoc officio, tanquam in re empta pecuniâ patris sui, & prædicti officij habet iam dominium vtile, vt constat ex præcedentibus: ergo iste dominus non potest ab illa auferre ius quod habet quæsitum in hoc officio Notarij. Vltimò probatur: quia post venditionem factam non potest rei venditæ apponi aliqua conditio, nisi talis conditio ab vtroque contrahente acceptetur, vt colligitur ex l. *perfecta* Cod. *de donat. sub modo, ibi: Perfecta donatio conditiones postea non capit.* de quo Sanchez *lib. 5. de matrim. disput.6. num.3. & 4.* vbi dicit non sufficere vt post contractum celebratum vnus tantum contrahens apponat conditionem, at in hoc casu, in principio quando à priori domino data est licentia vendendi liberè officium, & in venditione ipsius officij, non apposita cōditio vt Catharina certo viro nuberet: ergo talis conditio non hodie illi apponi post venditionem officij, & pacificam possessionem illius, non consentiente Catharina.

5 Obiicies: Hodie praxis Regni obseruat, quod quando Rex alicui viro nobili donat commendam, eidem imponit conditionem vt nubat certæ feminæ nobili, & pauperi, aliàs non daturus commendam, & prædicta conditio nubendi tali feminæ, est licita, & in praxi. Ergo similiter iste filius prioris domini potuit Catharinæ in donatione, seu confirmatione prædicti officij imponere conditionem quod nubat tali viro,

aliàs non daturus tale officium. Respondeo dissimilem valde esse rationem in vtroque casu. Nam quando Rex imponit illam conditionem nubendi, imponit illam in principio antequam commendatarius acceptet, & præterea commendatarius non habet ius quæsitum in re, circa illam commendam, & propterea Rex potest apponere quamlibet conditionem in re, quam donat liberaliter antequam res donata acceptetur; & possideatur. At in nostro casu, iste filius prioris domini, non imponit Catharinæ hanc conditionem nubendi in principio donationis officij, sed postquam illa habet possessionem officij. Secundò, quia Catharina, id est pater suus, emit hoc officium propriâ pecuniâ. At Commendatarius non emit commendam, sed liberaliter illam accipit, & proinde potuit illi in principio apponi talis conditio nubendi; & retorquetur idem exemplum: nam postquam Commendatarius habet possessionem commendæ per aliquos annos, non solet Rex de nouo aliquam conditionem apponere. Si verò mihi dicatur, quod aliquando Rex aufert officia iam possessa ab aliquibus. Respondeo id non facere Reges nisi quando præcedunt culpæ. In Catharina verò non præcesserunt culpæ, vt suppono. Nam nolle nubere viro designato ab isto domino, non est culpa, cum matrimonium debeat esse liberum. Imò maior culpa poterit esse domino isto obligante Catharinam vt nubat illi viro, vt statim ostendo.

6 Vltimò aduerto, posse merito dominum istum timere quod peccatum committat obligando Catharinam vt nubat tali viro contra suam voluntatem. Probatur ex Concilio Trid. *sess.24. cap.9. de matrim.* vbi excommunicat omnes principes compellentes

aliquem

aliquem ad matrimonium contrahendum, de quo etiam Sanchez *lib.2. de matrim. disp.27.* citans multos Doctores. Hic autem dominus obligatus Catharinam ad nubendum tali viro sub pœna amissionis officij, empti à patre, & in quo consistit suum remedium, est quasi compulsio, & coactio ad nubendum, & videtur illi incuti metus cadens in virum constantem, qui etiam iuxta Doctores incutitur in viro robusto quando adest periculum amittendi omnia bona. Si vero mihi dicatur Reges hodie dare commendas sub illa conditione nubendi tali, nec proinde aliquem dicere eos compellere ad nubendum, vel esse excommunicatos. Respondetur ex supradictis *num. 5.* casum esse dissimilem. Nam Reges id faciunt in principio antequam dent commendam, & commendatarius nondum possidet illam commendam, neque illam emit suâ pecuniâ: & ideo Rex apponens illam conditionem liberam nubendi, non compellit sub protestatione quod auferet commendam possessam, sed quod non dabit illam denuo. At in nostro casu iste dominus temporalis apponens conditionem Catharinæ, vt nubat, minatur quod aliâs priuabit illam officio iam possesso, & empto pecuniâ patris sui. Secundò respondeo dictum decretum Tridentini de non compellendo ad matrimonium, non comprehendere Regem, neque Imperatorem: vt testatur Henriquez *tom.2. lib.11. cap.6. §.6 littera G.* At iste dominus de quo loquitur, neque est Rex, neque Imperator.

CASVS XX.

De quadam emptione rei emphyteuticæ sub obligatione nominandi, vulgò, prazo.

QVædam mulier tutrix filiarum suarum, vidua cùm esset, emit quandam proprietatem, (vt campum) quæ erat sub emphyteusi obligata cuidam confraternitati Misericordiæ in Portugallia, quod vulgo dicitur, *prazo*, cum obligatione nominandi successores in illo. Confraternitas Misericordiæ, quæ erat directa domina, confirmauit venditionem, & hanc viduam ementem constituit, & nominauit in prima vita, cum potestate vt possit nominare secundam personam, seu secundam vitam. Et secunda persona succedens posset nominare tertiam, cum declaratione quod tales nominationes, vel venditiones essent confirmandæ per confraternitatem Misericordiæ prædictæ. Hæc vidua matrimonio locauit primam filiam seniorem, eámque domi retinuit cum genero & aliis filiabus. Huic filiæ seniori tradidit rem illam emphyteuticam, vt fructus eius comederet, dum manebat in domo ipsius matris. Mansit illa cum marito in domo matris per annos viginti. Quibus finitis, propter aliquas discordias & molestias exortas, gener cum sua vxore filia seniore viduæ, exiit à domo viduæ, & viuens separatim prætendit rem illam emphyteuticam pertinere ad se ratione vxoris suæ, quæ erat filia senior, & quam iam socrus eius nominasse videbatur in emphyteusi, seu *prazo*. Et declaratur quod prædicta vidua dedit illi filiæ seniori dotem competentem in aliis

rebus

rebus mobilibus, & immobilibus: de prædicta verò re emphyteutica ſolum illi dedit vſum, vel vſum fructum: neque talem vſum dedit coram teſtibus, neque per ſcripturam. Imò cùm filia, & gener ab illa peterent vt ſcripto illis abſolutè traderet rem illam emphyteuticam, vidua id facere recuſauit.

Mortua eſt hæc filia ſenior Olyſſippone; quâ defunctâ, quædam alia mulier præſentauit quandam ſcripturam, per quam defuncta hanc ſecundam mulierem nominabat in illa re emphyteutica, eidemque faciebat donationem illius. Quæ ſecunda mulier, ſtatim per procuratorem apprehendit poſſeſſionem dictæ rei emphyteuticæ, ídque ſine authoritate iudicis. Vidua hoc ſciens per exceptionem oppoſuit ſe apprehenſioni dictæ poſſeſſionis. Idem fecit confraternitas Miſericordiæ directa domina iſtius rei emphyteuticæ. Et declaratur quod prædictus gener viduæ per illos viginti annos, in quibus comedit fructus huius rei emphyteuticæ, ipſe nomine ſuo ſoluebat penſionem emphyteuſis dictæ confraternitati, non autem ſoluebat ipſa vidua.

Hoc poſito, quæritur an iſta ſecunda mulier nominata à filia ſeniore habeat ius ad dictam rem emphyteuticam: an verò ius maneat apud viduam, quæ primò fuit nominata à confraternitate Miſericordiæ, neque illa aliquem nominauerit pro ſecunda vita, neque de hoc poſſit per aliquam ſcripturam conſtare. Et declaratur quod ratio quam aſſignauit filia defuncta ad nominandam hanc ſecundam mulierem in re emphyteutica, fuit eo quod ab illa receperat aliqua bona, & obſequia: cùm prædicta ſecunda mulier eſſet pauperrima, neque haberet vnde aleretur.

Secundò quæritur, vtrum per mortem iſtius viduæ, hæc

hæc res emphyteutica, seu *prazo* adducenda sit ad collationem inter generum, & alios filios viduæ, vel nepotes?

Responsio.

1 Quamuis materia hæc directè pertineat ad Doctores iuris ciuilis, quia tamen Theologi ratione conscientiæ, & peccati aliquas materias Iuristarum attingunt, qualis est emphyteusis, maioratus, testamentum, & similes, dicam breuiter, quid circa hunc casum Theologi possunt attingere.

Dico ergo absolutè, & certissimè, prædictam filiam, quæ nominauit tertiam mulierem tanquam tertiam personam: seu tertiam vitam, id nullo modo potuisse facere, & proinde inualidè,& nulliter nominasse: neque proinde dicta mulier potuit acquirere dictam rem emphyteuticam, neque quo ad dominium, neque quo ad vsumfructum. Ante probationem præmitto, quod dicitur in principio informationis, videlicet quando confraternitas Misericordiæ confirmauit primò hanc viduam, illique concessit vt postea nominaret, addidit conditionem, quod futuræ nominationes confirmandæ essent per ipsam confraternitatem Misericordiæ. In quo factus est contractus conditionalis sub conditione licita, vt patet. Constat verò quod contractus conditionalis violatur si non seruetur conditio apposita, vt testatur communis Doctorum sententia in materia de contractibus, maximè videndus est Azor *tom.3.lib.4.c.p.24.§.1.* cum textibus ibi citatis,& Lessius *lib.2.de iustit.cap.18.dub.15.num.119. & 120.* Ratio est, quia donans, seu contrahens aliter non consentit nisi interueniente illâ conditione

appositâ,

appositâ, & impletâ, & contractus sine consensu contrahentium, est nullus, vt patet ex iure, & praxi. Hoc posito, sic fit argumentum. Hæc mater, quæ primò fuit nominata, non poterat secundò nominare absque licentia, & confirmatione confraternitatis Misericordiæ quæ erat directa domina emphyteusis. At constat, quod ista nominatio prætensa, quæ allegatur facta per filiam defunctam, non est confirmata, nec approbata per confraternitatem prædictam: ergo talis nominatio secunda de tertia muliere nulla est, & inualida. Et eadem ratio à priori militat in nominatione matris circa filiam seniorem, si daretur; quia non fuit facta cum approbatione, & confirmatione prædictæ confraternitatis & proinde non est seruata forma, & conditio contractus, maximè cùm hodie dicat prædicta confraternitas Misericordiæ, quod non consentit in tali nominatione matris: imo neque consentit in nominatione secunda, quam fecit filia circa tertiam mulierem. Hæc consequentia præcipuè probatur ex textibus citatis à glossa *in regula iuris in 6.* quæ dicit, *Nemo potest plus iuris conferre in alium, quàm sibi competere dignoscitur.* Vbi glossa citat alium textum, siue dictum commune Iuristarum dicentium: *Nemo dat quod non habet*; & lumen naturale idem dictat. Hæc filia nunquam habuit dominium istius rei emphyteuticæ, sed solum vsumfructum, cùm non extet illa de re scriptura, nec approbatio confraternitatis Misericordiæ: ergo cùm non habuerit illius rei dominium vtile, non potuit illud transferre per nominationem in tertiam mulierem, cum nemo det quod non habet, maximè cùm mtaer dicat quod non fecit nominationem in filia: imò rogata vt id faceret per scripturam, recusauit.

2 Cùm

2 Cùm conſtet per teſtes,quod quando in principio hæc mater dedit filiæ fructus huius rei emphyteuticæ, declarauit ſe illi dare ſolum vſumfructum illius, ceſſat omne dubium,nec poteſt alicui in mentem venire quòd per hoc illi mater donauerit dominium vtile rei emphyteuticæ, vel quod filiam nominaret in ſecundam perſonam, quamuis filia per viginti annos comederet fructus illius. Hoc conſtat ex communi Doctorum opinione, & praxi dicentium, quod in rebus immobilibus, ſicut campo, domo,& ſimilibus,diuerſa valde ſunt dominium illius,& vſusfructus illius: quod poteſt donari vſusfructus illius ſine eo quod detur dominium illius. Hoc conſtat clariſſimè in illis, qui locant aliis vineas, oliueta, domos, & ſimilia immobilia. Hi enim conductoribus non dant dominium talium rerum immobilium locatorum, vt patet, ſed ſolum vſumfructum; dominium verò manet apud locatorem. Idem ferè aliquo modo cernitur in re emphyteutica, in qua poſſidens illam non habet abſolutum dominium illius, ſed ſolum dominium vtile & vſumfructum, & ideo non poteſt illam vendere abſque licentia domini directi. de quo videri poteſt Reginaldus *tom.2.lib.25.n.26.* Cùm ergo conſtet quod hæc mater in principio non dederit filiæ iſtius rei emphyteuticæ dominium, niſi ſolum vſumfructum, ſequitur quod dicta filia nunquam habuit dominium vtile prædictæ rei emphyteuticæ, & proinde tale dominium non potuit dare tali tertiæ mulieri per nominationem, quia iuxta proximè dicta, *nemo dat quod non habet.* Neque ad probandum hoc dominium vtile in filia, vel ad probandam nominationem matris circa illam, ſufficit quod per viginti annos comederet fructus prædictæ rei emphyteuticæ, vt hoc temporis ſpatium

ſpatium poſſet illi dare titulum dominij ob præſcriptionem. Nam dato,& non conceſſo, quod illa poſſet præſcribere, quoad vſun fructum, nunquam potuit præſcribere quoad dominium vtile, quod nunquam habuit: iuxta illud Iuriſtarum, quod *à ſeparatis non fit illatio*. Conſtat ex claro exemplo. Nam poſſidens rem emphyteuticam, comedit fructus illius per quinquaginta,& amplius annos, idemque faciunt ſucceſſores illius: & tamen per hanc poſſeſſionem fructuum, ſiue per hunc vſumfructum nunquam præſcribunt contra dominum directum. Idem à ſimili poteſt dici de iſta filia, quod licet per viginti annos de licentia matris poſſederit vſumfructum iſtius rei, nunquam potuit præſcribere contra dominium vtile quod mater habebat in eadem re. Si verò quæras, quomodo probabit hæc mater quod filiæ non dederit dominium vtile iſtius rei, ſed ſolum vſumfructum? Dico quod lex iſtius Regni *lib. 3. ordinat. tit. 59.* § 11. dicit, quod ad probandas donationes,& contractus, & pacta inter patrem, & filium, vel matrem, & filium, non eſt neceſſaria ſcriptura, ſed ſufficiet probare per teſtes: & proinde debet iſta filia ſaltem per teſtes probare quod mater illam nominauerit, vel quod illi dederit non ſolum vſumfructum illius rei, ſed etiam dominium vtile.

3 Tertiò dico principaliter, quod ſi confraternitas Miſericordiæ quando primò nominauit hanc viduam, dedit illi licentiam nominandi vnam perſonam ante mortem ſuam, vel tempore mortis; talis mater poſt primam nominationem poterat illam nominare, & poſt hanc aliam: & per vltimam nominationem reuocarentur omnes nominationes præcedentes: quod probatur, quia per præcedentes nominationes nondum

eſt

est translatum dominium talis rei in personas nominatas: nisi fortè tale dominium datum esset filiæ in dotem matrimonij, per scripturam specificantem, quod prædicta res emphyteutica dabatur filiæ pro dote. Sic disponit lex istius Regni *lib. 4. Ordin. tit. 37. in principio, & in* §.1. At hæc mater neque dedit rem istam emphyteuticam filiæ in dotem, neque in filiam transtulit dominium quod in tali habebat. Imò dicitur in informatione posita in principio, quod mater expressit se solum vsumfructum filiæ concedere. Ex quo constat quod licet mater in principio hanc filiam nominaret absolutè, nihilominus potuit prædictam nominationem factam reuocare per prædictam Regni Ordinationem. Facit etiam quod pro hoc addit prædicta Ordinat. *eodem tit.*§.5. videlicet, quod si primus nominans simpliciter nominauerit in *prazo* aliquam personam non transferendo statim in illam ius, & dominium talis rei, & persona nominata mortua fuerit ante personam nominantem, in tali casu persona nominans poterit nominare aliam, quam voluerit, quoniam nominatio personæ nominatæ non fuit sortita effectum. Et in nostro casu neque mater nominauit hanc filiam, & dato quod illam nominauerit, filia mortua est ante matrem nominantem: & mater nominans nunquam transtulit in filiam dominium vtile quod habebat, viso quod filiam nunquam nominauit.

4 Quartò principaliter probatur ex eo quod tradit Rabello *tom. de oblig. iust. 2. p. lib. 13. de emphyteusi q. 17. num. 6.* vbi imprimis ait quod suprà diximus, posse patrem in vita nominare filium in emphyteusi, sed quod viuente patre filius non habebit ius in illa quantum ad dominium, sed solum vsumfructum ex donatione patris. Deinde addit Rabello propriè ad nostrum

nostrum intentum, quod quando aliqua persona recepit rem emphyteuticam pro tribus vitis ad certas personas nominandas, ponit citatus Author hæc verba: *Non finitur præcedens nominatio per nominationem sequentis personæ quãdiu præcedens vita perdurat, quantumuis emphyteusis in alium, vel alios alienetur.* Sic ille: quo nihil clarius dici potuit. Et assignans prædictus Doctor huius rei causam, & citans legem istius Regni, ait, quod quando datur licentia nominandi ad tres vitas, intelligitur vt tres personæ ordine successiuo per tres ipsarum vitas omnino completas rem possideant. Et citat Rabello, Gamam *decis.* 235. & 236. *num.* 3. Qui Gama refert sic iudicatum fuisse in Senatu Regio Olysipponensi, cum aliis ibi dictis à Rabello. At in nostro casu, vltra quàm quod mater non nominauit filiam absolutè, transferendo in illam dominium vtile; matris vita nondum finita est, neque completa, cùm adhuc viuat, & filia prius mortua sit quàm mater, nec proinde duæ vitæ sint completæ. Et sic stante hodie emphyteusi in matre viuente, non potest simul stare in tertia muliere indebitè nominata.

5 Neque obstat quod gener istius viduæ per illos annos, in quibus comedit fructus huius emphyteusis soluit confraternitati Misericordiæ pensionem illius: nam talis solutio pensionis non dedit illi ius circa dominium emphyteusis: nam talem solutionem fecit tanquam procurator viduæ, vt patet. Procurator verò licet tempore longo procuratoris officium administret, non acquirit dominium illarum rerum, quarum est procurator, vt praxis obseruat.

6 Adhuc ex alio capite ostendo nominationem factam à filia in tertia muliere fuisse nullam, eo quod dicatur illam nominasse propter bona opera ab ipsa

P accepta,

accepta, cùm aliàs constet prædictam tertiam mulierem esse nimis pauperem, quæ tali filiæ obsequia, & dona dare non poterat. Circa quod nimis inseruit quod tradit Mascardus *tom. 1. de probat. conclus.*184. *num.* 5. *& seqq.* vbi cum aliquibus Doctoribus, dicit, quod si alicui fiat donatio in aliquo legato, dicendo in scriptura quod illi hoc donat propter merita, vel benemerita, intelligendum hoc esse, si merita, & benemerita probari possint. Et ait non sufficere verba narratiua instrumenti donationis, in quo donator dicat, se donasse pro seruitiis, meritis, & obsequiis; quia illa verba non sufficerent ad prædicta probanda, quando donatio fit inter personas prohibitas; sed censentur illa verba adiecta in fraudem legum. Hæc autem filia viduæ nominans tertiam mulierem fecit illi donationem prohibitam per leges supracitatas: neque probari possunt merita, vel obsequia, vel bona opera, quæ ipsa præstiterit filiæ viduæ, cum talis mulier esset pauper: ergo non sufficiet quod prædicta filia viduæ dicat in sua nominatione, quod illam nominet propter bona opera ab ipsa recepta: & proinde illius nominatio etiam ex hoc capite est suspecta.

7 Quantum ad secundum quæsitum, an scilicet hæc res emphyteutica post mortem viduæ adducenda sit ad collationem, vt illa, vel valor illius diuidatur inter hæredes respectiuè? Dico decisionem huius casus positam esse in lege istius Regni *lib.*4. *Ordinat.tit.*27. §. 22. vbi tria decernuntur. Primum est, quod si pater, aut mater in vita sua dederit filio aliquam rem emphyteuticam pro dote matrimonij, vel alio titulo, vt talem rem statim possideat in vita ipsius donantis: in tali casu talis filius ipsius donantis,

obligabitur

obligabitur post mortem donantis adducere ad collationem prædictam rem emphyteuticam, si voluerit esse hæres æqualiter cum aliis fructibus in bonis paternis, vel maternis. Secundò dicit, quod si pater, vel mater rem emphyteuticam dedit filio, non vt possideat in vita ipsius donantis, sed post mortem ipsius donantis, nominando illum post mortem ipsius donantis, in tali casu non tenebitur filius post mortem patris rem prædictam adducere ad collationem, nec valorem illius. Tertiò dicit, quod si pater, vel mater talis filij tanquam prima vita, seu prima persona, emit rem illam emphyteuticam suâ propriâ pecuniâ, vel circa rem illam fecit multas expensas, seu melioramenta, prædictus filius adducet ad collationem rem prædictam, vel valorem ipsius, quamuis in illa fuisset nominatus post mortem nominantis; vel dicta res emphyteutica illi computabitur pro sorte, vel portione hæreditatis sibi debitæ. Hinc patet responsio ad secundum dictum dubium: constat enim quod hæc vidua emit suâ propriâ pecuniâ rem istam emphyteuticam, & proinde cùm illam inuita non donauerit quoad dominium, quamuis in vita aliquem nominauerit, vel per mortem, talis filius, vel hæres nominatus tenebitur post mortem matris adducere ad collationem prædictam rem emphyteuticam: vel saltem talis res illi comparabitur pro sorte, & portione suæ hæreditatis.

***

CASVS XXI.

De reelectione cuiusdam Guardiani in quodam Conuentu vltra tres annos.

COnstat ex quadam Bulla Pauli IV. infra citanda, & ex quodam statuto generali Ordinis P. N. Francisci fundato in prædicta Bulla, quod nullus Religiosus prædicti Ordinis potest esse Guardianus in eodem Conuentu vltra tres annos. Contigit vt per mortem cuiusdam Guardiani, quidam Religiosus fuerit constitutus præses illius Conuentus; quem præsidentem sic creatum, statuta generalia dicunt habere totam iurisdictionem, quam habet Guardianus, & quasi Guardianum reputandum esse. Prædictus Religiosus fuit præses in dicto Conuentu per decem menses: postea celebrato capitulo, vel congregatione capitulari fuit electus Guardianus eiusdem Conuentus, & in illo fuit Guardianus duobus annis, & duobus mensibus; quod tempus iunctum cum decem mensibus, quibus fuit præses in eodem Conuentu, complet tres annos prælaturæ in eodem Conuentu. Post hos tres annos sic transactos, celebratum fuit capitulum, vel congregatio capitularis, in qua solent aliqui guardiani de nouo eligi. Dubitatum fuit, an prædictus Religiosus de quo agitur, potuerit reeligi in guardianum, vt continuaret guardianatum per alium annum cum dimidio eo quod in tali Conuentu non fuerit guardianus per tres annos integros, sed solum per duos annos, & duos menses, non obstante quod fuerit præses in eodẽ Conuentu per alios decem menses,

mensés, qui complent prælaturam trium annorum in eodem Conuentu.

Ante responsioné præmitto Papam Paulum IV. propriâ Bullâ apud Bullarium Rodrig. fol. 853. decreuisse sub pœna excommunicationis, & aliis pœnis, ne in Ordine Minorum aliquis Religiosus posset esse guardianus in eodem Conuentu vltra tres annos: & quod aliter factum foret nullú, adeò vt Religiosi illius Conuentus sub pœna excõmunicationis illi non obedirent.

Quo non obstante, videtur quod Religiosus, de quo quæritur, potuerit reeligi in guardianum prædicti Conuentus, in quo solum fuit guardianus per duos annos, & duos menses. Nam licet in eodem Conuentu fuerit præses cum tota iurisdictione guardiani illud officium præsidis in substantia, & in communi vsu loquendi, non dicitur guardianatus, vt patet. Verba autem legis sunt accipienda secundum communé vsum loquendi, vt communis docet opinio. Secundò, quia citata Bulla Pauli IV. est pœnalis, & odiosa, cùm ponat pœnam excommunicationis. Lex autem pœnalis strictè est interpretanda, vt minus lædat quantum fieri possit: cùm ergo illa solum loquatur de guardianatu, non videtur extendenda ad officium præsidis iunctum cum guardianatu, cum præses non sit guardianus.

1 Quo non obstante dixi, & dico, talem Religiosum post dictos tres annos non potuisse reeligi in guardianú in proximo capitulo, vel congregatione sequenti, vt maneret guardianus in eodem Conuentu. Fundamentum est, quia talis Religiosus iuxta mentem citatæ Bullæ iam fuit guardianus dicti Conuentus per tres annos, & proinde in eodem non potest continuari iuxta citatam Bullam. Ante probationem reuoco in memoriam supradictum, quod in ordine Minorum

statutum generale decernit, quod præses Conuentus, de quo agimus, factus ob mortem guardiani, habeat omnem iurisdictionem in omnibus, sicut habebat guardianus.

Hoc posito, probatur conclusio proximè posita, primò, quia *de æquipollentibus idem est iudicium*, vt habetur *in l.fin.ff.mandat.*& cap.*Inter cætera,de rescript.* At esse guardianum,& esse talem præsidentem in eodem Conuentu, æquipollent cùm solo nomine differant, & quæstio de nomine non sit curanda: ergo cùm iste in substantia fuit guardianus, seu prælatus in illo Conuentu, non poterit continuari in illo officio guardiani vltra dictum triennium, per citatam Bullam Pauli IV. Et quod officium guardiani, & talis præsidis sint duæ res æquipollentes, probo ex Calepino, qui in verbo *Æquippollens*, ait, quod æquippolere, est parem potestatem habere. Diximus verò quod præses, de quo loquimur, habet parem potestatem in vtroque foro sicut guardianus. Secundò probatur ex illa regula Iuristarum dicentium, quod, *vbi est eadem omnino ratio, est etiam eadem iuris dispositio*: ita vt pœna imposita vni delicto in vna lege possit & debeat extendi ad aliud delictum, in quo militat eadem omnino ratio assignata in priori lege. Hæc est communis Iuristarum, pro qua sufficiat videre Sanch. *lib.3. de matr.disp.42.n.4.* vbi citat textus,& Doctores vsque ad nauseam. Sed in guardiano, & in præside eiusdem Conuentus est eadem omnino ratio, vt suprà diximus: ergo in vtroque erit eadem dispositio,& dispositum in vno, erit dispositum in alio quoad durationem officij, & vt officium vnius computetur cum officio alterius. Quod verò eadem sit ratio in præside, & guardiano quoad durationem officij, probo, quia ratio,

ratio, quæ mouit Pontificem in illa Bulla ad prohibendam continuationem guardianatus vltra triennium, fuit obuiari ambitioni procurandi, & continuandi officia in religione, vt Papa exprimit in procemio Bullæ, sic dicens: *Viam ambitiosæ cupiditatis, quæ ex continuatione officiorum, quandam superioritatem, & iurisdictionem in Religionum Ordinibus, &c.* Intentio Papæ ibi exprimitur, videlicet quod tollatur ambitio circa continuationem officiorum habentium superioritatem & iurisdictionem in religionibus: at talis ambitio æquè interuenit in guardianatus officio, atque in officio talis præsidis, cùm vtrumque habeat æqualem superioritatem, & iurisdictionem: ergo in vtroque est eadé ratio. Tertiò principaliter probatur conclusio, quia ex procemio legis colligitur mens, & finis legislatoris, vt est communis opinio, de quo fusè Sanch. more suo *lib. 2. de matr. disp. 37. n. 3.* citans multa: sed Papa in procemio cit. Bullæ dicit se intendere obuiare ambitioni continuandi officia, & hæc ambitio æquè cernitur in continuando officio guardiani, ac præsidentis qui est omnino sicut guardianus: ergo mens, & intentio Papæ fuit ne aliquis in eodem Conuentu foret prælatus vltra triennium, siue cum titulo guardiani, siue cum titulo præsidentis. Quartò, hinc elicitur aliud argumentum, nam finis legis, seu legislatoris potius seruandus est quàm verba legis, iuxta regulam 88. *de reg. iur. in 6.* sic dicentem: *Is committit in legem, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem.* Sed clara voluntas Bullæ istius est ne officia continuentur in eodem Conuentu vltra triennium: ergo hæc voluntas seruanda est, licet verba Bullæ non clarè loquantur de officio præsidentis. Fauet quod dicit Bonac. *tom. 2. tr. de legib. disp. 1. q. 1. punct. 8. n. 17.* Quod scilicet mens legislatoris,

& intentio intrinseca seruanda est, non verò extrinseca: & declarat, quod mens intrinseca legislatoris seruatur, quoties adimpletur id quod legislator intendit.

2 Hoc ipsum potest confirmari omnino à simili ex cap. *Dudum, il 2. de elect.* vbi agitur de electione: in quo capitulo, quidam clericus qui erat Archidiaconus,& simul habebat aliam Ecclesiam cum cura animarum,& fuit accusatus de hoc ob pluralitatem beneficiorum incompatibilium. Clericus excusabat se, quod officium Archidiaconi cum esset solum personatus, non verò dignitas, nec prælatura, non se incurrisse in pœnas habentium pluralitatem officiorum, vel beneficiorum cum cura animarum. Ad quod respondit Papa, quod cùm Archidiaconus illius Episcopatus quamuis esset solum personatus, nihilominus excommunicabat, interdicebat, suspendebat ab officio, absoluebat à pœna, qui sunt actus habentis curam animarum; idem dicendum esse de tali officio Archidiaconi, ac de habente curam animarum. Verba Papæ sunt: *Cum idem de personalibus, quod & de curam animarum habentibus iudicium sit habendum.* Hoc multo magis videtur de officio præsidis, de quo agimus, & guardiani in eodem Conuentu: quod scilicet idem iudicium sit de vtroque,cum vterque habeat eandem parem curam animarum, & in solo nomine differant. Videatur glossa citati cap. *Dudum*,in verbo *De personatibus*, vbi multa adducit ad probandum, quod de similibus idem est iudicium.

3 Neque obstat,quod iste guardianus finito triennio in capitulo sequenti renunciauit officio guardiani, vt propter hanc renuntiationem videatur posse reeligi in guardianum prædicti Conuentus post dictum triennium

nium, eo quod per talem renunciationem vacauerit officium guardiani. Non obstat primò, quia illa vacatio per tempus breuissimum facta fuit. Mora autem breuis, seu interruptio breuis non computantur, nec reputantur in iure, sicut patet ex allegatis à glossa *in cap. vltimo, de verborum signif. in 6.* in verbo *Continuè*, & in verbo, *Pro tuis.* Vbi aliquibus, & claris exemplis probat non desinere esse continuum id quod parua aliqua interruptione interrumpitur. Facit ad idem quod tradit Mascardus *tom. 2. de probat. conclus.* 1070. *num.* 24. citans vnam glossam, & Doctores, dicentes, quod veniens intra tempus modicum, censetur venire, ac si veniret statuta die. Secundò, quod hæc renunciatio (vt ita dicam, momentanea, seu vacatio momentanea) non obstet, probo, quia aliàs aperiretur via fraudibus. Nam possent aliàs aliqui guardiani vno mense proximè ante capitulum renunciare officio guardiani, quod habuerunt per tres annos dempto vno mense; & proximè pòst possent eligi guardiani eiusdem conuentus ad alios tres annos, quod esset clarè in fraudem prædictæ Bullæ Pauli IV. *Fraudibus* autem *obuiandum est*, vt passim iura proclamant.

4 Ad duo argumenta in oppositum adducta in principio, dicendnm est, ad Primum quod verba legis intelligenda sunt iuxta communem modum loquendi, nisi ex ipsa lege colligatur clarè mens, & intentio legislatoris. Iam verò suprà diximus, ex ipsa Bulla clarè colligi mentem Papæ esse tollere ambitionem continuandi quæcunque officia prælaturæ in eodem conuentu; ac proinde parum interesse, si ad hoc vtatur nomine guardiani, vel præsidentis qui habet eandem omnino iurisdictionem. Ad Secundum dicendum est primò legem pœnalem, purè pœnalem

esse restringendam nisi aliud constet ex mente legislatoris oppositum volentis : hic autem constat clarè de mente legislatoris , vt proximè dixi in solutione præcedentis argumenti. Secundò respondetur , prædictam Bullam Pauli IV. non esse purè pœnalem , sed magis esse fauorabilem , quam pœnalem. Nam licet imponat pœnam oppositum facientibus , fauet tamen multum statui Religionis , ne ambitiosi continuent prælaturas , cum scandalo aliorum , qui exinde à prælaturis excluduntur , cum aliis inconuenientibus concernentibus. Quando verò lex est plus fauorabilis, quam sit pœnalis , potest extendi , maximè ad casus similes : & hæc lex valde fauorabilis statui Religionis , vt diximus , extenditur ad casum omnino similem , idest de guardiano ad præsidentem similem sibi in iurisdictione vtriusque fori.

CASVS XXII.

De quibusdam Missis dictis à quodam Religioso prohibito.

IN quadam prouincia certæ Religionis datur statutum prohibens nec in communi , neque in particulari aliquem Religiosum posse dicere Missam pro stipe , vel eleemosyna pecuniaria , sed omnes Missæ dicantur pro tota Ecclesia in communi, seu pro intentione quam Christus D. habuit in Cruce. Quo non obstante , quidam Religiosus illius prouinciæ acceptauit ab amico centum Missas , quas dixit pro illius intentione absque licentia prælati id expresè prohibentis fieri sine licentia.

Quæritur

Quæritur primò an prædictus Religiosus peccauerit violando prædictum statutum? Secundò, an peccauerit mortaliter, vel venialiter? Tertiò, an (quidquid sit de peccato) prædictæ Missæ valide fuerint dictæ pro intentione illius amici iuxta intentionem Religiosi pro illo applicatam?

Responsio.

Ante responsionem primi, & secundi dubij præmitto, ex duobus capitibus posse quæri, an iste Religiosus peccauerit: primò ratione obedientiæ generalis, quam violauit contrariando statuto prouinciæ. Secundò, an peccauerit ratione voti paupertatis appropriando sibi eleemosynam tot Missarum, quæ vt minimum debuit accedere ad decem ducatos: & tantam pecuniam acceptare, & expendere absque licentia prælati, est contra votum paupertatis & actus proprietarij maxime in Ordine Minorum. Secundò noto considerandam esse formam dicti statuti, an contineat præceptum obligans sub mortali, vt si præcipiat per obedientiam, vel sub censura, vel per aliqua verba æquiualentia, ex quibus colligitur statutum continere vim præcepti obligantis ad mortale, poterit enim dare aliquod statutum in aliqua Religione, quod neque obliget ad peccatum veniale, sicut de facto datur regula alicuius Religionis, quæ neque suos Religiosos obligat ad veniale. Quæ talis regula dicitur habere solam vim directiuam, non verò coactiuam sub peccato: idest seruit vt dirigat Religiosos in illa sua vita regulari, sed non cogit sub peccato.

1 Hinc patet responsio ad primum, & dico. Quod, si prædictum statutum continet obedientiam, vel censuram,

ſuram, vel verba æquiualentia, ex quibus colligitur intentionem legiſlatoris fuiſſe obligare ad mortale; talis Religioſus peccauit mortaliter, & in hoc nulla eſt dubitatio, neque indiget aliqua probatione. Si verò ſtatutum nulla talia verba contineat, ſed ex praxi prouinciæ intelligatur quod prædictum ſtatutum non obligat ſub peccato, ſed ſolum habeat vim directiuam, tunc neque peccauit mortaliter talis Religioſus, iuxta proximè dicta; quod intelligo non pecaſſe ratione formæ ipſius ſtatuti. Nam aliàs merito credendum eſt peccatum ibi interueniſſe mortale ratione grauitatis materiæ præceptæ, vt enim Theologi docent, ex grauitate materiæ præceptæ colligitur obligatio mortalis peccati; & materia huius ſtatuti eſt grauiſſima. Et hinc patet reſponſio ad ſecundum.

2 Secundò dico, quod prædictus Religioſus ſaltem peccauit mortaliter ratione voti paupertatis, ſi abſque licentia prælati totam illam pitantiam tot Miſſarum accepit, & expendit: cum enim, vt iam dixi, deberet accedere ad ſummam decem ducatorum, non videtur permitti in aliqua Religione vt tanta pecunia recipiatur, & expendatur à ſubdito inſcio prælato, maximè ſi fuit in Ordine Minorum. Sed quid? ſi prædictus Religioſus nullam pecuniam recepit pro illis Miſſis dicendis, ſed ſolum voluit ſatisfacere obligationi, quam habebat amicus de illis dicendis, nihil interim recipiens ab amico? Reſpondeo, mihi valde probabile eſſe, quod etiam tunc peccauit mortaliter contra paupertatem. Probo, quia ſic dicens centum Miſſas pro amico vt illum liberaret ab onere dicendarum Miſſarum, tali amico vel donauit, vel remiſit decē ducatos, vt patet. At Religioſus non poteſt tantā ſummam pecuniæ donare ſæculari abſq; licentia prælati.

prælati. Quod magis declaratur,& probatur: nam remittere alicui aliquod debitum,reputatur pro quadam donatione,vt docet Nauar. *in commentario de spoliis cleric.* §.15.*num.* 4. pro quo citat capitulum *veniens*, de testibus, & legem si *mulier*, de condict. cauf. dat. in quibus dicitur,quod remittere est donare. At iste Religiosus remisit amico decem ducatos, qui aliàs sibi debebantur pro eleemosyna prædictarum Missarum: ergo illi donauit decem ducatos,quos non poterat donare sine licentia prælati: imò in Religione Minorum nec prælatus localis potest talem licentiam concedere.

3 Dico tertiò,quod non obstante tali statuto de non dicendis Missis pro pitantia pecuniaria, tales Missæ validè dictæ fuerunt pro intentione mandantis illas celebrari, si pro illo Religiosus intentionem applicauit. Et proinde talis amicus illas Missas commendans non tenetur procurare, vt aliæ Missæ dicantur. Hæc conclusio, seu doctrina asseritur à Sanchez *lib.5. Decalogi cap.1. num.6.* & Suarez *in tomo de Eucharistia disp.79.sect.9.§. alij nihilominus*, cum aliis Doctoribus ab his duobus citatis: qui dicunt, quod licet prælatus præcipiat subdito vt celebret Missam pro intentione certæ personæ, si subditus celebrauerit pro alia persona, quidquid sit de peccato subditi, Missa manebit dicta pro illa persona, quam subditus intendit, non verò pro illa quam prælatus præcepit. Et in hoc casu tenetur subditus procurare vt Missa intenta & præcepta à prælato,quam subditus omisit,iterum dicatur, si prælatus habebat obligationem,vt talis Missa celebraretur, quia per culpam subditi tali obligationi nondum est satisfactum. Fundamentum Suarez est, quia intentio consecrandi, & offerendi sacrificium,

&

& intentio illud offerendi pro hoc, vel illo, est propria & personalis ipsius sacerdotis acceptata à Christo D. in sua ordinatione, & proinde talis intentio applicandi sacrificium non dependet à prælato. Vnde si prælatus diceret subdito: Missam quam hodie dixeris, ego applico pro tali defuncto; prælatus nihil faceret, quia prælatus non est dominus illius intentionis, seu applicationis, sed solus sacrificans, & proinde non obstante tali applicatione prælati, Missa maneret dicta pro illo, pro quo subditus celebrans applicauit. Et probat Suares claro exemplo in materia aliorum sacramentorum. Nam si prælatus præcipia subdito, vt baptizet hunc, non illum: vel vt absoluat hunc, & non illum, & subditus nihilominus oppositum faciat, valebit factum subditi, non mandatum prælati, quia prælatus non est dominus intentionis subditi in illa materia. Eodem modo dicendum est in ista applicatione Missæ, cum sit in vtroquo eadem omnino ratio.

CASVS XXIII.

Quid significet in symbolo Apostolorum ille articulus: Sanctorum communionem.

APostolus Petrus in sua prima Epistola *cap.3.* dicit quod simus *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem reddere de ea quæ in vobis est spe.* In quo innuit congruum esse, vt quilibet Christianus possit reddere rationem de illis quæ sperat, & credit: & quamuis non teneatur vnusquisque Christianus reddere rationem

rationem de omnibus quæ credit, & ſperat, ſaltem congruum eſt vt de præcipuis articulis fidei aliquam rationem reddat, vel ſaltem ad conſolationem, & vtilitatem ſuam valde proficit, vt ſciat rationem reddere præcipuorum articulorum fidei quos fere quotidie ore confitetur. Igitur in ſymbolo Apoſtolorum continente duodecim præcipuos articulos noſtræ fidei, Simon Apoſtolus in conuentu Apoſtolorum, teſte D. Auguſt. *ſerm.2. Dominica in ramis palmarum*, protulit decimum articulum noſtræ fidei in eodem ſymbolo, qui dicit: *Sanctorum communionem.* Et quia aliquæ vtilitates, & conſolationes accreſcere poſſunt fidelibus ex notitia, & explicatione prædicti articuli, illum hîc breuiter explicabo, declarando quid ſit *Sanctorum communio*, & quid ſuffragium Eccleſiæ, in quo prædicta communio ferè fundatur.

1 Primò ergo præmitto in quouis opere bono facto in gratia à quouis fideli dari duplicem portionem illi actui reſpondentem ex parte Dei, maximè ſi ſit actus virtuoſus difficilis. Prima portio eſt certus gradus gratiæ reſpondens illi actui in ratione meriti: qui gradus gratiæ datur, quaſi ex debito iuſtitiæ, ſuppoſita diuina miſericordia dante gratis primam gratiam: iuxta id quod ait Paulus 2. *ad Timoth.* 4. loquens de modo quo meremur gloriam: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, &c.* Et iſtum gradum gratiæ reſpondentem actui meritorio non poteſt illum actum operans donare alicui: quia nemo poteſt mereri gratiam alterī de iuſtitia. Solus enim Chriſtus Dominus, qui habuit gratiam capitalem, verus Deus & homo, potuit aliis gratiam, & gloriam mereri, vt Doctores dicunt in materia Incarnationis tractantes de merito Chriſti D. Secunda portio reſpondens actui meritorio difficili,

eſt-

est quædam portio satisfactionis pro parte pœnæ debitæ pro peccato soluendæ in purgatorio, si qua debebatur purganda. Et hanc portionem satisfactionis potest quis applicare alteri, si ille sit in gratia cui applicatur. Eo modo quo quis de sua pecunia potest alteri donare, quod sibi placuerit, si donatarius sit capax recipiendi. Tertiò in eodem actu meritorio cuiusque reperitur quædam congruitas ob quam Deus respiciens ad virum sanctum, ex quadam congruitate propter illum aliqua concedit illis, qui cum illo viuunt, tanquam socij, & amici, sicut olim in testamento veteri aliqui homines positi in necessitate petebant à Deo auxilium propter Abraham, Iacob, Isaac, &c. Congruum enim, & vsitatum est vt propter vnum virum bonum, & insignem beneficia conferantur aliis cum illo conuiuentibus in eadem Societate.

2 Quo posito, Dico cum Henriquez *tom.2. lib.13. de excom. cap.4.§.1.* & cum multis, quos citat, triplicem esse communicationem Sanctorum seu fidelium Catholicorum existentium in gratia. Prima est interna: secunda externa politica, qualis est etiam apud Gentiles in conuersando ciuiliter, quæ solet explicari per allocutionem, salutationem, conuersationem, contractus, & simul manducationem, & cætera temporalia, seu sæcularia. De qua secunda communione, seu communicatione parum hoc loco curabimus. Tertia communio Catholicorum est etiam externa, sed Ecclesiastica, & quasi spiritualis, quæ consistit in sacramentis, suffragiis, & beneficiis. Et de prima interna specialiter loquitur articulus citatus symboli Apostolorum, de qua principaliter hoc loco sequentia dico ex Henriq. citato loco.

3 Prima communio Sanctorum, seu Catholicorum

consistit

consistit, & fouetur, internis charitatis, & virtutum officiis: vt dum vnus fidelis iustus pro alio iusto liberè, & speciali intentione applicat sua opera: quæ applicatio etiam reperiri potest inter catechumenos, qui sunt in gratia, quia viua Christi membra sibi mutuò communicant officia, eo modo quo membra eiusdem corporis humani quamdiu sunt viua, naturaliter participant fructum ex cibo in eundem communem stomachum iniecto. Et hæc est prima, & principalis communio Sanctorum interna, quoad iustos scilicet adinuicem, si sunt in gratia. Si verò fideles sunt in peccato mortali, habent imperfectum quendam, & vitalem fidei, & spei motum, non à vita gratiæ, sed à vita Christi, cui per fidem sunt aliquo modo coniuncti, cuius membrum est, non vt participet satisfactionem fructuum sicut iusti, sed ex aliorum impetratione, & merito congrui iuuantur ad conuersionem pœnitentiæ, & defenduntur ab incursibus dæmonum, & à malis temporalibus. Itaque inter iustos Catholicos datur illa prima communio, vel communicatio, vt inter se possint sua opera satisfactoria infallibiliter communicare. Inter peccatorem verò, & iustum non reperitur ista infallibilis communicatio: sed, vt ita dicam, communicatio quædam de congruo: quia iustus non potest in iusto suam satisfactionem applicare, cùm non sit membrum viuum Christi: de congruo tamen potest illi impetrare contritionem, & conuersionem, & cætera bona temporalia. Et his auxiliis priuatur excommunicatus, quia per sententiam Ecclesiæ positus est extra communionem Sanctorum: id enim significat excommunicatus, id est extra communionem Sanctorum positus. Quod autem quilibet iustus possit communicare infallibiliter

Q alteri

alteri iusto viuenti, seu mortuo portionem illam satisfactionis sibi debitam ex actu meritorio, constat clarè ex indulgentiis quas aliquando Summ. Pontifices concedunt viuis, vt possint eas applicare defunctis per modum suffragij. Nam iuxta omnes Theologos, cùm Papa non habeat directè iurisdictionem in animas purgatorij per modum iurisdictionis, concedit tunc fidelibus iustis vt illam satisfactionem pœnarum per indulgentiam concessam, possint illi applicare animabus purgatorij, quæ sunt in gratia per modum charitatis.

4 De secunda & tertia communione Sanctorum nihil hoc loco dicere intendo, tum quia claræ sunt, & paucæ circa illas incidant difficultates: tum quia in materia excommunicationis explicantur à Doctoribus singillatim dum tractant de effectu excommunicationis, siue de bonis externis quibus illa priuat.

5 Et quia prima interna communio, de qua diximus, est difficilior, vt illa magis innotescat, dico imprimis cum communi Doctorum, quod de illa locutus est Dauid *Psal.* 118. illis verbis dicens: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*: vbi non possum non afferre commentarium, quem piè, ac doctè ad huius dubij claritatem, & nostram consolationem ponit Lorinus ad citata verba prædicti Psalmi. Primò igitur ait Lorinus in prædictis verbis Psalmi contineri articulum fidei, de quo agimus: *Sanctorum communionem*. Deinde extendit declarationem illius, vltra quam alij Doctores explicant. Et ait illam extendi vt hæc communio spiritualis, & interna sit etiam inter nos, & animas gloriosas, quæ sunt in cælo, quam vocat Ecclesiam triumphantem: & inter animas purgatorij, quam vocat

cat Ecclesiam patientem. Et inter nos qui sumus in Ecclesia militante. Addit ibidem Lorinus quod etiam inter peccatores, & iustos huius sæculi datur hæc communio Sanctorum, quatenus precibus communibus Ecclesiæ, participant, sed etiam de precibns fusis ab aliquibus singularibus verum esse, multæ historiæ testantur; in quibus constat Deum aliquando conuertisse peccatores ob preces alicuius magni iusti orantis pro peccatore. Noto verò in particulari circa hanc doctrinam Lorini dicentis inter Ecclesiam militantem, & Ecclesiam purgatorij, quam vocat patientem, dari hanc communionem Sanctorum, quatenus illæ pro nobis possunt orare, dictum Authorem sentire, quod nos possimus orationem fundere ad animas purgatorij vt ipsæ intercedant pro nobis, quod aliqui Doctores negarunt. Contra quos facit hoc dictum Lorini: nam si animæ purgatorij possunt orare pro nobis intercedendo, non erit illicitum ab illis petere, id quod illæ possunt, & solent facere. Sic sentit Henriq. *tom.* 1. *lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 8. *num.* 4. vbi id probat primò, quia ante Christi aduentum fideles legis veteris fundebant orationes ad animas Patrum in limbo existentium. Et præterea probat exemplo, nam teste Beato Gregorio *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 40. Beatus Paschasius, dum existeret in purgatorio, exaudiuit preces ad se fusas, & fecit miraculum. Et citat ibi Henriquez *in glossa littera X*, alios Doctores, & aliud miraculum. Et ibidem *in glossa littera* A, *ad finem capitis citati*, dicit, piè esse interpretandos Doctores dicentes animas purgatorij non esse orandas.

6 Quia verò suprà diximus, hanc communionem Sanctorum magna ex parte niti, & fundari in suffragiis, quibus fiscales se inuicem iuuant, vt ille fuerit in

summa tantum dicere illa, quæ ad suffragiorum notitiam spectare possunt. Fusè enim de illis agere esset infinitum, & pertinet ad alium locum. Dicitur ergo suffragium à suffragando, seu iuuando, quatenus per aliquod opus fideles se adinuicem iuuant, vel sibi adinuicem succurrunt. Summaria verò corollaria elicita ex multis, quæ de suffragiis tractant Doctores, sunt sequentia apud Bonacinam *disp.6.de indulgentiis q.2.puncto*.1.2.*&* 3.

7 Primum est. Si quis opus suum satisfactorium applicet alteri viuenti, vel defuncto, non prodest facienti quoad satisfactionem: nam opus bonum non habet satisfactionem infinitam, sed limitatam; ac proinde si illam portionem satisfactionis alteri applicet, illi proderit cui applicans, non verò ipsi applicanti. Iste verò sic applicans alteri satisfactionem suam, lucratur illum gradum gratiæ respondentem illi actui meritorio de condigno, quia talis actus est actus charitatis, & proinde meritorius. Et gradum gratiæ sibi respondentem ex merito, nemo potest alteri communicare, vt suprà dixi. An verò ista oblatio, seu applicatio satisfactionis habeat effectum infallibilem si vterque sit in gratia? Bonacina *cit. loco punct.*1.*num.*3. negat: quia, inquit, non satis nobis constat Deum infallibiliter acceptare satisfactiones pro aliis. Sed mihi probabilius videtur dictum Suarez *tom. de Pœnit. disp.*48.*sect.*5. *num.*7. dicentis: Infallibiliter, & de iustitia prodesse satisfactionem vnius iusti applicatam alteri iusto viuo, vel mortuo. Vide ibi probationes: & adde quod aliàs liceret nobis dubitare de vsu, & praxi Ecclesiæ magna securitate credentis has applicationes satisfactionum inter iustos esse proficuas, & vtiles.

8 Vt

8 Vt ista satisfactio oblata pro alio prosit, requiritur primò vt offerens habeat intentionem offerendi pro eo, cui applicat: si enim non dirigat intentionem illam, retinet sibi suffragium, cum sit opus illius. Secundò requiritur vt opus fiat ab homine viatore, in hac vita existente. Nam in alia vita sicut non possumus mereri, ita nec possumus satisfacere. Tertiò requiritur vt persona applicans sit in gratia, si illum actum facit vel applicat in propria persona. Nam si sit in peccato mortali, nihil potest alteri applicare, cùm sit inimicus Dei, & Deus peccatores non exaudiat. Dixi, *si applicet, & operetur in propria persona*: nam si operetur, & applicet in nomine personæ alienæ, v. g. in nomine Ecclesiæ, valebit applicatio etiamsi applicans sit in peccato mortali. Ratio est, quia malitia ministri non nocet operi boni actoris. Hinc fit vt Missa applicata à sacerdote existente in peccato m. prosit defuncto purgatorij, cui applicatur. Tunc autem aliquis censetur orare nomine Ecclesiæ, quando preces, & orationes ab Ecclesia institutas recitat vt minister deputatus ad hoc ex præcepto, vel ex ordinatione. Si verò eas recitat non vt minister ab Ecclesia deputatus, non dicitur orare nomine Ecclesiæ Et ad exemplum de Missæ valore applicato animæ purgatorij per sacerdotem malum, addi potest exemplum Domini, qui est in gratia, & iubet eleemosynam dari pauperi per seruum existentem in peccato mortali; tunc enim fructu eleemosynæ, seu suffragij non fraudatur.

9 Ex parte verò ipsius, cui suffragium applicatur, aliqua etiam requiruntur. Primum est, vt ipse suffragio indigeat. Si enim non indigeat, vt anima iam beata, non illi proderit. Secundò requiritur vt ille cui applicatur suffragium, sit in gratia, nam si sit in mortali

peccato, non illi prodest cum non sit membrum viuum Christi; sola autem membra viua se adinuicem communicant. Aduertit tamen Bonacina *cit. loco puncto. 3. num. 6.* cum Suarez, Medina, & aliis, quod quando quis applicat suffragium alicui non indigenti, vel incapaci illius eo quod sit in peccato mortali, tunc talem satisfactionem redire ad vtilitatem ipsius applicantis iuxta Psalmum 34. *Oratio mea in sinum meum conuertetur.* Ex dictis etiam constat suffragia non prodesse Beatis, quoad satisfactionem: posse tamen illis prodesse quoad gaudium accidentale, vt tenet Bonac. *cit. punct. 3. num. 8.* damnatis verò, & infantibus in limbo nullo modo prodesse possunt.

10 Adhuc in gratiam Religiosorum, dicam vnum verbum circa quandam communionem, vel communicationem bonorum sui Ordinis quas ipsi concedunt deuotis, & benefactoribus sui Ordinis. His enim dant patentes litteras sigillo munitas (vulgo *cartas de irmandade*) in quibus prælati dicunt se tales benefactores admittere ad communionem, & participationem omnium bonorum operum, quæ fiunt in sua prouincia, vel religione. Dubium enim est an tales prælati per illa verba applicent dictis benefactoribus satisfactiones suorum subditorum: an verò illis aliquid certum, & vtile applicent? Hoc dubium præ omnibus exactiùs tractat Suarez *tom. de pænit. disp. 55. sect. 5. à num. 10.* ex iis autem quæ ibi fusiùs dicit, sequentia accipe. Primum est: non rectè, neque validè facere prælatos Religiosorum si insciis subditis eorum opera aliis applicant quoad satisfactiones: quia moraliter loquendo subditi, qui ignorant prælati intentionem, aliam diuersam habebunt, & illa erit quoad factum efficax: nam prælatus non habet potestatem directam

in

in talem ſatisfactionem ſubditi, vt poſſit illam applicare inſcio, & inuito ſubdito. Quamuis enim poſſit prælatus præcipere ſubdito vt faciat certum opus ſatisfactorium pro certa perſona; ſi ſubditus non vult pro illo ſatisfacere, quamuis malè faciat, tamen reuera pro illo non ſatisfacit, quia valor moralis ad ſatisfaciendum pro aliquo pendet intrinſecè ex intentione ipſius operantis, eo nempe modo, quo in caſu præcedente diximus applicationem intentionis Miſſæ non pendere ab applicatione prælati, ſed ab intentione & applicatione ipſius operantis, ſeu ſacerdotis celebrantis. Secundum quod dicit Suarez eſt, illam admiſſionem benefactorum ad participationem bonorum operum Ordinis, illis prodeſſe per modum cuiuſdam meriti de congruo; quia hoc ipſo quod aliquis eſt peculiari modo membrum, & ſocius huius Religionis, merita eiuſdem Religionis valent apud Deum vt ratione illorum peculiari auxilio aliqua bona conferat perſonis illi coniunctis, etiam ſi ad hunc finem talia merita non referantur. Et præſertim habebunt hanc efficaciam ſi talis perſona aliquid à Deo petat propter merita talis Religionis. Et *eadem ſect. 5. num. 6.* addit Suarez, non ſatis eſſe quod prælatus vnius conuentus ſua intentione, & voluntate applicet pro benefactoribus, vel pro certo benefactore tantam ſatisfactionem, vel tale opus ſatisfactorium, quod ab aliquo ſubdito efficitur: ſed neceſſe eſſe vt etiam ſubditus ſuâ voluntate illud offerat. Poteſt tamen prælatus licitè tale opus ſubdito præcipere, cum ſit opus bonũ, & illud poſſit ſubditus ſine graui nocumento efficere. Quamuis ſi ſubditus opus non applicet pro intentione, non manebit applicatum ob ſupra dicta, quidquid ſit de peccato inobedientiæ ipſius ſubditi.

CASVS XXIV.

De quadam restitutione rei inuentæ in manu latronis.

QVidam latro fugiens ministros iustitiæ, confugit ad quandam Ecclesiam, quam fuit ingressus: quando ad illam fugiebat per viam, insequabantur aliqui homines clamantes illum esse latronem, & quod è certa domo furatus esset sacculum cum pecunia, & res alias, quarum aliquæ ceciderunt in platea per quam fugiebat. Ingressus Ecclesiam, secreto dedit sacculum pecuniæ cuidam clerico, vt illum secretè seruaret. Et statim iudex sæcularis superueniens facta cum Vicario Episcopi inquisitione de casu, illum ab Ecclesia eduxerunt, quia constitit illum non gaudere immunitate Ecclesiæ, & proinde deductus est ad publicum carcerem sæcularem: & iudex sæcularis cœpit facere inquisitionem particularem de furto. Vir ille, à quo latro furatus est sacculum pecuniæ, licet noluerit illum accusare, & res aliquas ablatas recuperauerit, tamen de sacculo pecuniæ conqueritur, & nescit in cuius manu sit: latro detentus adhuc in carcere, & iam veniâ donatus à domino proximè dicto modo, id est, quia noluit accusare, petit inquam latro à clerico sacculum pecuniæ, quem sibi secretò tradidit, dicens sacculum esse suum. Pars autem opposita clamat sacculum sibi furto ablatum esse, sed non habet testes, nec probationes.

Quæsiuit clericus, cui tradere deberet prædictum sacculum pecuniæ, latronine, an prædicto viro de sacculo

ſacculo ſibi ſublato conquerenti? Et quod reſtitui debeat ipſi latroni, videtur poſſe probari ex cap. *In literis tuis*, de reſtitutione ſpoliatorum, in fine, vbi Papa ponit hæc verba: *Quia prædo etiam eſt ſecundum rigorem iuris reſtituendus.* Quæ verba nimis fauere videntur ad probandum quod prædictus ſacculus reſtituendus ſit latroni. Secundò, quia ſi clericus ſacculum reſtituat domino conquerenti de furto, poterit ſe obiicere periculo irregularitatis, videlicet, ſi pecunia multa ſit, & ſufficiens ad mortem, vel mutilationem membri inferendam latroni, accuſante poſtea domino ſæculari. Tertiò facit pro hac parte id quod tradit Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.* 2. & Valerus Cartuxanus *lib. de differentiis vtriuſque fori*, vbi dicunt, quod ſi reus depoſuit apud aliquem rem aliquam, timens ne ſibi ob delictum bona confiſcentur, quod delictum iam patrauit, & tamen poſtea idem reus, vel illius conſanguineus, ante latam ſententiam, exiſtente adhuc reo in carcere petat rem ab illo depoſitario, tenetur depoſitarius non tradere, quamuis probabiliter timeat bona omnia prædicti rei fore proximè poſt per ſententiam confiſcanda. quod ibi probant argumento ſufficienti. Qui caſus eſt ſimilis iſti: nam ille latro tradidit pecuniam iſti clerico tanquam depoſitario, & in ſecreto, neque adhuc lata eſt ſententia iudicis ſuper hac pecunia, neque clerico de certo conſtat illam eſſe illius de furto conquerentis: ergo videtur quod prædicto latroni ſit ſacculus dandus. Et declaro, quod duo illi autores, qui dicunt poſſe depoſitarium reddere reo cuius bona ſuſpecta ſunt de confiſcatione, id intelligunt licere in foro conſcientiæ, nam in foro externo dicunt poſſe poſtea fiſcum à depoſitario exigere valorem rei quam tradidit reo de confiſcatione ſuſpecto.

1 Hoc non obstante respondi prædictum clericum non debuisse, imò nec potuisse prædictum sacculum pecuniæ restituere latroni, adhuc in carcere detento. Probo, quia tres præsumptiones vehementes insurgunt contra istum latronem ad probandum, quod sacculus pecuniæ non sit suus. Prima est, quod dum fugiebat per plateas, cadebant ab illo res aliquæ, quas constitit esse furtiuas. At delinquens in vno, præsumitur deliquisse in alio simili delicto annexo illi priori delicto. Et ista præsumptio magis confirmatur ex eo quod dominus sacculi insequebatur latronem fugientem clamans quod suum sacculum sibi rapuerit. Facit ad hoc quod tradit Mascard.*tom.2.de probat.concl.*830. *n.*13. cum multis ibi citatis, qui dicunt esse magnam coniecturam ad probandum furtum, quando dominus rei subtractæ videns rem suam abesse statim conqueritur cum sociis, & ponit ibi Mascardus exemplum ad hoc satis accommodatum. Secunda coniectura siue præsumptio est quod latro intrans Ecclesiam dederit secreto sacculum pecuniæ ad custodiendum clerico. In hoc enim clarè ostendit suam non esse, & timuisse ne cum furto deprehenderetur. Tertia præsumptio est, quia latro, qui de ordinario est pauper, & ideo furatur vt necessitati suæ succurrat, non portat sacculum pecuniæ propriæ. Adhuc esse potest quarta coniectura contra latronem, fuga ipsius per plateas ad Ecclesiam: nam fuga; vt plurimùm, est indicium patrati criminis contra fugientem, vt docet Mascardus *tom.2.de probat.concl.*818.*num.*1. citans textus, & Doctores vsque ad fastidium.

2 Ideo respondi prædictum clericum retinentem sacculum depositum, posse vocare ad se virum illum, qui de sacculo sublato conquestus est; & ab illo priùs interrogare

interrogare, quanta fuerit pecunia in sacculo contenta, cuius monetæ, qualis pannus sacculi, & sic de cæteris circunstantiis: & constito quod responsum viri conquesti consonat rei veritati, poterit illi sacculum tradere, cum protestatione tamen, imò & cum cautione data, quod si aliquando oppositum constiterit, reddet sacculum pecuniæ vero domino illius.

3 Ad primum argumentum oppositum, dicendum est, quod in capitulo citato cum Papa dicit latronem restitendum esse, loqui de iure ciuili, & in foro externo, quando latro vult probare in iudicio rem esse suam. Nos verò hîc loquimur de foro conscientiæ, & de latrone, de quo sunt quatuor vehementes præsumptiones quod sacculus iste non sit suus. Res autem non est restituenda illi, de quo dubitatur an sit dominus verus illius. Ad secundum dicendum, non dari periculum irregularitatis in clerico, si sacculum restituat domino conquerenti de furto cum illa cautela, & moderamine assignatis *num.*2. quamuis enim inde sequeretur accusatio, mors, vel mutilatio latronis, clericus restituens rem domino suo, nullo modo ad illa duo concurrit.

Ad tertium dico, dico exemplum adductum à citatis ibi Doctoribus, diuersum nimis esse ab isto nostro casu. Nam ille homo, qui delatus est de crimine, ob quod timetur quod bona illius sunt confiscanda, habet verum dominium suarum rerum ante latam sententiam condemnatoriam criminis, vt citati Doctores dicunt, & alij Doctores affirmant. Et ideo licitum est illi reo in foro conscientiæ suum pignus reddere, cum adhuc ante sententiam dominium illius retineat. At in nostro casu latro, de quo agimus, non constat quod habeat dominiũ istius sacculi, imò sunt quatuor

vehementes

vehementes præsumptiones quod sacculus non sit suus; & proinde illi non est restituendus cum tali dubio: quia vltra scrupulum conscientiæ, obiiceret se clericus periculo restituendi valorem sacculi vero dominò comparenti.

CASVS XXV.

An Minorita possit facere eleemosynam absque licentia expressa prælati.

QVidam Religiosus Ordinis Minorum ieiunat bis vel ter in hebdomada in pane,& aqua. Quæsiuit an suam pitantiam carnis, vel piscis, quæ sibi apponitur, possit dare cuidam pauperi in eleemosynam singulis diebus propter Deum, præsumens quod prælatus id sibi non impediet: & an possit hoc facere quoad vsque sibi non constiterit de expressa prohibitione prælati?

Secundò, an licitè prælatus possit illam charitatem & eleemosynam impedire, eo quod velit, vt illa pitantia carnis & piscis detur potius familiaribus, & seruitoribus Conuentus?

Tertiò an peccabit Religiosus, qui de hoc prælatum certiorem fecerit,incitans illum ad ad prædictam eleemosynam impediendam?

Responsio.

1 Ad primum dico multos,& graues Doctores asserere, posse Religiosum subditum dare eleemosynam cum sola licentia tacita sui prælati. Hos Doctores citat

citat Sanchez *lib.7.Decalogi cap.19.n.3.* Sed vt prædicta licentia tacita sufficiat, requirunt prædicti Doctores sequentes conditiones. Prima, quod iste donans eleemosynam, (idem dic de Religioso donante aliquid non intuitu eleemosynæ) habeat certitudinem moralem, quod si prælatus id sciret, illi daret licentiam liberè, & voluntariè. Dixi, *Voluntariè*, quia si scit, prælatum quidem daturum licentiam, sed non voluntariè, sed inuitum illam daturum, & cum tædio; tunc talis licentia præsumpta in rigore non est licentia, sed est consensus inuitus, qui in rigore non est licentia voluntaria. Secunda conditio, siue limitatio ponitur à Sanchez citato loco, citans, & sequens Rodriguez *tom.2. sum.c.3. num.7.* & Ludouicum Lopez, dicentes hoc non intelligi in Religionibus strictioribus, in quibus datur præceptum obedientiæ, ne aliquis subditus aliquid recipiat, vel donet sine expressa licentia prælati. Nam in talibus Religionibus non poterit subditus aliquid donare sine expressa licentia prælati. Addit Sanchez *cit.loco num.7.* citans, & sequens Lessium, quod ista licentia sufficiet quando prælatus absens non potest adiri. Si enim facile sit adire prælatum, non sufficiet ista licentia tacita. In quo citati Doctores innuunt, quod saltem in materia notabili, & quæ durare debet per multum tempus, & prælato existente præsente, sicut contingit in hoc casu, est necessaria expressa licentia prælati. Et præter hoc solum ratione prudentiæ humanæ debuit hic Religiosus petere expressam licentiam à prælato: nam cùm ista eleemosyna danda sit ter in hebdomada, impossibile est, moraliter loquendo, quin prælatus id sciat, & fortè alij Religiosi scandalizentur, ob factum notabile sine licentia prælati. Denique huic Religioso, qui vult sic

rigorosè

rigorosè ieiunare, sed dare superflua suæ pœnitentiæ pauperibus, adducendum est in memoriam illud Isai. cap. 58. *Ieiunauimus, & non aspexisti: ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Sic iste, de quo loquimur, in die ieiunij sui facit voluntatem suam, dans eleemosynam sine licentia prælati, propter quæ, cum materia sit grauis, & durans per longum tempus, consulo vt petat à prælato licentiam, siquidem ille præsens est.

2 Ad secundum quæsitum dico, quod prælatus sciens de tali eleemosyna, & illam impediens, nec peccabit venialiter: vtitur enim iure suo, & est dominus voluntatis subditi in actibus externis ratione voti obedientiæ. Nemo autem vtens iure suo peccat. Si verò aliquis dicat, quod illa pitantia carnis, & piscis quam dat pauperibus, non est furto ablata, cùm ipse posset illam comedere, sed ab illa abstinet. Respondeo, quod saltem post prohibitionem prælati, talis eleemosyna sic donata est res furto ablata. Nam subditus maximè Franciscanus, non habet dominium in illis, quæ sibi supersunt ex cibo, & vestitu. In his enim non habet dominium, sed solum nudum vsum, vt docet Lessius *lib. 2. cap. 4. n. 38 §. Quintò non potest*, citans ad hoc Nicolaum in expositione regulæ nostræ. Idem tenet Ludouicus de Beia *in suis respons. moralibus 4. p. casu 16. §. Respondemus falsum esse.* Et præter rationes ab his Doctoribus adductas probatur id ex praxi omnium ferè Religionum, maximè Franciscanæ: nam in illis postquam Religiosi refectionem sumunt in refectorio, officialis Conuentus, vel seruitores colligunt illa fragmenta totius cibi, quæ superauerunt, & reponuntur in communitatem; quod clarum signum est quod Religiosi non habent dominium illorum residuorum.

ſiduorum. Idem ſeruatur in veſtibus Religioſorum, quas officialis Conuentus petit, & colligit à Religioſo (maximè in noſtro Ordine) quando Conuentus dat Religioſo veſtes nouas: quod clarum indicium eſt, in his reſiduis non habere Religioſum dominium, & proinde illa non poſſe donare abſque licentia expreſſa prælati, vel abſque licentia tacita illius, cum conditionibus ſuprà explicatis.

3 Ad tertium dico, nullum peccatũ commiſſurũ ſubditum, qui prælatum admonuerit de tali eleemoſyna, vel illi ſuaſerit vt illam impediat. Nam ipſi Religioſo non facit iniuriam, cùm res ſit publica, vt ſuppono, & ſit actus contra votum paupertatis, vt conſtat. Neque item facit iniuriam pauperibus, quia illi nullum ius habent, vt de talibus ſuperfluis Religioſus ſibi faciat eleemoſynam.

4 Occaſione prædictorum, volui hîc apponere caſum conſolatorium ferè pendentem à præcedente, qui eſt talis. Furatus eſt Religioſus à communitate, verbi gratia, decem ducatos. Quæritur an hos poſſit reſtituere eidem communitati non ſumendo cibos, qui ſibi apponuntur ex conſuetudine: non acceptando habitum, vel tunicam datam à Conuentu, & ſic de aliis donec per res illas repudiatas ſatisfaciat id quod abſtulit à communitate? Et videtur omnino quod non poſſit ſic reſtituere. Nam ego non poſſum reſtituere dando quod non eſt meum, vt patet, ſed illa reſidua quæ Religioſus renunciat, vt veſtes, cibus, *&c.* non ſunt Religioſi, neque in illis habet dominium, vt proximè diximus; ergo non poteſt Religioſus ſatisfacere, ſeu reſtituere Religioni dando Religioni, id quod eſt Religionis. Et apud me hoc argumentum videtur inſolubile. Nihilominus Nauarrus *conſil. 75. de regular.*

regular. & conf.3. de stat. Monachorum, & Rodriguez *addit. ad sum. tom.2. cap.*118.*concl.*30. & Sanchez *lib.3. Decalogi cap.*19.*num.*112. cum aliis ibi citatis, dicunt prædictum Religiosum sic posse restituere Religioni quod ab illa furatus est, non accipiendo vestes suo tempore datas à communitate, vel cibos. Ratio horum Doctorum est, quia licet Religiosus teneatur reddere comunitati omnia, quæ ex vestibus, cibis, & aliis ei datis superfuerint; id intelligi debet quoad effectum non distribuendi ea in alios vsus, vel non dandi aliis: non tamen quoad effectum vt ea detrahere sibi nequeat in vtilitatem monasterij, pro suæ conscientiæ exoneratione. Sic Sanchez *citato num.*112. imo ibi addit ex Molina *tom.*1. *de iust. disp.*140.*col.*11. *vers. potius distinguerem*, vbi Molina dicit Monachum furantem ab extraneo teneri restituere ex eo quod habet ex licentia prælati suæ liberę dispositioni relictum, sunt autem prædicti Doctores grauissimi, & valde pij, vt secure illorum dictis quis stare possit.

CASVS XXVI.

De subrogatione cuiusdam officij.

DOminus Papa Gregorius XV. pro ordine Minorum particulari Bullâ decreuit circa illius Regimen in officiis, & electionibus, in hunc modum: *Insuper fratres, qui officio ministri Prouincialis, Custodis, ac etiam Diffinitoris functi sunt, nullo modo possint reeligi nisi sexennio transacto.* Ab opposito in eodem Ordine extat statutum generale decernens: *Quod si vacauerit aliquis diffinitor per mortem, vel alia quauis alia de*

causa,

causa, eius loco subrogetur, & pro subrogato habeatur ipso facto, qui olim fuit diffinitor antiquior. Hoc posito, in eodem Ordine vacauit officium cuiusdam Diffinitoris per renunciationem, & Diffinitor antiquior qui illi per statutum subrogandus erat, non desierat esse Diffinitor per sex annos, sed per solos tres vel quatuor annos.

Quæritur an talis Diffinitor antiquus subrogari possit in illum locum Diffinitoris. An vero ab hac subrogatione excludendus sit eo quod ipse in officio Diffinitoris antiqui non vacauit per sex annos, sed per tres vel quatuor tantùm. Decretum verò illud Pontificium iubet vt eligendus in Diffinitorem vacet prius per sex annos.

Et pro parte negatiua, quod talis non possit subrogari ante sexennium vacationis, potest afferri capitulum *Ecclesia, vt lite pendente*, vbi dicitur quod subrogatus sapit naturam sui principalis cui subrogatur. Idem dicitur in l. *Si donata* §. 1. *ff. de donat. inter vir. & vxor.* & Abbas, & alij tradunt *ad citat cap. Ecclesia.* Sed Diffinitor iuxta decretum Papæ non potest reeligi nisi post sexennium vacationis: ergo Diffinitor illi subrogandus debet pari modo vacare per sexennium in suo antiquo officio Diffinitoris, quia subrogatus sapit naturam sui principalis, cui subrogatur. Secundò, quia *de æquipollentibus idem est iudicium.* l. fin. ff. *Mandat.* & vbi est eadem ratio, est etiam eadem iuris dispositio, cap. *Dudum O 2. de elect.* At esse subrogatum Diffinitori, & esse Diffinitorem, sunt idem omnino: ergo erit idem de vtroque iudicium, vt scilicet quemadmodum Diffinitor non potest reeligi nisi post sexennium, ita Diffinitor non possit subrogari nisi post sexennium transactum, in sua vacatione.

1 Hoc non obſtante, cenſeo prædictum patrem, de quo agitur, poſſe ſubrogari in Diffinitorem, etiamſi non tranſierint ſex anni, ex quo deſiit eſſe Diffinitor. Ante probationem præmitto,& ſuppono quod decretum illud D. Papæ Gregorij XV. eſt lex pœnalis, & odioſa. Ponitur enim ibi pœna excommunicationis prælatis oppoſitum permittentibus; & irritantur actus facti in oppoſitum,& apponitur pœna priuationis officiorum. Quo poſito probo concluſionem poſitam primò, quia verba legis ſunt accipienda ſignificatione propria, & vſitata, per multos textus vtriuſque iuris, quos ad hoc citat gloſſa in cap. *ex litteris*, *de ſponſal.* in verbo *Propoſuit.* Et ratio idem dictat: nam ſi velimus legem interpretari extra id quod verba ſignificant in ſignificatione propria, & communi, aſſignabimus legi multos ſenſus alienos à mente ipſius, quod eſt abſurdum. At hoc decretum Papæ clarè loquitur de electionibus; & verbis claris, ait *non poſſe reeligi*; & electio ſolum fit ſuffragia dando in capitulo: ergo iſta prohibitio de diffinitore non reeligendo niſi tranſacto ſexennio, ſolum eſt intelligenda quando Diffinitor eligitur in capitulo per ſuffragia: & non debet intelligi de ſubrogatione Diffinitoris, quæ fit extra capitulum abſque electione, & abſque ſuffragiis: quæ ſubrogatio neque eſt electio, vt clarius patebit ex ſolutione ſecundi argumenti adducti pro parte negatiua. Secundò probatur, quia hoc decretum Papæ eſt lex pœnalis, vt vidimus. At lex pœnalis debet reſtringi, non verò extendi, iuxta regulam *in 6. odia reſtringi, &c.* & iuxta cap. *pœnæ*, cùm ibi concordatis, *de pœnitentia*, *diſt.* 1. ergo prædictum decretum odioſum, & pœnale eſt reſtringendum vt ſolùm intelligatur in materia, de qua loquitur, quando

Diffinitor eligitur in capitulo per suffragia, & per veram electionem: non verò vt loquatur de subrogatione, quæ neque est electio, neque reelectio. Et quamuis aliqui Doctores dicant legem pœnalem posse extendi de vno casu ad alium, in quo datur eadem omnino ratio, vt cum aliis citatis tenet Sanchez *lib.3. de matrim. disp.42.num.4.* Hoc tamen intelligitur primò iuxta Sanchez ibidem, quando in secundo casu inuenitur eadem ratio expressa in lege prioris casus: & Papa in hoc decreto nullam exprimit causam in particulari suæ prohibitionis: sed solùm in communi dicit se id prohibere propter multa inconuenientia. Quæ tamen inconuenientia non inueniri in subrogatione Diffinitoris, probabimus in solutione argumenti secundi.

2 Tertiò principaliter probatur conclusio, quia lex non datur de raro contingentibus, sed de illis quæ communiter accidunt; sic tenet Sanchez *lib.6. Decalogi cap.8.num.51.* citans legem, *nam ad ea*, ff.de legib. verba Sanchez sunt hæc: *Ad ea quæ rara sunt, leges adaptari non solent.* At subrogari aliquem in diffinitorem raro, & rarissimè contingit: videlicet per solam mortem, vel renunciationem: ergo hoc decretum Papæ loquens de electione non debet adaptari ad subrogationem. Quartò probatur, quia per subrogationem istam non impeditur finis intentus à Papa in illo decreto. Ibi enim clarus finis Papæ, est, ne Religiosi perpetuentur in officiis, & non detur occasio subornandi, & ambiendi honores. At quando quis subrogatur in diffinitorem, non datur occasio perpetuitatis in officio, quia aliquando subrogatur pro sex mensibus ante capitulum, aliquando pro vno tantùm anno. Si verò idem diffinitor subrogatus, subrogetur pro duobus

annis, dictum ſtatutum generale decernit ne poſſit reeligi in diffinitorem in capitulo ſequenti, & ſic obuiatur perpetuitati officiorum. Præterea in iſta ſubrogatione non datur occaſio ſubornationis, neque ambitionis. Cum enim non fiat electio libera, ſed aſſumatur deſignatè is qui fuit antiquior in officio diffinitoris, ceſſat omnis occaſio ambitionis, & ſubornationis. Et denique pro maiori confirmatione prædictorum videatur Suarez *tom. de legibus lib. 6. cap. 2.* maximè *num. 6. & 7. & cap. 3. num. 16.* vbi probat quod lex pœnalis non ſit extendenda vltra proprietatem verborum ipſius legis.

3 Ad primum argumentum in oppoſitum adductum, concedo quod ſubrogatum ſapit naturam ſui principalis, cui ſubrogatur, in hoc ſenſu, quod ſcilicet poſtquam eſt ſubrogatum, habet qualitates, præeminentias, & iura ſui principalis: ſic explicat gloſſa in cap. *Eccleſia S. Mariæ, vt lite pendente*, verbo *ſucceſſerunt*, in quo capitulo ſermo eſt de ſubrogatione. Non verò requiritur quod res ſubrogata eodem modo creetur, & promoueatur, quo fuit creata, ſeu promota res, vel perſona, cui ſubrogatur. Poteſt poni exemplum. Quando moritur Epiſcopus, loco illius in regimine ſubrogatur capitulum ſede vacante, quod habet ferè totam iuriſdictionem, quam habebat Epiſcopus. Non tamen requiritur, quod ſicut Epiſcopus fuit creatus per præſentationem Regis, vel per electionem Canonicorum; ita Capitulum ſubrogatum, debeat ſubrogari per aliam electionem, vel præſentationem Regis: & alia exempla poterunt applicari.

4 Ad ſecundum argumentum, dico quod reeligere in diffinitorem, de quo loquitur Papa in hoc decreto ſubrogare, de quo loquitur ſtatutum, neque

ſunt

sunt æquipollentia, neque in illis est eadem ratio: valde enim differt electo, & subrogatio, & diuersa valde est in vtroque ratio. Primò, quia electio fit per suffragia libera multorum in capitulo: subrogatio verò fit absque suffragiis. neque fit liberè, sed per designationem statuti, cogit enim statutum assumere illum, qui est antiquior in officio Diffinitoris. Secundò, in reelectione datur occasio subornationis, quæ non datur in subrogatione. Tertiò, quia in electione libera datur occasio vt perpetuentur officia per solicitationem factam à prætensoribus. In subrogatione verò non datur talis occasio perpetuandi se in officiis, sicut dixi in quarto argumento. Intelligo verò quod in electionibus dentur illæ occasiones indirectè, & vt ita dicam obiectiuè, quia aliqui exinde occasionem illam sumant, non quod electio ex se mala sit, vel illas occasiones ex se præbeat.

CASVS XXVII.

De quadam professione Religiosi dubia, vel nulla.

IN quodam conuentu Patrum Carthusianorum recepit habitum Nouitij quidam adolescens viginti trium annorum: ante cuius ingressum non sunt factæ informationes præceptæ à Sixto V. in forma ab illo præscripta: quamnis interrogati fuerint de moribus, & vita illius, Religiosi duarum Religionum, in quibus antea commoratus fuerat, & quidam Medicus, qui illum de quodam morbo curauerat; quæ tamen omnia inquisita fuerunt absque forma iuridica, verbo

tenus, sine scriptura. Et dicunt Religiosi istius Ordinis quod fecerunt dictam informationem iuxta Bullam Gregorij XIV. postea ante professionem procurator Conuentus de mandato prælati fecit informationem in quadam vrbe iuxta Conuentum Carthusiæ, ex qua vrbe Nouitius non erat oriundus. Pro informatione recepit tres testes, quorum primus obtulit se ad testificandum, & dixit se non cognoscere Nouitium antequam habitum susciperet, neque patrem Nouitij, neque eius proauos. Asseruit tamen se nescire quod dictus Nouitius haberet aliquod impedimentum ad profitendum in Ordine. Recepti sunt alij duo testes, quorum vnus dixit se agnoscere parentes Nouitij, Nouitium tamen non cognouisse nisi per quatuor menses antequam intraret Carthusiam. Tertius testis idem dixit, se cum Nouitio nunquam communicasse. Erat iste Nouitius natus, & nutritus in quodam oppido notabili inde distante per quindecim leucas, in quo non fuit facta vlla informatio. In hoc oppido Nouitius quatuor menses ante ingressum Carthusiæ delictum graue cōmiserat, propter quod iudex sæcularis pronuntiauit sententiam vt vbicumque inueniretur, caperetur, & carceri manciparetur: duo enim grauia delicta commiserat, vt constitit ex processu iudicis sæcularis. Et nulla alia informatio de dicto Nouitio recepta est: & hanc approbauerunt Religiosi dicti Conuentus.

Solet in hac Religione Nouitius ante professionem interrogari à prælato, an alicui debeat pecunias, vel aliquid temporale: vel alicui restitutioni sit obnoxius. Interrogat item prælatus iuxta aliud illius Religionis statutum, an Nouitius habeat aliquod impedimentum corporale, vel spirituale perpetuum, propter

quod

quod incapax sit ad sacros Ordines recipiendos, vel in eisdem ministrare prohibeatur : aliàs nullatenus ad habitum, vel professionem admittatur. Et est praxis Religionis, quod aliàs professus contra verba istius statuti facit professionem inualidam, & nullam.

Quæritur primò, an prædicta informatio facta à Religiosis ante receptionem habitus in forma assignata, & suprà relata, fuerit bona, & valida: supposito quod testes informationis nihil dixerunt sub iuramento, asserentes se scire quod Nouitius careret impedimento : sed solum iurarunt se nescire an aliquod haberet impedimentum, maximè cùm nunquam fuerint conuersati cum Nouitio, neque essent eiusdem patriæ. Et supposito quod dicta informatio fuerit nulla, an prædicti Religiosi incurrerint pœnas impositas à Sixto V. contra Religiosos accipientes ad professionem non seruata forma suæ constitionis ?

2 Quætitur, an, supposito quod prædictas pœnas non incurrerint, dicta professio fuerit nulla ob causas sequentes. Prima, quia admissa fuerit professio à prælato excommunicato ob non seruatam formam constitutionis Sixti V. Secunda, eo quod Nouitius negauerit se aliquid alicui debere, vel habere aliquod impedimentum, maximè cum illi facta fuerit protestatio, quod si aliquo tempore de opposito constaret, ab ordine foret expellendus. Tertia, propter crimen ante professionem, vel receptionē ad habitum commissum, quod fuit hominem quendam gladio percutere, & in alterum archebusium explodere, licet non percuteret. Quarta est ratione infamiæ, quâ publicè diffamatus erat ob delicta, cùm infamis arceatur ab Ordinibus

 sacris,

commune non annullet professionem hanc ob defectum informationum, sequitur quod ex hoc capite professio hæc non erit inualida.

3 Secundò in particulari, ad id quod tangitur in primo quæsito, an scilicet professio nulla fuerit ex eo quod admissa fuerit à prælato excommunicatio ob non seruatam formam præscriptam à Sixto V. Dico primò professionem ex hoc capite non fuisse nullam, licet prælatus illam admittens esset excommunicatus. Nam professio facta à profitente excommunicato, & admissas à prælato excommunicato valida est. Probat hoc fusè, ac doctè Sanchez *lib. 5. Decalogi cap. 4. num. 36.* vbi multa ad hoc adducit, maximè, quia professio est quidam contractus inter profitentem, & Religionem: at contractus factus ab excommunicato validus est. Secundò, quia dato, quod prælatus esset excommunicatus (de quo statim) non tamen erat declaratus, sed toleratus. At nos possumus communicare etiam in diuinis cum excommunicato non declarato nominatim, vt tenet communis opinio ex declaratione Martini V. Addo similiter quod licet dictus prælatus esset inhabilis ad officia, per dictam Bullam Sixti V. adhuc ex hac parte professio non esset inualida, quia inhabilitas posita in aliqua Bulla non sortitur effectum in foro externo, nisi post sententiam iudicis declaratoriam, vt ego censui *in 2. tomo dubiorum Regularium, verbo inhabilitas, à num. 3.* cum Sanchez, Nauarro, Soto, Ledesma citatis ibi locis. Iste verò prælatus non erat declaratus inhabilis per sententiam iudicis.

4 Tota dubitatio est, an iste prælatus incurrerit excommunicationem ob diminutam illam, & im-

perfectam informationem, quam fecit? Et videtur id valde probari: nam Sixtus V. in sua prima Bulla §. *Cæterum quoniam*, mandabat vt prælatus ad professionem nullum admitteret, nisi prius factâ diligenti, & accuratâ inquisitione de moribus, & vita Nouitij, de parentibus ipsius, de patria: & quod exploratum sit eum non habere aliquod ex impedimentis ibi dictis. In informatione verò supradicta pro hoc Nouitio hoc magna ex parte defuit, cum testes, illius parentes, & anteactam vitam ignorarent. At proinde non seruata forma Bullæ videtur incurrisse pœnas illius, quæ hodie non sunt sublatæ per Greg. X I V. quoad prælatos non seruantes formam prædictæ constitutionis, vt suprà vidimus.

5 Hoc tamen non obstante, inclinans in partem mitiorem censeo dictum prælatum non incurrisse excommunicationem. Moueor, quia Rodriguez *tom.* 3. *qq. q.* 54. *art.* 4. tenet, quod prælatus qui non seruatâ formâ Sixti V. recepit aliquem Nouitium, qui à parte rei non erat criminosus, ex illis numeratis à Sixto V. quales sunt homicidæ, fures, & similes, non incurrit excommunicationem. Nouitius verò iste non fuit de criminosis Sixti V. Nam licet antea fuerit percussor, & gladio vulnerans, & archebusium in alium exploderet, etiam ad illum deprædandum (vt dictum fuit ab aliquibus.) Hæc delicta non sunt homicidia, neque furta, maximè cum archebusium non habuerit effectum, neque furtum inde intentatum; ac proinde cùm non fuerit ex criminosis Sixti V. non videtur incurrisse excommunicationem prælatus illum admittens ad professionem. Addo, quod Sixtus V. ibi non communicat nisi prælatos admittentes ad professionem illegitimos, & incestuosos: illos verò prælatos,

qui

qui receperint alios criminosos, non excommunicat, sed priuat officiis habitis, & inhabilitat ad officia futura. Hic verò Nouitius neque erat illegitimus, neque incestuosus. Quod verò attinet ad priuationem officij, nondum erat priuatus per sententiam, & proinde quoad hoc seruandum est idem omnino, quod suprà *num.*3. diximus de incursu, & declaratione pœnæ inhabilitatis.

6 Quod attinet ad debita Nouitij, dico quod licet ius commune prohibeat ne fiat Monachus ille, qui est obnoxius debitis, nihilominus si secus fiat, non annullat professionem factam; de quo sufficiat videre Sanchez *lib.*4. *Decalogi, cap.*19.*n.*2. id fusiùs disputantem. Multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta valent, vt tenet commune dictum Iuristarum. Quid si iste Nouitius, de quo agitur, ob sua delicta suprà relata ante ingressum religionis confugeret ad Ecclesiam ob pronunciatam iudicis sæcularis sententiam carcerationis ipsius; posséne iudex sæcularis illum ab Ecclesia extrahere virtute Bullæ Sixti V. id in tali casu concedentis tali iudici? Respondeo non posse, si aliàs talis delinquens gaudebat immunitate Ecclesiæ. Nam ius commune ad quod redacta est Bulla Sixti, non permittit extrahi talem ab Ecclesia si aliàs gaudet immunitate illius.

7 Quod attinet ad ad aliam causam nullitatis citatam, quia scilicet negauit coram prælato delicta, & debita, & impedimenta, cum protestatione sibi facta. Respondeo posse hodie Religionem, si voluerit, illum ea de causa expellere ab Ordine. Nam virtualiter defuit consensus ex parte Ordinis recipientis, qui noluit talem recipere nisi sub illa conditione, si caret tali, ac tali defectu. Probatur clarè, quia professio

est

est quidam contractus, vt suprà diximus. Contractus verò factus sub conditione, si conditio non seruetur, corruit omnino, vt tenet communis opinio, pro quo videatur Nauarro *consilio 5. de Regularibus num.* 11. & Rodriguez *tom.* 3. *qq. q.* 17. *art.* 9. & licet Nauarr. citato loco dicat, non posse aliquam Religionem facere statutum per quod annulletur professio, si talis professio à iure communi non annullatur. Melius tamen Suarez *tomo* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. tenet, quod potest id facere Religio annullando professionem per statutum, quando ius commune oppositum positiuè, & expressè non prohibet. Potest ergo Religio expellere hunc professum eo quod negauerit contentum in suo statuto, si tale statutum non sit contrarium positiuè iuri communi, & dictum statutum annullet professionem. Et licet statutum professionem non annullet, poterunt adhuc expellere ob defectum consensus ex parte Religionis, quæ non consensit in professione illius, nisi sub illa conditione sibi antea proposita, & declarata. De quo sufficiat videre Rodriguez *tom.* 3. *qq. q.* 11. *art.* 2. *paulo post initium*, vers. *verum tamen est.* Hoc idem respondendum est, ad aliud statutum illius Religionis, decernens ne recipiatur ad Religionem habens aliquod impedimentum perpetuum, propter quod non possit sacris Ordinibus initiari, sed tamen circa hoc impedimentum sacrorum Ordinum recipiendorum, noto quod ille irregularitatem non incurrit. Nam per vulnera alicui inflicta, vt de illo dicitur, non incurrit irregularitatem, cum per id non fuerit homicida, nec membrum absciderit, nec per explosionem archebusij, effectu non secuto.

8 Et ex hoc satis respondetur ad id quod quæritur de Ordine sacro Subdiaconatus post professionem: dicendum est enim quod characterem Ordinis recepit infallibiliter, vt paulo pòst clariùs constabit: imò & dicendum, quod recepit etiam executionem prædicti Ordinis sacri, cùm illum non receperit existens in irregularitate, tum ob proximè dicta, tum ob id quod proximè dico in responsione sequenti.

9 Ad id quod dicitur illum recepisse Ordinem sacrum dum existeret in infamia diffamatus apud sæculares ob delicta apud illos commissa, & quod infamatus arcetur ab Ordinibus sacris. Respondetur infamiam facti, qualis fuit ista, (non iuris) arcere sic infamem à sacris Ordinibus, quamdiu non emendatur; si verò emendetur, cessat talis infamia sine alia habilitatione. Ita docet Bonacina *tom.* 1. *disp.* 7. *de irregularitate q.* 3. *punct.* 2. *num.* 5. *& seqq.* pro quo citat cap. *Infames* 6. q. 1. pro quo citat Suarez, Azor. & Nauar. At iste Nouitius, licèt ante nouitiatum ob citata delicta fuerit infamis apud sæculares, tamen post susceptionem habitus regularis emendauit vitam, vt patet; ergo cessauit illius infamia, per quam ab ordine sacro arcebatur. Secundò dico, quod prædicta infamia præcedens professionem, ablata fuit, & purgata per professionem. Ita Sanchez *lib.* 5. *Decalogi cap.* 5. *num.* 22. *&* 28. In quo capite recenset priuilegia professionis Religiosæ, maxime *n.* 27. vbi dicit vnum priuilegium ipsius esse, vt maculam quoad actus temporales expiet. Vnde ait, quod qui ante professionem in sæculo fuerat damnatus periurij, vel furti, per professionem redditur aptus ad testimonium ferendum. Pro quo citat vnam glossam, & tres

Doctores

Doctores Iuristas. Magis verò infamat furtum, & periurium, quàm delicta de isto Nouitio narrata ante habitus susceptionem.

10 Ad vltimum de Episcopo protestante in collatione Ordinum, dico, quod licet Episcopus in collatione Ordinum antea protestetur se non intendere ordinare aliquem ligatum aliquo impedimento ex illis quæ ibi ille recenset, eo non obstante validi sunt Ordines, quos ibi vnicuique confert. Sic ille in Ordinatione istius particularis non facit illam protestationem particularem, dicens apud se quod huic, si impeditus est, non vult Ordines conferre: quod si apud se hoc non dicat in ordinatione istius particularis, manet verè ordinatus etiamsi habeat impedimentum secretum, non obstante illa generali protestatione. Sic in terminis tenet Henriquez *tom.2.lib.14. de irregularitate cap.6. num.5.* & citat *in glossa littera Y*, multos Doctores, & in textu assignat rationem, & tradit vnum exemplum facti, quæ ibi videri poterunt. Addo quod iste Religiosus sic ordinatus non habebat impedimentum canonicum quo impediretur ab Ordine sacro recipiendo ob delicta suprà numerata ante professionem commissa, neque ob infamiam propter illa contractam, vt in præcedentibus satis diximus.

11 Adhuc pro maiori explicatione dico præsentem Nouitium per illa vulnera, quæ intulit in rixa alteri homini, non mansisse inhabilem ad professionem. Probo, quia professio homicidæ hodie valida est: quamuis enim ex vi Bullæ Sixti V. esset irrita, cum tamen illa Bulla redacta sit ad terminos iuris communis, vt vidimus, ius commune non annullat professionem factam ab homicida, imò in cap. *Admonere*, Papa Stephanus consulit cuidam homicidæ vt fiat Mona-

chus

chus pro salute animæ suæ, & non fuit illud dispensatio, sed admonitio. Et de aliis viris sanctis narrant historiæ quod post homicidia intrarunt Religionem. Si verò homicida non prohibetur esse Religiosus, minus prohibeatur iste, de quo loquimur, ob sola vulnera alteri in rixa inflicta.

CASVS XXVIII.

De quodam Religioso tentante propinare venenum suo Prælato, & de Aduocato sæculari illum excusante.

CAsum istum qui verè contigit, volui hîc apponere, præcipuè vt notum sit omnibus quàm parum sciant Aduocati sæculares in causis Religiosorum, quorum priuilegia, & statuta ignorant, & volunt eas metiri per apices iuris ciuilis.

Casus talis fuit. In quodam conuentu quidam Religiosus infensus suo prælato locali, intentauit illi propinare venenum. Tria contra illum indicia probata sunt. Primum, quia vna die obtulit officiali coquinæ certos pulueres papyro obuolutos, petens vt illos iniiceret in scutella iuris, quam missurus erat dicto prælato: quod dictus officialis facere recusauit, sed tamen sub iuramento firmauit. Secundum indicium fuit, quod alterâ die ingressus refectorium extra communitatem accessit ad locum vbi prælatus localis sedere solebat ad manducandum, & ibi visus est stans iuxta poculum in quo iam iniectum erat vinum bibendum à prælato locali. Paulò pòst officialis refectorij accessit

ſit ad poculum vidit vinum valdè turbidum. Erat tunc in conuentu medicus conuentus, fuit illi oſtenſum poculum quaſi iam continens maſſam liquidam. Affirmauit medicus illud fuiſſe venenum: & hoc iudicium medici fuit tertium iudicium approbandum hoc delictum. Præter hæc probata ſunt alia indicia, quæ licet eſſent minora, iuncta tamen illis tribus valde iuuabant ad faciendam probationem violentam, contra dictum Religioſum. Et quod attinet in particulari de illo iudicio, quod viderint illum extra communitatem ſtantem ſolum circa poculum prælati, & paulò pòſt inuenti ſint illi pulueres in poculo, iuuat nimis ad probationem talis iudicij, id quod decernit lex iſtius Regni *lib.5. Ord. tit.135.* vbi dicitur quod ſi quis de nocte clamet in platea, dicens, Fullanus me percutit, vel occidit; & aliquis ex ianua deſuper aſpiciens videat ibi ſtantem illum Fullanum, de quo percuſſus conqueritur, licet illum non videat percutientem, decernit lex quod delictum cenſeatur plenè probatum contra talem ſtantem. Hic autem Religioſus viſus eſt ſtans circa poculum, paulò antequam inuenti eſſent pulueres in poculo, quos pulueres ille antè obtulerat officiali coquinæ, vt iniiceret in ſcutellam iuris ſumendam à prælato.

1 Admonuit prælatus localis Prouincialem, qui accedens ad conuentum in forma viſitationis, ſeu inquiſitionis, auditis omnibus Religioſis facto proceſſu iuridico, inuenit probari illa ſupradicta indicia cum aliis indiciis coadinuantibus per quæ reſultauit contra reum ſatis violenta probatio. Viſo proceſſu in diffinitorio, & audito reo, attento etiam quod eſſet crimen difficilis probationis requirens minorem probationem, condemnatus eſt reus ad vnum annum carceris

cum

cum aliquibus minoribus pœnitentiis. Appellauit reus ad D.Collectorem. Exhibitus processus factus à Prouinciali, & tradito processu cuidam Aduocato sæculari, qui pro reo aduocabat. Dictus Aduocatus (Deus bone!) multa impertinentia, indecentia, imò & falsa scripsit ad impugnandum dictum processum factum à Prouinciali. Ponam hîc præcipuas illius impugnationes illius, quibus impugnauit processum, dicens in illo contineri nullitates, & iniustitias. Et quoniam præcipua illius intentio est ostendere in dicto processu non fuisse seruatos apices iuris, pono hîc prius concessionem Bonifacij VIII. per quam fratribus Minoribus concessit, vt in suis iudiciis & processibus non teneantur seruare apices iuris. Habetur Bulla in lib. Monumenta Ordinum *fol.* 125.& post medium Bullæ, sic Papa concedit.

Nos piis vestris supplicationibus inclinati, vobis authoritate Apostolica indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum eiusdem Ordinis delinquentium infligendas prælati Ordinis supradicti (ad quos eadem spectare noscuntur): iuulis iuris, & apicibus eius postpositis liberè procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, vel facienda ipsius Ordinis instituta. Neque volumus eisdem licere fratribus ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, præuiis debitè obseruatis. Hactenus Bonif. Papa.

2 Hoc posito: prima nullitas notata ab Aduocato Baccalaureo circa processum factum à prouinciali,

fuit, quod non citauit reum ad videndum iurare testes quando deponebant. Hoc quis non videat carere fundamento? Nam citatio rei ad videndos iurare testes est purus apex iuris; probatur clarè exemplo tribunalis rectissimi sancti Officij, in quo seruatur omnino substantia iuris, & tamen nullo modo citatur reus hæreticus ad videndos iurare testes, imò illi occultantur nomina testium; ac proinde videre iurare testes non est de substantia iuris. Et sic declarat statutum generale istius Religionis *cap.6.* §. 1. vbi explicans qui sint apices iuris, ait, apices esse citationes, dilationes, interlocutorias, &c. vbi verbum, *Citationes*, non intelligitur citatio rei ad respondendum obiectis, hæc enim est de substantta iuris, vt patet: sed intelligitur citatio rei ad videndos iurare testes; hæc enim non est de substantia iuris: neque per omissionem huius citationis fit læsio reo, cùm illi relinquatur locus ad opponendam recusationem, & exceptionem testibus, vt fit in Religione, & admittitur postea reus Religiosus ad opponendas tales recusationes testium.

3 Secunda nullitas taxata fuit, quod quando prælatus localis conquestus est apud Prouincialem, non recepit iuramentum, quod fuit in substantia dicere, quod non recepit iuramentum calumniæ, quod secundum canones iubetur præstari à litigantibus in principio litis. Hoc tamen non spectat ad substantiam iuris, sed ad apices illius; & licet lex Portugalliæ citata ab Aduocato præcipiat præstari tale iuramentum calumniæ litigantibus, Religiosi exempti non obligantur in hoc ad seruandum legem principis sæcularis, vt optimè, & fusè probat Azor *tom.2. lib.10. cap.7. q.9.* vbi probat quod lex ciuilis non obligat clericos,

clericos, nisi talis lex sit approbata per Ecclesiam; vel nisi ratione legis diuinæ, vel naturalis ad id clerici teneantur. Ad quod Bonifacius VIII. in concessione supra citata iubet vt Religiosi possint iudicare secundum suas consuetudines approbatas. At in ista Religione nunquam omnino fuit consuetudo vt tale iuramentum calumniæ detur litiganti Religioso.

4 Tertia nullitas obseruata à Baccalaureo in processu fuit, quod in inquisitione facta per Prouincialem fuit vocatus prælatus localis ad testificandum, cum esset pars læsa, & conquesta. Respondetur, quod talis prælatus non fuit vocatus vt testis, neque dictum illius receptum est vt dictum testis ad sententiam, sed solum fuit rogatus an aliquid haberet quod amplius apponeret: vel an vellet accusare in forma accusatoris. Nam illius dictum non fuit computatum inter testes processus. Et dato, & non concesso, quod illius dictum foret receptum vt dictum testis: si aliàs crimen esset integrè probatum per alios testes, sicut de facto fuit probatum, tunc testimonium prælati localis licet esset nullum, non annullaret processum aliàs habentem sufficientem numerum testium probantium, iuxta regulam iuris 37. diceutem: *Vtile non debet per inutile vitiari.* Et proinde illud testimonium inutile prælati localis non potuit vitiare processum quo ab alios testes vtiles.

5 Allegauit quartò, quod reo non fuerint admissi articuli suæ defensionis, quod est falsum; oppositum enim constat, quia fuit auditus. Si autem hoc dicit, quia illi non sunt data nomina testium, sicut ipse petit, infrà dicemus non fuisse obligatum prælatum dare nomina testium in hoc casu. Si verò hoc dicit eo quod dixit in suis responsionibus prælatum localem, &

& aliquos eius socios esse sibi inimicos, & propterea non audiendos, hoc non sufficit, vt dicatur non fuisse auditum. Nam non sufficit dicere: Fullanus est meus inimicus, vt statim dictus Fullanus pro inimico reputetur, nisi allegentur, & probentur causæ inimicitiæ; ille autem causas inimicitiæ nec proposuit, nec probauit. Ita tenet Mascardus *tom 2. de probat. conclus.* 898. dicens, quod inimicitia non præsumitur, sed probanda est, pro quo citat multa *num.* 1. Quod verò ait non habuisse Religionem potestatem procedendi in hoc casu summariè, & de plano sine apicibus iuris, iam suprà ostendimus hoc esse falsum; potest enim Religio sic procedere in omnibus suis causis, vt patet ex supracitata concessione Bonifacij VIII.

6 Quinta nullitas allegata, est quia processus, seu inquisitio facta fuit ad instantiam prælati localis sui inimici. Quis hoc non videat? Dato enim quod prælatus localis fuerit suus inimicus (quod non probauit) res est notoria, quod inimicus potest accusare, & obligare iudicem, vt inquirat de offensa sibi facta, vt praxis, & iura obseruant. Et quamuis reus pro causa inimicitiæ alleget quod inter ipsum, & prælatum localem interuenerunt verba grauia, & rixosa, tale non constat ex processu toto. Et est res nimis practicata, quod si prælatus subditum iustè etiam reprehendit, subditus vt plurimum ipsum reputet pro inimico. Veritas enim odium parit. Et prælati sunt sicut album ad sagittam.

7. Sexta nullitas taxata fuit, quod petente reo sibi dari nomina testium, non sunt illi data, pro quo citat statutum Ordinis sui. Ad quod respondetur primò, tale statutum Ordinis id non concedere absolutè,

imò

imò potiùs magis negare, quàm concedere: ait enim quod ad euitanda odia, & inimicitias inter Religiosos, nomina testium non publicentur: nisi fortè in crimine aliquo graui, & periclitetur iustitia rei, nisi tali nomina dentur. At prælati iudicarunt quod in hoc casu non periclitabatur iustitia rei ob publicitatem delicti, & probationis abundantiam. Quando verò lex aliquid relinquit arbitrio iudicis, non errat iudex vtens suo arbitrio. Fauet capitulum *qualiter, & quando, primeiro, de accusat.* vbi postquam Papa dicit, quod reo dentur nomina testium, *&c.* in fine capitis ponit hæc verba: *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum.* Ecce quo modo Papa non obligat vt inter Religiosos dentur semper nomina testium. Addo quod dare reo nomina testium non est de substantia iuris, sed de apicibus. Probo ex eo quod suprà diximus. nam tribunal S.Officij seruat substantiã iuris, vt patet, & tamen nunquam dat nomina testium, sed potius abscondit, in fauorem talis tribunalis: quod clarè probat, quod dare nomina testium spectat ad apices, non ad substantiam iuris. Quod verò addit præcessisse coniurationem contra reum, facile est dicere, sed difficile probatur, maximè inter Religiosos, neque tale quid constat ex processu, & proinde eâdem facilitate quâ dicitur, eâdem negatur. Coniuratio enim non præsumitur, sed debet probari, vt tradit Mascardus *cit. concl.* 898. *n.* 1.

8 Septima nullitas, vel iniustitia notata à Baccalaureo fuit, quod probationes maximè in criminalibus, debeant esse clariores luce meridiana: in hoc verò casu nullus fuit testis oculatus, qui videret reum iniicientem pulueres in poculum prælati localis: ergo non fuit vlla probatio sufficiens ad talem pœnam.

Respondetur, illud dictum Iuristarum, quod in criminalibus probatio debet esse clara vt lux merdiana, intelligitur in criminibus, quæ sunt facilis, & ordinariæ probationis, & solent fieri in publico. Secus de criminibus, quæ sunt difficilis probationis, & quæ de ordinario fiunt in occulto, vt sodomia, adulterium, veneni propinatio, & similia. Ad hæc enim probanda non requiritur tam clara probatio per testes oculatos: aliàs nunquam probarentur, cum tales delinquentes soleant effugere oculos aliorum: & proinde crimina atrocissima manerent impunita. Sufficit ergo ad probanda talia crimina difficilis probationis violenta præsumptio. Hæc est communis opinio Doctorum, & habetur in multis textibus citatis à Nauarro cap. *si quis* 0, 1. *de pœnit. distinct.* 7. *n.* 11. Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 12. *n.* 4. Rodrig. *tom.* 2. *q.* 12. *art.* 2. Farinac. *tomo de inquisitione, & delictis q.* 2. *num.* 12. vbi ait quod in delictis occultis sufficit coniecturalis probatio: & ad hoc citat multa, & in cap. *Afferre gladium*, de præsumptionibus, ait rubrica illius capitis: *Quod ex præsumptione violenta fertur diffinitiua.* Iam verò rubrica quæ continet integram sententiam (sicut ista continet) valet pro lege, vt omnes fateantur. Videatur etiam ad hoc Vmbertus *in practica inquisitorum*, in verbo *Probatio*, §. *Probatio per præsumptiones, & seqq.* vbi citat Bartolum, Iasonem, & Bossium. Videatur etiam Mascard. *tom.* 3. *de probat. concl.* 1224. *n.* 13. vbi probat quod ad probandum delictum fieri solitum clam, & in occulto (quale fuit istud) sufficiunt coniecturæ, & præsumptiones. Denique id affirmant sexcenti alij Doctores. In hoc verò delicto concurrerunt non vna, sed plures coniecturæ sufficientes ad probationem illius, vt constitit ex processu.

Constat

Constat enim quod petiit ab officiali coquinæ vt pulueres iniiceret in scutellam prælati : & alius vidit papyrum puluerum in manu rei : alij viderunt illum stantem iuxta poculum prælati, alij viderunt pulueres in poculo. Medicus dixit esse venenum vltra alia indicia remotiora contenta in processu, quæ tamen iuncta præcedentibus faciunt violentam probationem.

9 Allegauit etiam, quod propinatio pulnerum non fuit cum effectu, & proinde non merebatur tantam pœnam. Ad hoc respondeo distinguendo. Nam propinatio puluerum non est quidem sortita effectum mortis, vt fatemur: sed fuit completum delictum propinandi venenum, siquidem peruenit ad actum proximum, & per ipsum delinquentem non stetit, & per accidens fuit quod mors sit secuta. Quæ mors si sequeretur, imponenda illi erat ad minus pœna perpetua triremium, & quia mors non fuit secuta, imposita est illi tam leuis pœna carceris vnius anni, & fuit hæc pœna conformis statuto generalis istius Ordinis, quo decernitur vt qui machinatus fuerit propinare venenum alicui, carceri mancipetur. Ista verò veneni intentio fuit grauior, vtpote contra prælatum; & in cap. *Si quis Sacerdotum* 11. *q.*1. & cap. *Si clerici, aut Monachi*, eadem causa,& q. Dicitur,quod Clericus,vel Monachus,qui conspirauerit, machinatus fuerit, vel parauerit insidias prælato, proprium gradum amittat, & curiæ tradatur, videatur etiam Iulius Clarus *in sua praxi q.*92. *in medio*, vbi citat multos,& graues Doctores dicentes, esse opinionem communem quod in criminibus atrocibus, quale est hoc, conatus ad crimen punitur pœnâ ordinariâ, si deuenit ad actum proximum, sicut iste deuenit, licet per accidens

effectus non sit secutus. Et ponit exemplum in eo qui parauit venenum, & posuit in loco vbi posset sumi. Et licet ibi Iulius Clarus non approbet illam opinionem, quoad dandam pœnam ordinariam; etiam huic reo non est data pœna ordinaria. Et quamuis Aduocatus oppositus dixerit illa indicia veneni non fuisse probata sufficienter per duos testes adductos pro singulis iudiciis; vltra quod oppositum constitit ex processu, Respondetur quod quando indicium est proximum ad actum, tale indicium probatur per vnum tantum testem, sicut tradit Mascardus *tom.3.de probat. conclus.*1224.*num.*41.*&* 42. & sequitur Baiardus super Iulium Clarum ad quæstionem 23.*num.* 5. *&* 6. qui ambo citant alios Doctores. Hæc verò indicia fuerunt proxima actui.

10 Vltimo loco, dixit Aduocatus, quod dictum medici asserentis illud fuisse venenum, fuit dictum singulare vnius: & præterea medicus non id asseruit resolutè, sed solùm dixit, sibi videri venenum. Tale verò dictum opinatiuum non probat in testibus. Respondetur, quod licet fuerit dictum singulare vnius tantùm, tamen plene probat, quia fuit dictum periti in illa arte: perito verò in sua arte credendum est, etiam si testificetur de sua credulitate tantùm, nec dicat se certò scire. Ita tenet Mascardus *tom.*3. *de probat. conclus.* 1168. *num.* 19. citans Roman. Bartolum, Immol. Iasonem, Corneum, Ioan. Andr. & alios, & fauent multi textus ibidem citati. Et dato quod dictum medici non plenè probaret, iunctum tamen cum aliis testibus, & coniecturis hîc concurrentibus satis probaret, maximè in hoc crimine difficilis probationis, vt iam suprà ostendimus. Nam præsumptiones plures iungi debent ad faciendam plenam

probationem

probat ionem, ſicut fusè, & efficaciter probat Maſcardus *tom. 3. de probat.* 1124. *num.* 1. 8. 13. 14. & 22. vbi *num.* 22. ait, quod præſumptiones etiam iunguntur cum fama ad plenè probandum. Hic verò concurrit fama, indicia probata, & cætera quæ ſufficiebant ad faciendam violentam probationem, ſeu præſumptionem ob quam ſolam datur ſententia diffinitiua in crimine difficilis probationis, vt ſupra oſtendimus *num.* 8. in reſponſione ad ſeptimam.

CASVS XXIX.

De alio proceſſu facto per quendam Prouincialem, & impugnato ab alio Aduocato ſæculari.

VOlui hîc inſerere præſentem caſum ſimilem omnino præcedenti, vt magis conſtet de temeritate, & ignorantia Aduocatorum ſæcularium in materia proceſſuum Religioſorum: in hoc caſu enim peior fuit alius Baccalaureus, quàm in caſu præcedente. Conducit verò ad honorem, & famam Religionum oſtendere quod prælati non ferunt ſententias iniuſtas; & quod prælati ſciant reſpondere *dictis impertinentibus, & falſis aduocatorum ſæcularium. Et ex dictis à nobis, in hoc caſu non parum iuuabuntur prælati Religioſi ad ſuos proceſſus iudiciarios dirigendos, & aduocatorum ſæcularium errores retundendos.*

Igitur, quidam prælatus regularis circa quendam ſuum ſubditum fecit quandam inquiſitionem particularem de quodam adulterio, de quo erat publicè

infamatus. Ex processu resultauit crimen probatum contra subditum, præter hoc crimen, ex aliis visitationibus constabat subditum in materia castitatis habere aliam similem culpam cum graui circumstantia apostasiæ; aliam compositionis libelli famosi: & alias culpas in materia castitatis, & aliis materiis non leuibus, de quibus per interualla fuit conuictus, & non emendatus. Prælatus cum Diffinitoribus illum condemnauit ad priuationem perpetuam habitus, & exilium ad partem vltramarinam Angollæ, visâ suâ incorrigibilitate: cum protestatione, quod si appellaret, aliis pœnis grauioribus foret plectendus. Appellauit Religiosus,& datus est, illi Aduocatus sæcularis prout petiit, qui, mirum est, quanta dixerit in responsionibus, & rationibus allatis pro sui clientis defensione, quas mihi pro Religionis, & Religiosi prælati honore tuendo commiserunt, & antequam descendam ad allegationes Aduocati sæcularis in particulari impugnandas, dixit scripto,quod prælatus regularis in suo processu fuerit crudelis, & quod vindictam sibi sumere intenderit, quod iniustis mediis vsus fuerit, & malos fines intenderit, & quod reus iniustos carceres sustinuerit: quod sanè particularem pœnam merebatur, eo quod Religiosum prælatum scripto publico sic infamauit, maximè cum bene præsumendum sit de prælatis,vt dicitur in cap. *Absit* 11.*quæst*.3.& cap. *Non nos, distinct*.40. Neque licitum sit alicui se defendere infamando aliquem iniustè.

1 Prima ergo reprehensio, seu animaduersio Aduocati circa processum Prouincialis fuit, quod ad inquisitionem præcipui delicti adulterij, processit non existente infamiâ rei. Fortasse hoc contigit, quia Prouincialis in principio processus non posuit summariam

mariam informationem factam in particulari de infamia delicti, sicut solet præmitti ab aliquibus iudicibus vigilantioribus ante inquisitionem delicti in particulari, sed Prouincialis in processu incepit statim inquirere de delicto, non specificando quod præcesserit infamia: & ideo Aduocatus dixit processum fuisse nullum, eo quod prælatus in particulari inquisierit de delicto subditi non præcedente infamiâ, quod est contra leges vtriusque iuris. Ad hoc respondetur, non esse necesse quod iudex inquirens de particulari delicto præmittat in principio processus probationem scriptam, quod præcesserit infamia, sed sufficere quod rumor delicti peruenerit ad aures prælati, vt ipse incipiat quærere de delicto in particulari si fama ad illum peruenit non solum de delicto, sed etiam de delinquente. Pulchrè, & doctè hac de re tractat Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *de regimine Societatis cap.* 12. *num.* 27. *&* 28. vbi primò dicit, quod interdum fama per se ipsam peruenit ad aures prælati, & clamat contra reum, & in hoc casu non oportet vt præcedat iudicialis probatio infamiæ: & ad hoc citat Nauar. & Syluest. & dicit alios sic sentire. Et probat, quia alias nunquam liceret prælato ex officio incipere ab inquisitione particulari. Et addit rationem à priori, quia in publicis, & euidentibus non est necesse specialis probatio: tunc tamen infamia est per se euidens, & publica: & infamia clamat, & accusat publicè, & ideo per se sufficit ad inchoandam particularem inquisitionem. Secundò ait Suarez, vt prælatus ordinarius ex officio, procedat ad inquisitionem, satis esse quod sit certus de infamia, & tunc suâ assertione illam probet, & confirmet. Quapropter si munus inquirendi deleget alteri affirmans sibi constare

Petrum

Petrum esse infamatum de tali delicto, id satis esse vt delegatus possit immediatè incipere inquirendo in particulari de delicto talis personæ, non inquirendo de infamia, neque probationem eius inuestigando. Quo nihil clarius dici potuit ad nostrum intentum. Delictum verò adulterij huius Religiosi fuit publicum etiam apud sæculares, sicut infrà videbimus. Fundatur hoc dictum Suarez, quod scilicet credendum sit prælato dicenti sibi constare de infamia delicti, eo quod semper præsumendum est bene de prælato, vt patet ex citato cap. *Absit* 11. q. 2. & cap. *Non nos* dist.40. Et dictus aduocatus non solum arguit processum Prouincialis, quod factus fuerit non præcedente infamia de adulterio, sed etiam idem obiicit de aliis delictis rei in vita anteacta, quod scilicet de illis fuerit inquisitum non præcedente infamiâ; quod modo est diuinare, cùm præteriti processus de culpis præteritis sint iam combusti ex particulari statuto Religionis istius, prohibente ne prælati finito suo officio possint seruare processus vltra sex menses. Et præterea de dictis prælatis bene præsumendum est iuxta proximè citata capita iuris canonici.

2 Addo, quod licet Prouincialis inquisisset de delicto, de quo reus non erat infamatus, si tamen ex illa inquisitione non licita, nihilominus crimen mansit plenè probatum contra reum, cùm iam post inquisitionem illam publica facta sint illa delicta, & probat sufficienter per testes, & reus fuerit citatus, & auditus, poterit iudex regularis illum punire pro illis delictis indebitè reuelatis, sed factis iam publicis. Sic tradit expresſè Nauar. *tom.* 3. *suorum operum commentario ad rubricam de iudiciis num.* 87. §. *Non obstat etiam*, vbi ait, quod si interrogante iudice in genere à teste, testis reuelauerit

reuelauerit aliquod delictum secretum, quod non poterat reuelare, & in eo peccauit; nihilominus iudex potest punire illud delictum illicitè publicatum: & ponit Nauarrus hæc verba: *Ex quo bene, vel malè deducta sunt in publicam iudicis notitiam, ille tenetur ad castigandum ea per inquisitionem particularem.* Et ad hoc citat Sotum dicentem sufficere notitiam iudicialem habit..m per confessionem malè torti, vt iudex alias inquirat, &c. Et alia ibidem adducit Nauarr. doctè ad hoc intentum. Idem probatur ex cap. *Ecce* 2. q. 5. & cap. *de accusat. & inquis.* in 6. cum glossa ibidem, verbo *Confessus*, vbi dicitur, *Quod crimina debent puniri vndecunque claruerint.*

3 Secundò arguit aduocatus, quod Prouincialis reo exhibuerit iuramentum in principio litis, siue inquisitionis factæ de illo. Respondetur, reo posse exhiberi iuramentum in principio processus, quando non adsunt testes. Ita expresè tenet Rodriguz *tom.* 2. *qq. q.* 18. *art.* 11. citans alios, & Miranda in Ordine iudiciali *q.* 11. *art.* 8. Quando verò Prouincialis hoc iuramentum reo exhibuit, fortè nondum habebat testes ad probandum, & potuit experiri, seu tentare an per rei confessionem posset excusare confectionem processus. Et dato quod Prouincialis illicitè exhiberet reo hoc iuramentum extra tempus, non proinde annullaretur processus, nec dabitur textus id affirmans. Solùm tunc annullaret, quando reus ob tale iuramentum illicitè exhibitum confiteretur, & ob id foret condemnatus absque alia probatione. Sed in hoc casu post iuramentum factæ sunt aliæ multæ probationes, vt patet ex processu.

4 Tertiò arguit, quod reo non sunt publicata nomina testium. Ad hoc iam responsum est *in casu* 28. *proximè*

proximè præcedente num. 7. vbi ſatis probauimus non eſſe de ſubſtantia iuris exhibere reo nomina teſtium, ad quod adduximus exemplum Tribunalis ſancti officij. Addo nunc, quod Paulus Bertus Auguſtinenſis *in ſua praxi fol.* 185. ait quod in Religionibus non publicantur reo nomina teſtium propter pacem Religioſorum. Videatur etiam Rodriguez *tom.* 2. *qq. quæſt.*3. *art.*1. vbi ad hoc citat Hoſtienſem, & Manſum. Et præterea iſte reus non petiit ſibi dari nomina teſtium.

5 Quartò, arguit Aduocatus, quod in hoc proceſſu recepti ſunt multi teſtes ſæculares: at teſtes ſæculares non poſſunt eſſe teſtes contra Religioſum. Reſpondetur, ſæculares poſſe eſſe teſtes integros contra Religioſum. Sic expreſsè tenet Rodriguez *tom.*2.*qq.q.*10. *art.*5.*&* *q.*28.*art.*3.*in fine*, vbi miratur ille, quoad aliqui prælati regulares nolint admittere teſtes ſæculares contra Religioſos in probatione adulterij, qualis eſt noſter caſus:& ait Rodrig. id nullâ lege prohiberi Religioſis. Et probo ratione clara ibi tacta à Rodriguez, nam aliàs maneret crimen adulterij impunitum à Religioſo factum extra conuentum, cum extra cõuentum dari non poſſint teſtes Religioſi, per quos illud poſſit probari. Idem de homicidio facto à Religioſo, & de quocunque alio graui delicto commiſſo extra conuentum, & ſic manerẽt multa crimina grauia, & ſcandaloſa impunita. Idem probatur ex communi praxi Religionum admittentium teſtes ſæculares in proceſſibus criminalibus Religioſorum. Et cùm nulla lex canonica id prohibeat, teſte Rodriguez, & praxi extante, non eſt curandum de Doctoribus, quos citat Aduocatus, qui non citant legem, neque rationem vrgentem, neque ſciunt de praxi Religionum ſuprà citatâ.

6 Quintò,

6 Quinto, arguit Aduocatus, quod requirente reo, vt sibi vnus, vel alter testis reciperetur, vel examinaretur, sibi fuit denegatum. Respondeo primò, quod etiam in foro sæculari assignatur tempus intra quod possunt recipi testes, eóque transacto denegatur receptio testium, quod in Portugallia vocatur, *Conclusio.* Sic ergo potuit fieri in hoc casu, in quo intellexerunt iudices Religiosi, datum fuisse reo tempus superabundans ad respondendum, & testes producendos, vltra quod non erat obligatio vlteriores testes producere. Facit etiam quod delicta ipsius sic erant notoria, & probata, vt intelligeret iudex nullam probationem reo posse proficere. Facit ad hoc omnino quod tradit Nauarrus *lib.5. consiliorum, consil.26. de sentent. excommunicat.num.6.* & Rodriguez *tom.2. qq.quæst.*18. *art.*1. cum textibus ibi citatis,qui ambo dicunt, quod quando crimen est ita notorium & probatum, vt licet citetur reus, nullam omniuo habebit excusationem: in tali casu potest ferri sententia contra talem reum illo non citato; quod est multo maius. Si tales ergo duo Doctores dicunt cum textibus, quod in crimine notorio satis probato, non est obligatio citare reum; minor obligatio erit recipere vnum testem in suo notorio & clarè probato quando testis oblatus nihil proficeret reo, eo nempe modo quo iudex non tenetur acceptare exceptiones, & recusationes friuolas partis opponentis, vt dicitur in iure.

7 Sextò arguit Aduocatus,quod ad proferendã sententiam circa sua delicta, non sunt vocati duo diffinitores,vel Patres deputati vt coniudices ad proferendas sententias in illa Religione, & proinde sententia videtur nulla, ob defectum iudicum, qui debebant interesse causæ. Respondetur primò illos duos, de quibus allegat,

allegat, iuxta quandam Bullam Papæ eo tempore publicatam, iam non habuisse iurisdictionem iudicis. Secundò, quòd dato quod possent tunc esse iudices, ambo erant notoriè impediti, ne possent itinerare, & accedere ad conuentum, in quo ferenda esset sententia. Alter enim illorum prælongâ, & graui senectute iam non egrediebatur suum conuentum: alter impeditus erat graui, & actuali infirmitate periculosa, & proinde non poterant accedere: & proinde erat obligatio vocare notoriè impeditos. Et probatur, simúlque declaratur exemplo. Nam cum obligatio sit vocare omnes electores ad electionem celebrandam, non tenetur præses capituli vocare, nisi eos qui commodè vocari possunt, vt constat ex cap. *Coram* 35. *distinct.* & ex glossa cap. *Cum omnes*, de constit. verbo, *Ipsorum.* Et est communis opinio, maximè Syluestri verbo *Electio* 1. num.6. & aliorum dicentium superioris arbitrio remitti, an sit periculum in dilatione electionis, vt ideo omittatur vocatio aliorum. Quod applicari potest ad vocationem coniudicium pro sententia ferenda: & hoc maximè habet locum in hoc casu, quando illi duo sic impediti, & omissi non sunt conquesti, neque tentarunt sententiam ob sui omissionem annullare.

8 Arguit septimò Aduocatus, huiusmodi reum non fuisse incorrigibilem, vt posset expelli à Religione. Respondeo prædictum reum primo esse incorrigibilem de facto, propter illa quæ tradit Rodriguez *tom.* 1. *qq. Reg. quæst.* 30. *art.* 14. citans Syluest. & Abbatem, cum quibus ait, quod ille Religiosus est incorrigibilis de facto, qui commisit multa, & grauia delicta, cum graui scandalo, licet non fuerit ter conuictus, & punitus: maximè iuxta Syluestrũ, si ista incorrigibilitas

facti

facti præsumatur de facto propter conditiones viri. Hic autem reus commisit multa, & grauia delicta cum scandalo, vt patet ex processu, idque variis temporibus, maximè in materia contra castitatem: ex quibus omnibus colligitur satis deprauata, & incorrigibilis hominis natura. Legatur Rodriguez *citato art.* vbi non dicit, quod ad probandum incorrigibilitatem de facto, necessarium sit quod testes dicant reum esse incorrigibilem de facto, sicut Aduocatus dicit affirmari ab Aldrete: nam iudicare incorrigibilitatem non pertinet ad testes, sed ad iudicem, ad quem spectat ponderare merita causæ processus. Et potest iudex ex variis circumstantiis processus formare iudicium illius quod non exprimitur in processu, imò & inde formare sententiam, cùm scilicet subsunt præsumptiones violentæ, etiam in actis non probatæ; vt latè, & doctè probat Vmbertus *in practica inquisit.* verbo *præsumptio, in princip. §. Violenta præsumptio*, pro quo citat capitulum S. Mariæ de constit. & Innocentium in cap. *Tua*, de cohabitatione cleric. & mulier. Addo, quod multi Religiosi in suis testimoniis, dicunt naturam istius rei esse peruersam, effrænatam, & ad malum procliuem. Quamuis verò statutum istius Religionis, loquens de expulsione incorrigibilis ab ordine, loquatur solùm de incorrigibili de iure, qui videlicet ter, vel quater fuit punitus, & resipuit; tale statutum non tollit, quin possit etiam expelli verus incorrigibilis de facto, quia scilicet licet non fuerit quater punitus, commisit tamen multa, & grauia delicta, & ex illius natura, & moribus non speratur emendatio. Ita sentit, & probat Rodriguez *citato art.* 14.

9 Nunc probo Religiosum istum fuisse incorrigibilem etiam de iure, vt posset proinde expelli ab

Ordine. Nam teste Syluest. citato à Rodriguez *dicto art.* 14. incorrigibilis de iure est ille, quem aliqua lex vel regula iudicat esse incorrigibilem, & sicut talem præcepit expelli à Religione. At Pius V. concessit per Bullam Patribus D. Hieronymi, quod possint expellere ab Ordine Religiosum qui commisit vnum tantum delictum, si ob tale delictum lex sæcularis imponat pœnam mortis: quod priuilegium transscribitur apud Rodriguez *cit. art.* 14. Et iste Religiosus commisit adulterium, vt paulò infrà ostendemus: ergo est incorrigibilis de iure, idest, per ius,& legem Summi Pontificis citatam quæ iubet taliter delinquentem expelli à Religione. Et dato quod iudices,quando tulerunt sententiam expulsionis ab Ordine, solum crederent illum esse incorrigibilem de facto,& non de iure, nihilominus sententia valida est, & ille censendus est tanquam expulsus, vt incorrigibilis de iure. Probatur, nam actus semper præsumitur fieri eo modo, quo vtilior est agenti, vt tradit Sanchez *lib. Decalogi cap.* 18. *num.* 40. citans Bartolum, Menochium, & alios. Et ad idem accedit illa Maxima Iuristarum, quæ dicit: *Si non valet hoc quod ago, prout ago, valeat vt valere potest.* De quo glossa capitis vnici *de desponś. impuberum*, & Rodriguez *tom.* 1. *qq.q.* 20. *art.* 25. At iudices huius sententiæ habebant pro se illam legem Pij V. iudicantis hunc esse incorrigibilem de iure: ergo vt talem illum intenderunt expellere.

10 Nunc restat probandum quod hoc delictum adulterij ab isto reo commissum fuerit satis probatum. Ad quod præmitto, ex processu constitisse omnia sequentia. Primò famam clamorosam valde inter sæculares,& Religiosos. Secundò quod ingrediebatur domum cuiusdam feminæ vxoratæ reputatæ pro inhonesta

honesta, & ingrediebatur solus. Tertiò quod visa est prædicta mulier quadam die exire à domo, & intrare in quandam syluam domui suæ vicinam, & paulò pòst prædictus Religiosus intrauit eandem syluam. Et post aliquod tempus exierunt ambò à sylua vnus post alium. Quartò, quod eadem die manè visi sunt ambo colloquentes. Quintò, quod vna die præcedente scripserat ipse epistolam quandam ad maritum feminæ petens vt illam ad se mitteret, quia necesse habebat illam alloqui. Sextò quod ille huic mulieri munuscula multa mittebat. Septimò, quod ille coram aliquibus Religiosis iactauit se de aliquibus adulteriis in communi. Vltimò quod vltra hunc casum erat diffamatus in aliis casibus contra castitatem. Semel verò malus nunquam præsumitur bonus in eodem genere mali, & cum omnibus iis coniecturis, noluit Aduocatus Baccalaureus vt crimen esset probatum. Si enim *in casu præcedente* 28. satis probatum est, quod violenta probatio sufficit ad ferendam sententiam diffinitiuam in criminibus difficilis probationis, quæ solent fieri in occulto: quis negabit in hoc casu, attentis tot, & tam claris circunstantiis, & coniecturis interuenisse violentam præsumptionem? Videantur dicta, & citata *in casu* 28. *proximè num.*8. & vltra ibi dicta, & citata, adduco legem istius Regni *lib.*5. *Ordinat.tit.*28. §.6. vbi declarans lex quo pacto censeatur probatum delictum concubinatus, sic dixit in substantia. *Sufficiet ad probandum concubinatum, quod existat de hoc publica vox, & fama: & quod sunt soliti, & visi quod vnus ingreditur domum alterius. Nam talis fama iuncta cum eo quod probatur de ingressu vnius in domum alterius, reputamus sufficientem probationem ad condemnandum in isto casu.* Sic ibi lex in substantia. Si ergo lex ad condemnandum in

ista materia solum requirit famam & ingressum in domum, in hoc nostro casu fuit fama clamorosa, ingressus amborum in eandem syluam, alloquutio præcedens, munuscula, & multa alia proximè citata. His omnibus præsuppositis, potuit iustè, & iustissimè prædictus reus expelli ab Ordine propter hoc solum crimen adulterij, iuxta Bullam Pij V. sup. cit. viso quod crimen adulterij per leges ciuiles punitur pœna capitis. Quantò magis quando cum hoc delicto iuncta & probata sunt alia delicta grauia eiusdem rei, etiam cum quadam apostasia, de quibus omnibus fuit in particulari auditus.

11 Octauò conqueritur Aduocatus sæcularis, quod iudices Ordinis declarauerint reum fuisse periurum, eo quod negauerit veritatem in iuramento sibi exhibito præter ordinem iuris, vt ipse arbitratur. Ad hoc responsum manet ex dictis *n.*3. in hoc casu, vbi diximus quomodo potuerit huic reo exhiberi iuramentum in principio processus, & ex ibidem dictis poterit dari responsio ad hanc obiectionem. Dato enim quod tale iuramentum foret indebitè exhibitum, id non annullaret processum, eo quod reus non fuit damnatus ex responso dato in illo iuramento, sed ob multas claras probationes contra ipsum factas post illud iuramentum.

12 Nonò, obiicit Aduocatus, quod aliquæ culpæ præteritæ rei iam fuerant punitæ, & propterea non potuerunt nunc accumulari ad delictum adulterij, vt propter omnes simul posset ab Ordine expelli. Nam vt ait, ex Cæpolla, multæ præsumptiones de diuersis delictis non possunt coniungi ad faciendam probationem. Ad hoc respondetur, quod, imò allegat contra se, & contra reum: nam, reum iam fuisse punitum

punitum sæpius, & non emendatum, arguit incorrigibilitatem, & duritiam animi illius, ob quam incorrigibilitatem ius canonicum & statuta Religionum permittunt illum expelli ab Ordine ne ouis morbida inficiat totum pecus. Et sic toties iste reus punitus, & non emendatus, factus est clarè incorrigibilis de iure. Neque modò, quando Religio hunc expellit propter vltimũ crimen grauius iunctum cum præteritis culpis iã punitis, dicitur directè punire culpas præteritas, iam punitas: sed solùm punit incorrigibilitaté animi nunc perfectè declaratam per vltimum delictum cum præcedentibus iam punitis. Quod verò Aduocatus citat ex Cæpolla, dicente, quod multæ probationes de diuersis delictis non possunt iungi ad faciendam probationem, nihil facit contra nos. Nos enim hîc iungendo culpas istius rei præteritas cum vltimo delicto, non iungimus præsumptiones de variis delictis ad faciendam probationem vltimi delicti; nam vltimum delictum adulterij suas habuit claras probationes; sed iungimus' præterita delicta iam probata, & punita ad probandam modò incorrigibilitatem rei, ob quam iura decernunt illum expelli ab Ordine. Potest hoc explicari exemplo, & praxi tribunali sancti Officij. In quo hæreticus primâ vice punitur, qui si veniam petit, condonatur, ac dimittitur: si vero postea relabitur in hæresim: non illi condonatur, etiam si pœniteat, sed relaxatur brachio sæculari. In qua relaxatione non puniuntn Inquisitores directè primam hæresim iam punitam, & condonatam; sed iungunt illam cum secunda hæresi ad cognoscendam incorrigibilitatem, & duritiem hæretici relapsi, de quo moraliter non speratur emendatio, & propter talem duritiam, & incorrigibilitatem illum relaxant

brachio sæculari. Quod exemplum optimè facit ad nostrum intentum. Addo vltimò, quod in hoc casu ad expulsionem istius rei non fuerit necessarium in rigore iungere culpas præteritas cum vltimo casu adulterij: nam propter solum adulterium poterat expelli ab Ordine per Bullam Pij V. citatam, cùm leges regni, & leges iuris ciuilis puniant adulterum pœna capitis. Vide *in casu pracedente* 28. *num.* 10. aliam solutionem.

13 Decimò obiicit Baccalaureus, quod in hoc processu non extitit vllus accusator, & proinde non potuit ferri talis, ac tam dura sententia sine accusatore. In hoc clarè ostendit Aduocatus quantum ignoret priuilegia, & consuetudines Religionum. Voluit enim introducere in religionem promotores iustitiæ, qui accusent nomine Religionis delicta Religiosorum, quod nunquam in aliqua Religione fuit auditum. Nonne prælati Religiosi ex officio tantum, possunt inquirere in generali, & in speciali præcedente infamiâ, & punire culpatos? Nonne dicunt Iuristæ quod fama supplet locum accusatoris: & in hoc delicto fuit fama plusquam clamorosa, & iuxta hunc solum modum expulsi sunt ab Ordine quotquot expulsi sunt à principio Ordinis sine accusatore cum sola inquisitione prælati facta ex officio præcedente infamiâ. Addo quod in hoc Regno Portugalliæ, sicut accepi à viro graui, & experto, non permittit Rex, quod in supremo suo tribunali sit promotor iustitiæ sæcularis ad accusandum pro republica in processibus carentibus accusatore, idque propter aliqua inconuenientia inde exorta. Si autem in republica sæculari iudicatur inconueniens dari talem promotorem, qui subeat vicem accusatoris: multò magis id expedire

dicendum

dicendum est in religionibus propter pacem, & tranquillitatem illarum.

14 Vndecimò, proteruè, & ferè blasphemè dixit Aduocatus hanc expulsionem fuisse pœnam exorbitantem, datam cum animo crudeli, & animo vindictæ; & comparat iudices cum Achab, & cum Iudæis: in quo satis ostendit suum liuorem dignum sanè magno supplicio, & punitione ob iniuriam factam contra Religiosos positos in dignitate Ecclesiastica. Ad illius tamen infamiam respondetur hanc pœnam expulsionis ab Ordine non fuisse pœnam exorbitantem taxatam à lege Pij V. concedentis quod ob solum adulterium cui lex ciuilis pœnam capitis imponit, possit expelli; fuit etiam pœna taxata in lege seu statuto Ordinis decernente, quod incorrigibilis ab Ordine expellatur: ex prædictis verò constat quod iste reus fuit incorrigibilis de facto, & de iure. Iam verò pœna inflicta iuxta decretum legis nullo modo potest vocari exorbitans à lege. Imò potest probari, quod ista expulsio, cũ exilio ad Angollam fuit pœna mitior quàm illa, quam lex assignat. Nam Bulla citata Pij V. concedit quod possit Religio damnare ad triremes Religiosum committentem delictum, cui lex ciuilis pœnam capitis imponit. Mitior verò pœna satis superque est exilium ad Angollam, quàm damnatio ad triremes, vt patet.

15 Duodecimò taxat Aduocatus, quod iudices Ordinis in sententia dixerint quod si reus appellasset, illi imponerentur aliæ duræ pœnitentiæ. Ad hoc respondetur imprimis quod ista protestatio iudicum de plus torquendo reo appellante, non annullauit sententiam, vel processum: sed vt plurimum mererentur aliquam reprehensionem quando appellatio foret iusta, & à iudicibus repulsa. At in hoc casu cùm

ſententia fuerit iuſtiſſima, & proinde appellatio rei deberet eſſe iniuſta, poterit reo proteſtatio comminatoria fieri de pœna augenda. Neque enim noua res eſt vt imponatur aliqua pœna iniuſtè appellantibus: habetur hoc expreſsè 2.*q.6. cap. omnino*, vbi ſic dicitur: *Omnino puniendus eſt, vt quoties iniuſta appellatio pronuntiatur, ſumptus, quos dum ſequeretur aduerſarius impendit, reddere cogatur, non ſimplos, ſed quadruplos.* Ecce iniuſtè appellans punitur in quadruplum expenſarum. Cùm verò iſte reus appellans iniuſtè non haberet pecuniam, vt ſolueret in quadruplum, non fuit contra ius, quod iudices comminatoriè dicerent ſubiturum illum alias pœnitentias ob iniuſtá appellationem. Nam reus appellans iniuſtè, iniuriam facit iudici, ſuo modo, quatenus illum notat de ignorantia, vel malitia in iudicando, & proinde ſic appellans iniuſtè, vt plurimùm peccat mortaliter, & ex conſequenti aliquâ pœnâ dignus eſt. Facit etiam ad hoc gloſſa in citato cap. *Omnino*, quæ citat ad hoc capitulum *reprehenſibilis*, de appellat. & citat vnam legem ex Codice per quam imponitur pœna quinquaginta librarum argenti appellanti iniuſtè. Si ergo lex ciuilis ſic punit iniuſtè appellantem, quid mirum ſi id faciat prælatus Religioſus ob pacem communem Religionis?

16 Decimotertiò, conqueſtus eſt Aduocatus, eo quod non illi reo commutatum fuerit exilium Angollæ ad exilium ad inſulam Melitæ, vel Gnetam. Ridicula ferè conqueſtio iſta eſt. Numquam Religiones tale exilium expulſis impoſuerunt. Addo quod iudex non tenetur reo imponere pœnam quam reus petierit, ſed illam quam lex aſſignat, vel quam iudex arbitratur eſſe conformem legi, vel delicto. Culpæ verò iſtius rei maiorem pœnam merebantur

bantur per Bullam Pij V. & per statutum generale Religionis.

17 Decimoquartò, arguit Aduocatus, quod Prouincialis reum in carcerem misit, cùm veniret ex Roma portans rescriptum Papæ pro sua causa liquidanda: in hac querela, & in aliis, dicit Baccalaureus, quod reus passus fuerit carceres iniustos, sæuitias, & quod in processu interuenerint media iniusta, & crudeles fines. Vtitur sanè suo sic irreuerenti modo loquendi, seu potius conuitiandi. Respondeo ergo Prouincialem illum carceri mancipasse Roma redeuntem, quia non venit ad Prouincialem viâ rectâ, sicut imponere solet Papa Religioso apostatæ Romam adeunti, cui post absolutionem, vel recursum datum imponitur vt viâ rectâ redeat ad suum prælatum. Iste verò reus post discessum à Roma, intrans Portugalliam iuit Olysipponem, & in eo commoratus est per aliquos dies moram faciens in domibus sæcularium, neque accedens ad conuentum suæ prouinciæ, donec à quodam Religioso sui Ordinis captus est, & tanquam apostata traditus conuentui suæ prouinciæ. Addo quod cùm ille Romam adierit apostata, & de hoc constaret publicè, & propter dictam Apostasiam pœna carceris illi esset imposita per approbata Ordinis statuta, nihil nouum fecit prælatus illum sic venientem carcerare propter præteritam publicam apostasiam, maximè cum nondum legerit rescriptum Papæ, nec sciret quid in illo contineretur.

18 Vltimò petit Aduocatus nomine rei, vt sibi Religio det pecunias, quas insumpserit in processu suæ defensionis, pro quo posset allegare capitulum *ex parte, de accusat.* vbi decernitur, quod Religioso litiganti contra prælatum dentur expensæ ad litem de bonis

conuentus. Ad hoc iam ego respondi in alio simili casu cuiusdam Religiosi, qui appellauit ad Tribunal Nuncij Apostolici, & petiit expensas à conuentu Minorum, cuius ille erat professus, & tamen expensæ non sunt illi datæ à conuentu. Dico ergo ad textum citati capitis cum Abbate super idem caput, dicente, quod dictum capitulum solum intelligitur, quando Religiosus mouet litem prælato pro bono communi ipsius conuentus, quia scilicet Abbas dilapidator est, vel quid simile: non verò si subditus in suo litigio procuret suum tantum bonum, & interesse particulare; tunc enim non tenetur conuentus dare expensas litiganti. Sic expresse tenet Riccius *tom.* 1. *Decisionum collectanea* 850. vbi ait, quod si subditus accuset Abbatem ex causa propria, non debentur illi alimenta, id est, expensæ, & citat vnam decisionem Rotæ, quæ est in ordine 799. Hic autem reus non mouet litem prælato ob causam pertinentem ad bonum commune, sed ad suum particulare: ac proinde non tenetur conuentus dare expensas. Idem tenet Panorm. *ad citatum cap. Ex parte* num.13. Secundò respondetur, quod citatum cap. *Ex parte*, intelligitur de conuentu, qui habet redditus annuales in communi. Conuentus autem istius Religiosi non habebat redditus in communi. Sic tenet Henricus super citatum caput, dicens conuentum habentem redditus annuales teneri dare expensas subdito ad lites: secus de conuentu carente redditibus. Et confirmatur exemplo omnino simili. Nam quando pater est omnino pauper, non tenetur dare alimenta filio: neque maritus pauper tenetur alimentare vxorem, vt tradit Sanchez *lib.9. de matrim. disp.4.q.2. à num.*20. citans multos Doctores, & tenet Riccius *cit. tom.collectanea* 97. At maior

obligatio

obligatio est patris alendi filium, cùm sit obligatio naturalis, & maior obligatio est mariti alendi vxorem, quàm sit Religionis pauperis dandi subdito expensas ad lites, quæ non sunt alimenta. Vltimò respondetur, quod pater non tenetur dare alimenta filio, qui sibi fuit ingratus, vel ipsum patrem grauiter infamauit, vt tenet Riccius *eodem tomo* 1. *collectanea* 962. citans, & sequens Baldum *decisione* 29. At iste reus fuit ingratus matri suæ Religioni, & illam toties infamauit dando scandala grauissima, prout continetur in processu: ergo non tenetur expensas ad lites motas contra Religionem.

CASVS XXX.

De ingressu in clausuram Monialium.

QVædam Abbatissa admisit intra clausuram per spatium notabile duas mulieres suas consanguineas. Reprehensa de hoc per Prouincialem, confessa est, sed dixit id sæpius factum fuisse in illo conuentu, neque se putasse in eo peccare, quia nunquam vidit illum casum in illo conuentu punitum. Et hoc contigit anno 1633.

Quæsitum est primò, an Abbatissa incurrerit excommunicationem, & priuationem officij, & inhabilitatis ad futura?

Secundò an prædicta Abbatissa potuerit excusari ab incursione prædictarum pœnarum propter bonam fidem, & ignorantiam?

Responsum

Responsum ad primum.

Quæstio hæc valde controuersa est inter Doctores graues, & recentiores, propter Bullam D. Papæ Gregor. XIII. quæ incipit: *Vbi gratia*, quæ præcipuè transcribitur à Rodriguez in fine expositionis Cruciatæ. In qua Papa reuocat omnes licentias suas, & antecessorum suorum, concessas viris, ac mulieribus ingrediendi monasteria monialium, vel virorum. Prælatis verò tam masculis, quàm fœminis, qui aliquem admiserint intra suam clausuram virtute prædictarum licentiarum Papalium annullatarum, imponit Papa pœnam excommunicationis ipso facto, & priuationis officiorum quorumlibet: & inhabilitatis ad quæcumque officia in posterum obtinenda.

1 Circa cuius Bullæ expositionem graues Doctores recentiores dixerunt, & scripserunt, quod Abbatissa, quæ personas sæculares masculos, vel fœminas intra clausuram admiserit non virtute alicuius licentiæ papalis annullatæ in prædicta Bulla Gregor. XIII. sed ad libitum suum, admittendo sæcularem, qui nunquam talem licentiam habuit, etiamsi admittat sine necessitate, dicunt hanc Abbatissam non incurrere excommunicationem, nec priuationem officij, neque inhabilitatem ad futura officia. Hi Doctores sunt Suarez *de censuris disput.* 22. *sect.* 6. *num.* 11. *& seqq.* Sayrus *de censuris lib.* 3. *cap.* 31. *num.* 10. Rodrig. *tom.* 1. *qq. q.* 47. *art.* 1. *&* *q.* 48. *art.* 2. *per totum.* Miranda *tract. de Monialibus q.* 2. *art.* 10. *concl.* 1. Zerola *in praxi Episcopali* 1. *p. verbo, Moniales* q. 8. Sanchez *lib.* 6. *Decalogi cap.* 16. *num.* 79. Sà *in Aphoris. verbo de excommunicationibus Papæ reseruatis num.* 15. Principale fundamentum istius opinionis est: quia Bulla Gregor.

gor. XIII. est valde pœnalis, & odiosa, vt pote continens excommunicationem, priuationem, & inhabilitatem officiorum: at lex pœnalis est restringenda, & non extendenda de vno casu ad alium similem, per *regulam iuris in 6. odia restringi*, &c. ergo Bulla Gregor. XIII. puniens Abbatissam admittentem sæculares intra clausuram virtute licentiarum Papalium reuocatarum, non comprehendit Abbatissam illos admittentem, qui carent licentiis annullatis; sed eos admittit intuitu consanguinitatis, vel alterius temporalis respectus gratiâ. Et Rodriguez *citato art. 1. q. 47.* citat Caietanum & Castro pro sua opinione, dicentes legem pœnalem nunquam posse extendi vltra illum casum, de quo loquitur. Adducit ibi Rodriguez aliqua exempla, quæ non cogunt, & facilè soluentur ex illis, quæ adducemus pro sequenti opinione.

2 Quo non obstante, ego verius puto oppositum, talem scilicet Abbatissam incurrisse excommunicationem, & priuationem officij. Hanc opinionem tenet Nauar. *in Manuali cap. 17. num. 105. excommunicatione* 61. Coriolanum *de casibus reseruatis 2. p. cap. 3. num.* 40. Beia *in Respons. moral. 1. p. casu* 30. Quaranta *verbo Monialium monasteria, vers. Amplia prædictam constitutionem.* Azor *1. p. lib. 13. cap. 8 q. vltima*, Filliutius citatus à Bonacina *tom. 1. q. 4. clausura puncto 5. num.* 4. qui Filliutius ait hanc sententiam esse comprobatam stylo, & praxi pœnitentiariæ. Tenet eandem Rodriguez in expositione Bullæ Cruciatæ, quando explicat motum proprium Pij V. & Gregorij XIII. circa clausuram virorum, & Monialium toto num. 7. & denique Bonacina citato proximè loco dicit tutius esse hanc opinionem in praxi sequi. Et quamuis Rodriguez postea citato art. 1. videatur sibi contrarius

ob

ob dicta in expositione Cruciatæ; eius tamen nepos ex fratre Hieronymus Rodriguez in suis resolutionibus *resolut. 26. num. 19.* nititur illum explicare, vt non se retractet à dictis in Cruciata. Fundamentum præcipuum istius opinionis ponitur à Rodriguez citato loco Cruciatæ: videlicet, quod finis legis, & mens legis sunt attendenda, & seruanda potius quàm verba legis, vt habetur expressè in Regula vltima de regulis iuris in 6. sic dicente: *Certum est quod is committit in legem qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* At finis, & intentio, Greg. XIII. in sua Bulla, est occurrere quieti Monialium & tollere impedimenta, pericula, & scandala orta ex ingressu sæcularium: sic enim habetur in Bulla: *Sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, atque omnia quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculáque, & scandala ab eis remouere cupientes*, &c. Ecce finis, & mens Pontificis in illa Bulla. At omnia illa quæ Papa ibi prætendit amouere, contingunt, seu contingere possunt in ingressu sæcularium in clausuram Monialium, non virtute licentiarum annullatarum: ergo Abbatissa illos admittens non virtute licentiarum annullatarum prædictas pœnas incurrit. Imò addo, quod maiora pericula, scandala, & inquietudo possunt sequi ex ingressu sæcularium non habentium licentias Papales, quàm ex ingressu illas habentium. Nam Papa non solet concedere licentias ad clausuram Monialium nisi personis probatæ vitæ, & honestis, & nobilibus, de quibus vt plurimum non præsumitur periculum: Abbatissa verò de non habentibus licentias Papales, poterit admittere personas non spectatæ vitæ non nobiles, & de quibus poterit timeri periculum, & scandalum. Secundò, principaliter probatur, quia

lex

lex pœnalis potest, ac debet extendi ad casum similem, in quo reperitur eadem omnino ratio assignata in priori lege. Ita tenet Sanchez *lib.3.de matrim.disp.42. num.4.* pro quo citat ibi tredecim Doctores vtriusque iuris, graues, & maiori ex parte recentiores: & ponit exemplum. In cap.fin. §.*Si quis verò*, de clandestin. desponsat. ponitur pœna contrahentibus matrimonium clandestinum in gradu prohibito, quod filij inde nati euadant illegitimi, quando parentes sunt consanguinei. Quo posito quærit Sanchez an eadem pœna illegitimitatis filiorum iudicanda sit in matrimonio alio quocunque nullo ob quodcũque impedimentum irritans, etiamsi non sit impedimentum consanguinitatis, & affinitatis. Et respondet Sanch. quod sic, & quod prædicta pœna extenditur ad aliud quocunque matrimonium irritum, ob quoduis aliud impedimentum irritans, ad quod citat illos 13.Doctores. At ratio & finis Bullæ pœnalis Greg. XIII. videlicet inquietudo monialium, pericula, & scandala, militant eodem modo, imò & potiori modo in ingressu ad clausuram quando sæculares intrant sine licentiis annullaris: ergo etiam ad hunc ingressum extendi debent pœnæ positæ in Bulla Gregor. XIII.

3 Tertiò probatur eadem conclusio. Nam lex pœnalis, quæ aliàs datur pro salute animarum, est fauorabilis, & proinde extendi debet ad casus similes: ita docet Sanchez *lib.1. de matrim. disp. 39. num.5.* citans multos, & graues Doctores, & textus. At ista Bulla Gregorij licet in parte sit pœnalis, est tamen lata in fauorem animarum, vt vitetur peccatum, vt patet; ergo debet extendi ad similes casus. Et ponit ibi Sanchez exemplum satis accommodatum ad casum præsentem. Aliud exemplum ponit Nauarrus *in expositione*

poſitione Extrauagantis de datis, & promiſſis pro impetratione alicuius gratiæ Papalis, notat. 9. *num.* 10. dicens, quod licet iu illa Extrauaganti ſolum exprimatur excommunicatio contra dantem, & promittentem aliquid pro impetratione alicuius gratiæ fiendæ alicui: eadem tamen excommunicatio incurritur ab illo, qui dat aliquid ne aliqua gratia Papalis alicui concedatur, cum tamen hoc ſecundum non exprimatur in Bulla, eo quod vtrobique militet eadem omnino ratio. Quod optimè poteſt applicari ad iſtum caſum. Quartò probatur argumento tacto à Rodrig. *cit. loco Cruciatæ.* Nam, ſi per iſtam Bullam Gregorij non punirentur ingredientes Monialium clauſuram ad libitum & ſine licentiis annullatis, Bulla prædicta Gregorij eſſet penè fruſtratoria. Nam perſonæ habentes aliquam facultatem Papalem ingrediendi, illam comburerent, illique renuntiarent, dicentes ſe velle intrare abſque talibus licentiis, ſicut intrant illi, qui tales licentias nunquam habuerunt: & ſic Abbatiſſæ quoſcumque indebitè admittentes nunquam punirentur, & manerent crimina impunita, & lex Papæ eſſet fruſtratoria, quæ duo in iure ſunt omnino reprobata. Denique vt ceſſet omnis dubitatio, refert Rodriguez *citato loco Cruciatæ* ex Nauarro, Pium V. hac de re conſultum reſpondiſſe ſuam Bullam circa clauſuram locum habere non ſolùm in intrantibus mulieribus, quæ aliàs habuerũt licentiam intrandi, ſed etiam in aliis quæ talem licentiam non habebant. Et ait ita obſer[illegible] à Pœnitentiariis Romæ ex reſponſione Gregorij XIII. Quas duas declarationes pontificias non ceſſaſſe, probat ibi efficaciter Rodriguez *cit. n.*7. ob quas rationes tam claras, & euidẽtes, etiamſi contraria opinio haberet plures Doctores, imò etiãſi foret opinio communis

communis (qualis non est) ab illa esset recedendum, maximè in materia peccati. Nam, vti ait Nauarrus *in Manuali cap.7.num.4.* ab opinione communi recedendum est, quando pro parte contraria datur textus, vel ratio cui bene non potest responderi.

4 Ad argumentum suprapositum pro parte opposita, dicens, quod ista lex est pœnalis, & proinde restringenda, satis manet responsum ex dictis *proximè num.2.& 3.* vbi diximus, & probauimus, quod lex pœnalis potest extendi ad casum similem, in quo militat eadem omnino ratio: vel etiam quando lex pœnalis est lata in salutem animarum, quæ duo diximus habere locum in ista Bulla, & casu de quo loquimur: pro quo etiam satis efficacia exempla adduximus.

Responsio ad secundum quæsitum.

5 Non modicam continet difficultatem responsum Abbatissæ dicentis se habere, vel habuisse ignorantiam talis excommunicationis: videtur enim hoc valde facere ad suam excusationem. Pro quo valde facit quod tradit Suarez *tom. de censuris disput. 4. sect.8. num.19.* vbi ait ignorantiam inuincibilem præcepti Ecclesiastici ita excusare à censura, vt quamuis actus sit contra ius diuinum, & naturale, & homo contra illud peccet, nihilominus censuram non incurrat. Et declarat exemplo, dicens. Si quis ignoret inuincibiliter prohibitum esse ab Ecclesia sub excommunicatione ne quis clericum percutiat, non incurret excommunicationem, etiamsi contra ius naturale, & diuinum peccet iniuriam faciendo clerico, qui consonat, quod tradit Reginaldus *tomo 2. lib.31. num.298.* vbi ponit exemplum, illius qui scienter baptizat filium

coniugis suæ extra necessitatem extremam: ob quod punitur pœna vt nos possit ab illa petere debitum: si tamen taliter baptizans ignoret talem pœnam ab Ecclesia imponi taliter baptizanti, euadet talem pœnam. At in Abbatissa fœmina facile est dari ignorantiam Bullarum Papalium, cùm mulieres, vt plurimùm talium Bullarum ignorantiam habeant.

6 Dico primò, hanc Abbatissam posse in foro interno conscientiæ excusari à peccato, & à pœna per ignorantiam inuincibilem. Est communis Doctorum in materia de ignorantia; & probatur breuiter, quia ignorantia causat inuoluntarium, vt patet; peccatum verò de sua essentia est voluntarium, ac proinde si non est voluntarium, non est peccatum: si autem non datúr peccatum, non datur pœna excommunicationis in foro interno. Excommunicatio enim non imponitur nisi ob peccatum mortale. Secundò probatur, seu declaratur, nam ignorans non consentit; patet ex *glossa in Clementina prima, de procuratoribus, in verbo* Scienter, vbi citat tres textus iuris Canonici id affirmantes. At si ista Abbatissa ignorauit, vtique non consensit: absque consensu verò non datur peccatum, nec proinde pœna.

7 Dico secundò: hæc Abbatissa in foro externo potest puniri tanquam excommunicata; & proinde iustè priuari officio. Probatur primò, & clarè ex regula 13. iuris *de regulis iuris in* 6. vbi sic dicitur: *Ignorantia facti, non iuris excusat*: vbi clarè vides, quod ignorantia iuris neminem excusat: quod Doctores intelligunt de foro externo. Et ratio id probat, quia nemo præsumitur ignorare id quod Respublica præcipit; & præterea quia si ignorantia iuris communis in foro externo posset allegari ad euadendam pœnam legis,

legis, omnes illam allegarent, & sic manerent ferè omnia crimina impunita. Secundò probatur, quia nemo potest allegare ignorantiam in illis, quæ spectant ad suum officium, cum vnusquisque teneatur sub mortali scire illa quæ pertinent ad suum officium, vt tenet inter alios Suarez *tom. de censuris disputat.* 4. *sect.*8.*num.*14. Ad pertinet ad officium Abbatissæ non admittere sæculares ad clausuram, cùm id prohibeat ius publicum Concilij Tridentini, & duæ Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. in praxi quotidiana ab omnibus Abbatissis seruatæ: ergo circa hoc non potuit Abbatissa allegare ignorantiam. Tertiò, quia ignorantia istius Abbatissæ fuit crassa. Dicitur verò à Doctoribus ignorantia crassa illa, quâ ignoratur illud quod est clarissimum, & quod scitur ab omnibus: at sæcularibus interdici ingressum ad clausuram Monialium est res clarissima,& scitur ab omnibus Abbatissis: ergo istius ignorantia fuit crassa. Constat verò ex communi Doctorum, quod ignorantia crassa neque excusat à culpa, neque à pœna. Quartò probatur, quia ista ignorantia non fuit conuincibilis, sed vincibilis: potuit enim vinci facile consulendo, & interrogando suum confessorem Religiosum, qui semper assistit prope conuentum Monialium, quod illa non fecit. At constat quod ignorantia vincibilis neminem excusat.

8 Quod verò dicitur respondisse Abbatissam, se id vidisse fieri sæpius in illo conuentu, id non illam excusat: nam error aliorum non potest prodesse alicui: neque errores aliarum potuerunt abrogare Tridentinum, & duas Bullas Pontificias, maximè in tam breui tempore.

9 Ad argumentum verò positum *sup. n.* 5. dicendum

est Suarez loqui de foro interno, in quo nos etiam *sup. num.* 6. diximus ignorantiam inuincibilem pœnæ excusare à pœna : secus dicendum credimus de foro externo, siue contentioso, iuxta dicta *num.*7. Imò & ipse Suarez *citata sect.* 8. *num.* 18. expressè ait, quod in foro externo sæpius præsumetur ignorantia culpabilis, quem ibi videre poteris. Et adhuc pro maiori probatione aduerto cum Mascardo *tom.*2. *de probat. concl.*879. *num.*22. vbi dicit quod ignorantia nulli patrocinatur in factis publicis, id est, in decretis publicatis. Pro quo citat cap. *Qui & humanis*.12.*q*.2. vbi Papa sic dicit : *Cùm non potuerit ignorare sententiam proprij sacerdotis.* Pro quo citat ibi tres glossas vtriusque iuris, & sex Doctores grauissimos. In hoc verò casu dantur duo decreta pontificia publicata præter Concilium Tridentinum. Secundò idem Mascard.*cit. concl.* ait, quod cum aliquis tenetur ex officio aliquid agere, tenetur indagare id de quo dubitat, quia tenetur habere curam ouium suarum, pro quo citat multos, & graues Doctorès vtriusque iuris, quæ coadiuuant illa quæ nos proximè diximus *num.*7.

10. Quæris, in capitulo *pastoralis*, de except. & in cap. *Si verò*, 20. de sententia excom. conceditur quod ignorantia probari possit per iuramentum dicentis se ignorasse : nam iuxta Nauarr. *tom. consil. consilio* 1. *de constit. num.* 7. ea quæ latent in mente, qualis est ignorantia, non possunt aliter probari, quàm per iuramentum. Quæris, inquam, vtrùm huic Abbatissæ possit exhiberi iuramentum de sua ignorantia, illâque iurante quod ignorauerit, eidem credendum sit, & proinde libera euadat ? Respondeo, meo iudicio, illi non esse exhibendum tale iuramentum : nam casus positi in illis duobus capitibus citatis sunt

nimis diuersi à casu, de quo quærimus. Ibi enim in vtroque casu agitur de probando ignorantia facti, quæ excusat. At nos quærimus in hoc casu de probanda ignorantia iuris, quæ non excusat. Hoc constat, quia in primo citato capite *pastoralis*, concedit Papa, quod dicente aliquo ad suam notitiam non peruenisse notificationem iudicis, nisi post terminum transactum, possit id probare iuramentu: quæ non erat ignorantia iuris communis, sed ignorantia facti, vel mandati particularis. Item in capite *Si verò*, concedit Papa, quod si aliquis percussor clerici nutrientis comam allegauerit se ignorasse quod erat clericus, admittatur ad id probandum cum iuramento quæ ignorantia clarè erat ignorantia facti, quæ probata excusat. At in nostro casu agitur de probanda ignorantia iuris communis, duarum scilicet Bullarum Papalium, quæ ignorantia etiam si probetur non excusat, per regulam 13. iuris citatam *num.*7. quæ dicit ignorantiam iuris non excusare. Facit denique quod tradit Mascardus *citato tomo* 2. *conclus.* 881. *num.*18. dicens non posse probari ignorantim per iuramentum, quando ignorantia non est verisimilis, & pro hac opinione citat Alexandrum, Albanum, & Felinum. At ignorantia istius Abbatissæ non est verisimilis; quia verisimile non est ignorari id quod scit, & practicat tota Ecclesia, videlicet arceri sæculares ab ingressu clausuræ Monialum.

***

CASVS XXXI.

Vtrùm Prouincialis possit transferre Monialem de vno conuentu, vt sit Abbatissa in alio conuentu.

NOn rarò contigit vt sit necessarium transferri vnam Monialem in alium conuentum, qui vel de nouo fundatur, vel iam fundatum indiget reformatione nouæ Abbatissæ. Et proinde quæritur, an Prouincialis regularis, vel Episcopus in Monasteriis sibi subditis possit Monialem sibi subditam sine licentia Papæ transferre in alium conuentum nouum, vel antiquum, vt sit ibi Abbatissa prima fundatrix, vel reformatrix? Et quod ista de causa non possit Monialis ad alium conuentum transferri sine expressa licentia Papæ, videtur probari primò, quia Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Decori, & honestati*, declarans casu s, ob quos licitum est Monialibus egredi à clausura absque licentia Papæ, tres tantùm exprimit. Primus est, si in Monasterio excitetur magnum incendium. Secundus est si aliqua Monialis sit leprâ infecta. Tertius est si adsit morbus Epidemiæ: quorum morborum explicationem non est nostrum hîc afferre. Cùm ergo Papa hos solos tres casus exprimat, in quibus Moniales possunt exire, & materia sit valde odiosa, & prohibita, sequitur quod omnes alij casus, vel causæ exeundi ibi non expressæ sunt exclusæ, & proinde non sit licitum exire ad fundandum, vel reformandum alium conuentum absque speciali licentia Papæ.

Probatur

Probatur ex illa maxima Iuristarum, quæ dicit: ***Expressum in lege facit cessare præsumptum.*** Et illa alia dicente, quod inclusio vnius est exclusio alterius. De quo Brunor. *in suis locis communibus, verbo* Lex, *numer.* 18. sed illa Bulla Pij V. exprimit solas illas tres causas exeundi: ergo excludit omnes alias. Et proinde excludit etiam causam exeundi ad reformandum conuentum non contentum in Bulla citata Pij V. & in terminis id expressè tenet Rodriguez *in addit. ad summam tom. 3. cap. 3. conclus.* 2. & Zerola *in praxi 2 parte, verbo* Moniales §.8. qui dicunt non posse Prouincialem transferre Monialem ad fundandum, vel reformandum alium conuentum absque expressa licentia Papæ, quia sic dicunt declarasse sacram Congregationem Cardinalium.

1 In hac re primò dicam, quid Doctores sentiant, semotis priuilegiis. Igitur Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 1. *de clausura, punct.* 9. *num.* 10. citat Rodriguez, Sorbum, Capuccinum, Miranda, Sanchez, Nauarr. & alios dicentes absolutè contra Zerolam, posse Prouincialem transferre Monialem in alium conuentum, vt sit in illo Abbatissa, vel Magistra Nouitiarum: qui Doctores à Bonacina citati non requirunt consensum expressum Papæ pro tali translatione. Et hos Doctores ibi Bonacina non reprobat, quamuis dicat tutius esse Sedem Apostolicam consulere, propter dictam declarationem Cardinalium. Et quidem Sorbus vir doctissimus, & Italus *in suis addit. ad compendium, verbo* Moniales, §. *vlt.* dicens cum Nauarr. posse generalem eadem causa transferre Monialem, non requirit specialem licentiam Papæ. Eodémque modo Sanchez vir doctissimus *lib.6. Decalogi cap.13. num.45.* dicens cum multis

posse Monialem à prælato transferri ad alium conuentum vt sit Abbatissa, nec requirit specialem licentiam Papæ, neque facit mentionem declarationis alicuius Cardinalium circa hanc materiam factæ, imò ibi impugnat Zerolam, quem diximus dixisse talem declarationem extare. Et sanè mirum esset, quod si talis declaratio Cardinalium extaret, illam ignorarent tales, ac tanti viri, neque illius meminissent illi, & alij Doctores in materia tam graui & quotidiana. Secundò probatur argumento efficaci, nam in regula secunda Monialium sanctæ Claræ, rubrica secunda, postquam dixit Vrbanus IV. quod Moniales illius debeant seruare perpetuam clausuram, excipit statim dicens, quod nihilominus poterunt inde exire si Cardinalis, qui fuerit illarum gubernator, mandauerit aliquas illarum ad plantandam aliam Religionem, vel ad reformandum aliquod monasterium, vel causâ regiminis, vel correctionis, &c. Erant enim tunc prædictæ Moniales subiectæ illi Cardinali à Papa designato, non verò prælatis Franciscanis. Postea prædictæ Moniales fuerunt per sedem Apostolicam subiectæ prælatis Minorum; & sicut habetur in compendio Mendicantium *verbo Ministri* §.8. Iulius secundus concessit vt Prouinciales Minorum habeant eandem potestatem circa Moniales sanctæ Claræ eorum curæ cõmissas, quam Vrbanus IV. in regula prædictarum Monialium commisit Cardinali protectori dicti Ordinis. Quo posito, sic deduco: Cardinalis tunc gubernator dictarum Monialium poterat transferre aliquas Moniales, & licentiare ad egrediendum concurrente aliqua ex causis proximè dictis: ergo idem hodie possunt facere Prouinciales Minorum habentes circa easdem Moniales omnem iurisdictionem, quam

habebat

habebat Cardinalis olim illarum gubernator, per citatam concessionem Iulij secundi. Idem affirmat Collector priuilegiorum *in compendio Medicantium*, *verbo* Clausura *super* §. 5. vbi inter alias notationes, & casus ob quos Monialis sanctæ Claræ potest exire à clausura, dicit esse, quod poterit exire de licentia prælati, vt sit Abbatissa in alio monasterio, vel vt sit Magistra Nouitiarum, vel vt ponatur in aliquo officio, in quo multum consistit honestas Religionis, quale est habere custodiam portæ. Et addit ibi, quod si Monialis sic translata finito officio vult regredi ad suum priorem conuentum, poterit reuerti sola, si illius socia nolit cum illa redire.

2 Vltimò probatur eadem conclusio, ex eo quod tradunt communiter omnes graues Doctores recentiores post cit. Bullam Pij V. nam licet Bulla citata ob solas illas tres causas iam dictas, concedat Monialibus egressum à clausura, nihilominus non prohibet quin possint egredi si vltra illos tres casus contingant alij casus similes, vrgentes, & necessarij ob bonum commune Monialium, quale indicatur exitus vt sit Abbatissa, & similes. Sic tenet imprimis Sanchez *lib.6. Decalogi cap.15. num.37.* Rationem assignat, quia dictio taxatiua (qualis est *duntaxat*, *nisi*, *solum*, & similes) non excludit casus similes, & in quibus eadem ratio vel vrgenitor militat; pro quo citat Doctores, & textus vsque ad fastidium: quamuis ergo Pius V. in illa Bulla solum exprimat illos tres casus, propter quos licitum sit egredi à clausura, non excludit tamen alios casus similes in quibus militet magna ratio necessitatis. Hoc ipsum tenet Bonacina *tomo 1. q.1. de clausura, puncto 9. num.6.* ob rationem proximè citatam ex Sanchez: & addit hanc aliam, quia

ſcilicet in omnibus diſpoſitionibus eſt locus Epiicheiæ præſertim in re, quæ ad commune bonum dirigitur. Et addit quòd in tali egreſſu, de quo loquitur, non violatur regularis obſeruantia Monialium: quin potius illi prouidetur. Et vt omittam multos alios Doctores recentiores id aſſirmãtes, adduco ſolum gloſſam ſuper capitulum *periculoſo*, de ſtatu regular. in 6. quod capitulum eſt Bonifacij VIII. qui primus clauſuram indicit Monialibus illas ibi rigorosè obligans ad clauſuram. Quo non obſtante, gloſſa ibi in verbo *perpetua*, ponit hæc verba ex Archidiacono: *Non credo quod decretalis iſta tollat, quin poſſent, ſi vellent, ad ſtrictiorem Religionem tranſire. Item quin vna Monialis ad regimen alterius Monaſterij poſſit aſſumi*, &c.

3 Reſtat reſpondere ad declarationem Cardinalium, quam Zerola citat, quæ ait neceſſariam eſſe licentiam Papæ ſpecialem, vt Monialis poſſit ire ad gubernandum aliud monaſterium. Ad quam dico primò talem declarationem non oſtendi authenticam. Secundò dico cum ferè communi recentiorum opinione, Cardinalium declarationes non obligare nos ad illas ſequendas. Probatur, quia non ſunt lex. Nam de ratione, & eſſentia legis eſt vt promulgetur, & publicetur populo; tales verò declarationes non promulgantur in Eccleſia, & proinde non obligant ad ſui obſeruantiam: & idem dicendum eſt de deciſionibus Rotæ Romanæ. Sic tenet Nauarrus *lib. 5. conſiliorum conſil. 15. de ſentent. excommunic.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſputat. 2. num. 10.* Martinus Delrio *lib. 8. Magic. cap. 1. ſect. 3. prope finem.* Valero Cartuxano *lib. de differ. vtriuſque fori, fol. 222.* Vega Minimus *verbo*, Deſcomunion *caſu 226. col. 967.* & nouiſſimè Bonacina, cùm ſit Italus, *tom. 2. diſp. 1. de legibus, quæſt. 1. punct. 8. num. 4.*

& citat Suarez, Salas, & alios: & asserit aliquos recentiores Doctores adhæsisse aliquibus opinionibus contra declarationes Cardinalium: per quæ tollitur omnis scrupulus ortus ex citata declaratione Cardinalium. Secundò respondeti potest ad dictam declarationem, id quod respondet Azor ferè in simili materia,& Sà *in Aphor.verb.* Religio *n.*37.qui dicunt quod si aliqua Religio habet priuilegium Papæ prohibens ne sui Religiosi transeant ad aliam Religionem nisi petitâ, & obtentâ licentiâ: & nihilominus aliquis Religiosus transeat licentiâ non obtentâ, transitus est validus, si aliàs transit ad Religionem strictiorem, & non ex leuitate animi, sed cum conditionibus positis in c. *licet*, de regular. quia inquit Azor, illa prohibitio transitus solùm fit ne subditus transeat ex leuitate ad Religionem non strictiorem; quare si de opposito constet, validus erit transitus. Eodem modo dicendum, fortasse prædictam declarationem Cardinalium petentem licentiam specialem Papæ ad translationem Monialis, de qua quærimus, solum inseruire ne transitus fiat indebitè,de Moniali indigna non habente annos 40. &c. Si verò constet de opposito, & quod nihil indebitè fit, egressus erit validus, & non accusandus.

4 Ad argumentum positum in principio pro parte opposita, responsum manet ex dictis *num.*2. vbi diximus cum Sanchez, & Bonacina, quod particula taxatiua extenditur ad similes casus. Et proinde licet citata Bulla Pij V. ponat tres illos tantum casus cum particula taxatiua, vt non possint egredi nisi in illis tribus, respondetur, quod dictio illa taxatiua, *nisi*, extenditur etiam ad alios casus similes, vt diximus *citato num.*2.

5 Vltimò

5 Vltimò quæris, an iſta monialis ſic tranſmiſſa ad alium conuentum pro Abbatiſſa debeat eligi in Abbatiſſam per ſuffragia conuentus, à quo egreditur, vel per ſuffragia conuentus ad quem mittitur? Videtur enim quod non poſſit aliqua eſſe Abbatiſſa niſi per electionem Monialium, vt patet ex cap. *Indemnitatibus*, de elect. in 6. & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.25. cap.7. de reguiar.* vbi datur forma eligendi Abbatiſſam. Reſpondetur in hoc caſu talem Monialem miſſam pro Abbatiſſa, nec debere eligi per ſuffragia conuentus à quo exit, nec per ſuffragia conuentus ad quem mittitur, ſic enim praxis obſeruat. citata verò capita loquuntur de Abbatiſſa, quæ fit via ordinaria, & debet fieri per electionem conuentus, & eſt Abbatiſſa quaſi ordinaria. Hæc verò de qua loquimur eſt Abbatiſſa quaſi extraordinaria, in qua non habent locum citata iura loquentia de Abbatiſſa ordinaria.

CASVS XXXII.

De quodam Religioſo indebitè promoto ad Ordines ſacros.

QVidam prælatus regularis conceſſit licentiam ſubdito, vt poſſet recipere Ordinem Diaconatus, & in litteris patentibus ſigillo magno munitis ſpecificauit, quod dictum Ordinem ſacrum reciperet Eboræ, verbi gratiâ. Subditus fecit alias litteras patentes in perſona Prouincialis, in quibus illi concedebat vt prædictum Ordinem Diaconatus poſſet recipere Olyſippone: & his litteris à ſe confectis appoſuit

posuit verum sigillum magnum Prouincialis positum in litteris prioribus.

Quæsitum fuit primò, vtrùm hic Religiosus fuerit falsarius quamuis apponeret verum sigillum Prouincialis?

Secundò, an fuerit apostatata, idest, fugitiuus eundo Olysipponem ad suscipiendos Ordines, cùm Prouincialis illi non dederit licentiam eundi Olysipponem, sed eundi Eboram?

Tertiò, an sic suscipiens Ordinem sacrum Olysippone, susceperit illum existens in excommunicatione, & proinde aliquas pœnas incurrerit?

Responsio.

1 Ad primum respondeo prædictum Religiosum absque dubio fuisse falsarium: probatur clarè, quia vt aliquis dicatur falsarius sufficit quod in scriptura mutet, vel deleat, vel apponat aliquod verbum, quod faciat diuersum sensum, vt tradit communis opinio, maximè Suarez *tom. de censuris disp.* 21. *sect.* 2. At iste non solum mutauit vnum verbum, sed multa verba facientia sensum diuersum; pro verbis enim dicentibus, vt iret Eboram, apposuit vt iret Olysipponem, quod est valde diuersum. Præterea fecit subscriptionem Prouincialis in secundis litteris, quam Prouincialis non apposuit, & hoc est principale delictum ad constituendum aliquem falsarium. Neque obstat quod litteris à se factis apposuit verum sigillum Prouincialis: id enim illum non excusat à culpa, & pœna falsarij, quia tale sigillum apposuit inuito Prouinciali. Sic in terminis docet Bonacina *tomo* 3. *disp.* 1. *de censuris Bullæ Cœnæ q.* 7. *punct.* 1. *num.* 3. vbi recensens illa

quæ

quæ faciunt aliquem falsarium, ait per hæc sequentia fieri falsarium. Primò, aliquid addendo, vel subtrahendo, idque siue scribat, siue subscribat. Secundò, radendo, secando, vel lauando. Tetiò, sigillum verum falsis litteris apponendo: quod fecit hic de quo loquimur. Quartò fabricando falsas litteras, aut signando falso sigillo, vel etiam vero, sed sine consensu illius ad quem spectat. Sic Bonacina, & citat Vgolinum, Alterium, Duardum, Sayrum, & alios. Et per hæc satis respondetur primo quæsito.

2 Ad secundum quæsitum dico hunc Religiosum fuisse apostatam, id est fugitiuum, pro quo præmitto prius, in Religione istius Religiosi dari statutum generale circa apostatas, in quo sic dicitur. Intelligimus autem apostatam omnem fratrem, qui sine licentia, vel contra obedientiam suorum prælatorum per terras, loca, cum habitu, vel sine habitu, cum socio, vel sine socio iuerit: & generaliter absque Ordinis licentia quomodolibet discedentem, &c. Hic autem Religiosus absque licentia Prouincialis iuit Olysipponem distantem per ferè viginti leucas à ciuitate, quam illi assignauit. Iam verò in eodem statuto Ordinis huiusmodi apostatæ, seu fugitiui sunt excommunicati ipso facto.

3 Ad tertium quæsitum dico, constare ex proximè dictis, prædictum Religiosum suscepisse Ordinem sacrum dum existeret excommunicatus excommunicatione maiori. Ad quæsitum verò hinc resultans, quam scilicet pœnam incurrerit suscipiendo Ordines existens excommunicatus, dico cum communi opinione illum incurrisse censuram suspensionis: de quo latè Suarez *tomo de censuris disput.* 31. *sect.* 1. dicens sic decerni in cap. *cum illorum*, de sententia excommunicat.

municat. Imò ex alio etiam capite dici potest, quod iste Religiosus incurrerit suspensionem, videlicet, quia recepit ordinem sacrum sine dimissoriis, iuxta Sà *in Aphor. verbo* Suspendi ipso iure, *num.* 2. nam Prouincialis non dedit illi dimissoriam vt ordinaretur Olisippone, sed Eboræ. Dico præterea quod si Religiosus iste ministrauit in Ordine Diaconatus, vel Subdiaconatus sic existens suspensus, incurrit irregulantatem, teste Nauarro *in manuali cap.27.num.163.* vbi sic dicit de taliter suspenso violante suspensionem: Peccat mortaliter, & incurrit irregularitatem, si violat eam exercendo aliquem actum peculiarem alicuius Ordinis siue maioris, siue minoris. Hanc verò irregularitatem non incurreret si officio Diaconi functus est in Missa Episcopi, in qua fuit ordinatus: sic tenet Sà *citato proximè num.* 2. & alij communiter. Ab ista verò suspensione, vel irregularitate poterit Religiosus absolui, & dispensari à suo prælato, etiam locali, per multa quæ dixi in meo primo tomo Dubiorum Regular. verbo, *Abbas* num. 6. & verbo Prælatus ad absoluendum, & prælati potestas ad dispensandum.

4 Pro quiete tamen, & consolatione istius vel similis Religiosi, quæro sic. An iste Religiosus existens excommunicatus ante susceptionem Ordinis, incurrat illam suspensionem, si prius manè, vel noctè præcedente confessus est sacramentaliter, & absolutus est ab illa excommunicatione apostasiæ per potentem absoluere; & postmodum accedat ad suscipiendum Ordinem sacrum ob vitandam infamiam, quæ sibi eueniet ex eo quod iam scriptus sit in albo ordinandorum, & Religiosi illius conuentus vbi hospitatur, valde notabunt, quod Ordines non susceperit iam scriptus in albo,

albo, &c. Et videtur quod non excusetur ab incursu suspensionis etiam sic absolutus: nam licet sit absolutus, adhuc tamen durat materia apostasiæ, & excommunicationis, cùm adhuc sit extra conuentum vnde exiuit apostata, & proinde adhuc videtur dici excommunicatus, saltem in foro externo, & proinde videtur obligatus ad abstinendum à receptione Ordinum, quos ibi adhuc sumit sine licentia Prouincialis. Difficultas profectò non careret difficultate magna, in praxi in qua tutius esset abstinere à receptione talis Ordinis.

5 Quia tamen magnum ius habet quis vitandi propriam infamiam, dum commodè potest, ego in tali casu excusarem illum ab incursu suspensionis, si iam sic absolutus, & in albo ordinandorum ascriptus Ordinem sacrum reciperet ob vitandam grauem infamiam inter Religiosos. Probo exemplo omnino simili, quod tale est: Quidam clericus existens irregularis, ab illa non absolutus, vel existens excommunicatus ex communicatione, à qua non est confessor præsens, qui possit absoluere, si timeat notabilem infamiam ex eo quod non celebret: potest præmissâ confessione peccatorum, & contritione celebrare absque eo quod nouam aliquam censuram incurrat, dummodo postea quantocyus procuret absolutionis remedium. Idque ob ius naturale vitandi infamiam, & quia nemo tenetur prodere peccatum suum occultum. Sic tenent communiter Doctores, maximè Castro, Nauar. Gutierres citati à Rodriguez 1. *part. Summ. cap.* 166. *concl.* 1. quod idem in terminis cernitur in hoc casu, in quo talis Religiosus timet magnam infamiam, vt suppono, & iam præmisit confessionem sacramentalem, & validè fuit absolutus ab excommunicatione incursa

propter

propter apostasiam. Neque obstat quod adhuc est extra conuentum, vnde exiuit apostata, & non sit absolutus adhuc pro foro externo; hoc enim per accidens est, cùm in substantia iam sit absolutus ab excommunicatione, & habeat propositum statim reuertendi ad suum conuentum.

CASVS XXXIII.

De venditione cuiusdam rei habentis onera imposita.

QVidam homo testamento reliquit vnico filio, quem habebat, certam terram, quam sumpsit in sua tertia, eique imposuit certa legata perpetua. Filius mortuo patre, terram illam vendidit, non declarans emptori obligationem legatorum terræ appositam à patre: & declaratur quod dictus pater de dicta terra fecit mentionem, quod deueniret ad suos descendentes. Iste filius vendidit terram infra dimidium iusti pretij, vt constitit per experientiam. Primus emptor terræ illam diuisit in partes, ita vt hodie sit penès diuersos dominos, & pari modo prædictus emptor imposuit prædictæ terræ alias obligationes capellæ, quæ hodie soluuntur à possessoribus. Vxor primi venditoris subscripsit cartæ venditionis ob metum cadentem in virum constantem, ad hoc enim maritus venditor, illam percussit quasi alapis, & mortem minatus est, nolebat enim illa vt terra venderetur. Et cum propter hunc metum venditioni subscriberet, statim post adiit iudicem, & reclamauit contra venditionem, dicens se illi inuitam subscripsisse.

1 Quæritur primò, vtrùm prædicta terra vendi potuerit cum esset relicta à primo instituente pro suis legitimis descendentibus: & vxor illius subscripserit venditioni ob grauem illum metum incussum.

2 An venditio pariter nulla fuerit ex eo quod vendita fuerit infra dimidum iusti pretij. Dicitur enim quod tempore venditionis æstimabatur pretio duorum millium & quingentorum ducatorum: & vendita fuit pretio non accedente ad mille ducatos.

3 Quæritur an ob has causas nepos illius primi instituentis possit prædictam terram vindicare, & venditionem rescindere, maxime cùm sit pauper, & habeat filios alendos?

1 Respondeo, hanc venditionem fuisse nullam multis ex capitibus. Primò, quia venditor vendidit rem in qua plantatus fuerat maioratus, & posita clausula quod pertineret ad legitimos descendentes. His enim concurrentibus terra illa non erat venditoris, quoad dominium directum, sed tantum quoad dominium vtile, & proinde non poterat alienare per venditionem: cum enim hæc terra ex institutione primi instituentis pertineret ad omnes, & solos legitimè descendentes, si venditor illam venderet extraneis, iam vendidit rem alienam, id est, ad descendentes pertinentem. Venditio verò rei alienæ est nulla, imò pœnâ puniuntur venditor, & emptor rei alienæ per legem istius regni *lib.4. Ordinat. tit.35. & 37.* cui accedit, quod ista terra relicta fuit titulo maioratus cum illis obligationibus. Res autem certissima est quod maioratus vendi non potest à possidente maioratum. Nam possidens maioratum non habet dominium directum, & absolutum illius, sed solum dominium vtile, & proinde non potest maioratum vendere. Eo

modo

modo, quo possidens rem emphyteuticam non potest illam vendere, cùm non habeat dominium directum illius, sed solum vtile.

2 Secundò fuit hæc venditio nulla ex eo quod vxor venditoris consensit in venditione, coacta metu cadente in virum constantem: ante cuius probationem suppono vt rem certissimam, quod facta per metum grauem, sunt nulla, vt patet ex toto titulo *de iis, quæ vi metusve causa fiunt*, in decretalibus, maximè *cap.* 1. quod idem decernunt leges ciuiles. Secundò suppono, quod per legem huius Regni *lib.* 4. *Ordinat.* 48. §. 2. maritus non potest vendere rem aliquam immobilem absque consensu, & subscriptione vxoris sub pœna quod venditio aliter facta erit nulla: & ex dictis ibidem in principio legis clarè colligitur, quod talis consensus vxoris debet esse liber, & non coactus, & quamuis id lex non exprimeret citato loco, res est manifesta, quod quando ius requirit consensum alicuius personæ, talis consensus debet esse liber, & non coactus. Quo posito constat ex informatione, quod consensus istius vxoris in venditione fuit extortus per metum cadentem in virum constantem. Nam percussio grauis & metus mortis cum minis sufficiunt ad causandum metum cadentem in virum constantem etiam respectu viri robusti, iuxta copiosè tradita à Sanchez *lib.* 4. *de matrim. tota disput.* 5. *&* 6. & multo magis prædicta sufficiebant ad causandum metum viri constantis respectu feminæ, quæ est fragilior, ac timidior, iuxta cap. *Cum locum*, de spons.

3 Tertiò, prædicta venditio terræ fuit nulla, & potest rescindi ex eo quod res vendita fuerit infra dimidium iusti pretij. Hoc etiam constat ex communi dicto Doctorum, & decernitur expresse in lege

istius Regni *lib.4. Ordin.tit.13.in principio,& §.5.* vbi lex ponit exempla tum ex parte venditoris, tum ex parte emptoris. Limitat tamen ibi lex, quod talis venditio nulla ob fraudem infra dimidium iusti pretij, non poterit rescindi vltra annos quindecim à die factæ venditionis; quod videtur fuisse sancitum ad obuiandum litibus, ne scilicet lites mouerentur in perpetuum: eo pacto quo res præscripta non potest repeti à domino suo post certos annos, ídque ob vitandas lites.

4 Neque obstat ad rescindendam hanc venditionem ob iniustum pretium infra dimidium iusti pretij dicere quod venditor id fecit sciens, & prudens, & proinde si res vendita plus valebat, præsumitur quod id liberaliter donauit. Non obstat, quia iuxta commune dictum Iuristarum, nemo præsumitur iactare res suas, de quo multa tradit Mascardus *tom.2.de probat.conclus.*872.*num.*1.*& seqq.* citans multos, & dicens, quod vnusquisque præsumitur auarus rei suæ, & proinde donatio non præsumitur. Et in hoc casu satis præsumitur, quod venditor noluerit donare emptori mille ducatos, qui defuerunt ad pretium iustum. Sed quod vel fuit fraus emptoris, vel simplicitas, & ignorantia venditoris, vel magna eiusdem necessitas.

5 Hinc iam patet ob illos tres titulos posse nepotem primi instituentis hodie repetere rem sibi debitam, & sic malè venditam. Excipio, quod si iam sunt transacti anni quindecim, non poterit illam repetere ob venditionem infra dimidium iusti pretij, iuxta dicta proximè *num.*3.

6 Dato verò quod nepos dictam terram recuperet auctoritate iudicis, non tenebitur ad onera, quæ illi

illi imposuerunt secundi emptores, seu filij primi emptoris, quia nemo potest imponere onus in re aliena, & hæc terra nunquam fuit sua. Neque obstat, quod res transit cum onere suo, vt dicitur cap. *Ex litteris*, de pignoribus, & cap. *Pastoralis*, de decimis. Nam id intelligitur rem transire cum onere suo, quando tale onus impositum est illi rei à potente illud imponere, vt modò diximus: secus si non poterat tale onus imponere.

7 Quæris: An si iste nepos authoritate iudicis prædictam terram vindicauerit, obligandus sit restituere hodie possessoribus terræ pretium illud, quod pater illorum primus emptor dedit primo venditori? Respondeo ad id non teneri. Probatur exemplo clarissimo. Emit Petrus à latrone bonâ fide rem, quæ erat mea: ego probaui coram iudice rem esse meam, & ideo iudex mandauit, vt mihi res mea traderetur. Ego non teneor reddere Petro pretium, quod ille dedit latroni: sed ipse sibi imputet, quia emit rem alienam, vel pretium traditum recuperet à latrone: quod idem in hoc casu omnino locum habet.

CASVS XXXIV.

Appendix ad casum XIII. suprà de viuæ vocis oraculis.

SVprà *casu* 13. *n.* 14. *&* 15. dixi reuocata esse per D. Papá Vrb. VIII. illa duo viuæ vocis oracula Pij V. in quibus concedebat nostris Prouincialibus vt possint

committere confeſſoribus, quod poſſent diſpenſare ad petendum debitum cum inceſtuoſis, & cum illis, qui ante matrimoniom vouerunt caſtitatem voto ſimplici. Poſtea quidam Religioſus ea de re ſcripto me conſuluit, citans Mirandam *tomo* 1.*q*.47.*art*.3.*fol*.420. vbi dicit, quod non obſtante illa teuocatione D. Vrbani VIII. idem poterant hodie noſtri confeſſores per alias conceſſiones, videlicet per conceſſionem Eugenij IV. *in compendio Mendicantium, verbo* Diſpenſatio §. 29. vbi prædictus Eugenius ſic concedit Benedictinis: Quod deputati ad confeſſiones audiendas per ſuos prælatos, poſſint omnia vota permutare, atque in omnibus, & ſingulis caſibus, etiam ordinariis, aut per ſynodales, vel Prouinciales conſtitutiones reſeruatis cum ſibi confeſſis diſpenſare: præter eas cenſuras, *&c.* circa quam conceſſionem Rodriguez *tomo* 1. *qq*. *q*.63. *art*.3. ait quod in illa non conceditur diſpenſatio in his duobus caſibus. Hæc ſunt verba Rodriguez ibidem: *Non dat facultatem ad diſpenſandum, ſed ad commutandum vota.* Et re vera verbum Papæ quoad vota, ſolum exprimit, vota permutare. Quæ cum ſint verba clara & in materia odioſa, debent reſtringi ad ſolam permutationem, non verò diſpenſationem. Communis enim Theologorum opinio docet, quod quando Papa concedit alicui vt vota commutet, non illi concedit vt vota diſpenſet: plus enim eſt votum diſpenſare, quàm votum commutare; ac proinde credo, quod per iſtam conceſſionem non poſſunt confeſſores regulares diſpenſare cum coniugato, qui ante matrimonium habebat votum ſimplex caſtitatis, vt petat debitum; eſſet enim hoc quaſi diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis. Bene tamen credo, quod per prædictam con-

ceſſionem

cessionem poterunt prædicti confessores regulares dispensare cum incestuosis ad petendum debitum, tales enim incestuosi non habent votum castitatis, vt suppono: sed habent illud impedimentum petendi debitum, quod non est impedimentum dirimens matrimonium, sed casus, in quo Episcopus potest dispensare, vt infrà dicemus: & Papa Eugenius ibi concedit vt possint dicti confessores dispensare in casibus Episcopo reseruatis.

2 Aliam concessionem citabat ille Religiosus, quæ est Iulij Secundi, per quam concedit Patribus Benedictinis Vallisoleti, vt de licentia sui superioris ad id deputati, possint dispensare cum incestuosis ad petendum debitum. Sed hæc concessio hodie non habet locum, fuit enim concessa viuæ vocis oraculo ad instantiam cuiusdam Cardinalis Ludouici, vt patet ex Bullario Rodriguez *Bulla 22. inter Bullas Iulij secundi fol.599.* Aliam concessionem citauit dictus Religiosus ex compendio Mendicantium, quam ego non potui in meo libro reperire. Itaque per concessiones ab illo citatas ego non conuincor vt discedam ab eo quod suprà dixi *casu* 13. illa scilicet duæ viuæ vocis oracula Pij V. esse reuocata per D. Vrbanũ VIII. Quia tamen illi duo casus frequentes sunt, & passim obuij cõfessoribus Religiosis, laboraui quantum potui, inuenire aliquam concessionem Papalem, quæ non sit viuæ vocis oraculum, per quam dicti confessores possint in prædictis duobus dispensare.

3 Et quidem quod attinet ad dispensationem super voto castitatis ante matrimonium emisso, si hoc Episcopi possunt dispensare ad petendum debitum, etiam poterunt confessores Religiosi ad id deputati per Prouincialem. Nam prædicti confessores possunt

dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi,& hoc in foro conscientiæ tantum. Sic concessit Innocentius VIII. *in compendio Mendicantium, verbo* Dispensatio §.16. *&* *verbo* Absolutio quoad sæculares 2. §.12. & quod magis ad hoc facit est concessio Iulij II. citata à Capucino in suis notationibus ad compendium verbo *dispensatio*, titulo *Ex priuilegiis Congregat. sancti Bernardi in* §. *Iulius Secundus*. Vbi refert prædictum Iulium concessisse monasterio B.Mariæ de Monserrato, vt Confessores illius possent dispensare cum sæcularibus in casibus, & votis Episcopis reseruatis: & possent dispensare inter coniugatos, quorum alter cum alterius consanguinea adulterium commisit. Quæ concessio diuersa est ab illa alia eiusdem Iulij II. suprà citata: quia illa fuit facta Monasterio Vallisoletano, ista verò facta est Monasterio Monserrati. Non tamen declarat ibi Capucinus an prædicta concessio facta per Bullam, an solo viuæ vocis oraculo: sed solum citat illorum Patrum compendium *fol.* 46. Neque ego possum illud diuinare. Simile est illud quod Collector priuilegiorum Mendicantium *in verbo* Dispensatio *ad* §.17. videlicet, quod concessit Innocentius VIII. Confessoribus Minorum, vt possint dispensare in affinitatibus contractis post matrimonium consummatum, ratione coïtus viri cum consanguinea vxoris, aut è contrà: & hoc quando sunt iuuenes dumtaxat. Sed hanc concessionem dicit ibi Collector non extare impressam in libris Ordinis, sed illam vidisse in libro cuiusdam curiosi Patris confessoris.

Alias concessiones refert Rodriguez citata *quæst.*63. *artic.*3. diuersorum Pontificum, quæ possent ad hoc intentum inseruire: sed ferè in omnibus illis ipse

dubitat, quod possint ad hoc clarè inseruire.

Et proinde fateor me nihil in hac materia inuenire potuisse, per quod possit ostendi clarè posse Religiosos confessores hodie vti illis duobus priuilegiis à Pio V. viuæ vocis oraculo concessis positis *citato casu* 13. & ex consequenti, vt plurimum poterunt dispensare cum illis solum qui ante matrimonium habebant votum castitatis, si id possunt facere Episcopi, iuxta proximè dicta in principio numeri tertij. Sed neque consulo vt hoc fiat propter adeo rigorosam reuocationem viuæ vocis oraculorum factam à D. Vrbano VIII.

CASVS XXXV.

An Religiosus nimis ebriosus, & in hoc scandalosus, possit expelli à Religione?

QVæsitum à me fuit, an Religiosus nimis ebriosus, qui sæpius cum magno scandalo sæcularium inebriatur, & sæpius admonitus non respuit, nec de illo speratur emendatio, possit ob hoc solum priuari habitu, & expelli à Religione? Hunc casum apud nullum inueni tractatum: neque audiui aliquem Religiosum propter hanc solam culpam fuisse eiectum ab Ordine. Respondi tamen tales potuisse in aliquo ebrioso concurrere circunstantias, magni scilicet scandali inter sæculares cum notabili infamia Religionis, & absque spe emendæ, vt propter hanc solam culpam possit eiici à Religione tanquam incorrigibilis. Pro quo suppono Bullas pontificias concedentes prælatis regularibus vt possint

ab Ordine expellere incorrigibiles, non specificare quales in specie debeant esse hæ culpæ; sed solùm requirunt quod sint culpæ graues, de quibus non speratur emendatio.

1 Quod igitur Religiosus ebriosus cum illis particularibus grauibus circunstantiis, & sæpius admonitus non resipiscens, possit expelli ab Ordine ob hanc solam culpam, probo prius in communi: nam hæc culpa mortalis est, & nimis infamatiua Religionis. Iuuant multum ad hoc intentum illa quæ tradit Salsedo in sua praxi criminali *cap*. 77. vbi duo ostendit, primum est, grauitas huius culpæ: secundum est pœna, quâ in iure canonico punitur Clericus ebriosus. Et quod attinet ad primum, de grauitate istius culpæ, bene aduertit Salsedo, D. Paulum 1. *ad Corinth.* 6. æquiparare ebriosum cum fornicariis, idololatris, Sodomitis, &c. Ait enim Paulus citato loco: *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque auari, neque adulteri, neque ebriosi, regnum Dei possidebunt*. Non potest amplius exaggerari istius culpæ grauitas. Et ad idem intentum citat Salsedo quendam sermonem D. Augustini,& D. Isidorum, & D. Basilium multa de hoc dicentes. Iam verò infamia inducta per hoc vitium tanta est, vt ausim dicere plus infamare hoc vitium, quàm infamet luxuria. Nam ad vitium luxuriæ natura pronior est, & non priuat vsu rationis. Ebrietatem verò ipsa natura auersatur, maximè cum priuet vsu rationis, quod est intolerabile malum.

2 Hac de causa Ecclesia Clerico ebrioso graues pœnas imponit, quas refert Salsedo *cit. loco*. Prima ex Concilio Agathensi, quia Clericus semel ebrius iubetur aut submoueri à communione per 30. dies, aut

corporali

corporali supplicio affici. Secunda pœna est, vt si ebrietatem continuet, & non resipiscat, deponatur. Quod idem est ac priuari Ordinum sacrorum exercitio. Tertia est,quod Clericus ebriosus & admonitus non resipiscens, suspendatur ab officio & beneficio, iuxta decretum Concilij generalis Lateranensis ibi citati. Quod adeò verum est, vt etiam Clericis ea de causa interdicatur sub certis pœnis ingressus in tabernas,prout ibi citat Salsedo.

Si ergo culpa ebrietatis tam grauis est,& tam seuerè ab Ecclesia puniatur in Clerico: quid mirum si à Religione possit puniri pœna expulsionis ab Ordine, concurrentibus illis circumstantiis, quas suprà diximus?

CASVS XXXVI.

De quodam Religioso reclamante intra quinquennium contra suam professionem.

QVidam Religiosus ingressus certâ Religionem, in illa professus est ob metum grauem sibi à patre incussum, vt ipse asseruit post professionem: intra quinquennium reclamauit coram Vicario generali Ordinarij, qui petitionem reclamantis acceptauit, & cœpit de causa cognoscere. Ob hanc causam cæteri Religiosi illius conuentus illi magnas molestias, & vexationes intulerunt, non patientes illum vti libertate, quæ aliis Religiosis concessa erat. Et idem coram prælato conuentus, quidam Religiosus notabilem

notabilem fecit iniuriam, ob quam iniurians non fuit reprehensus à prælato, sed potius ipse prælatus ipsum iniuriatum per aliquos dies in cubiculo velut in carcere inclusit: postea illi præcepit per obedientiam ne loqueretur cum aliquo sæculari, neque vllas litteras extra conuentum mitteret. Quod ille videns, ademptam scilicet sibi libertatem ad prosequendam causam, & sciens suos consanguineos impedire suæ causæ prosecutionem, & timens alia mala sibi impendentia, ídque ob iustas causas, quas habebat timendi, fugit à conuentu cum habitu Religionis: sed non exiuit extra septa monasterij, quia captus est à fratribus intra limites, in quibus Religiosi solent certis diebus deambulare. Inde reductus ad monasterium carceri mancipatus est in pane, & aqua. Quod ille videns fregit vincula carceris, & fugit à conuentu extra septa monasterij, & non audens comparere ne iterum capiatur à Religiosis, vult causam suæ professionis prosequi per procuratorem.

Quæritur primò, an dictus Religiosus pœnam apostasiæ incurrerit sic fugiens à conuentu?

Secundò, an sic fugiens amiserit ius prosequendæ suæ causæ in materia nullitatis suæ professionis?

Tertiò, an possit eandem causam prosequi per procuratorem non comparendo in propria persona ob metum ne capiatur, & molestetur à Religiosis prioris conuentus.

Quartò, an prædicti Religiosi potuerint illi licitè prædictas molestias inferre impediendo illi libertatem ad suam causam prosequendam.

Responsio.

Responsio.

1 Ad primum dico, hunc Religiosum non incurrisse pœnam apostatæ, ob prædictam fugam. Probo, quia subditus fugiens ob grauem vexationem quam merito timet sibi inferendam ab inferiori prælato, & recurrens ad superiorem prælatum, non est apostata, vt multis probat Rodrig. *tom.*1. *qq. q* 30. *art.*3. quia talis aditio ad superiorem in substantia est appellatio, quæ iure naturali conceditur, vt ibi probat Rodriguez cum quadam glossa: addens hanc talem fugam ad superiorem ob dictum grauamen non prohiberi à Concilio Tridentino. Sed hic Religiosus iam expertus fuerat graues molestias iniustas à prælato inferiori aliasque in futuro merito formidabat, maximè cùm sibi adimeret libertatem prosequendæ suæ causæ: ergo licitè adire poterat, vel suum superiorem si ad manum haberet: vel Vicarium Episcopi coram quo iam sua causa professionis cœpta erat, ratione cuius iam dictus Vicarius generalis dici poterat prælatus istius Religiosi, non absolutè, sed ratione causæ cœptæ. Confirmatur: quia si verè professus potest fugere à prælato inferiori propter pendens grauamen, multo magis id posset facere iste, de quo agimus, de quo non constat an sit verè professus. Nam qui non est verrè professus, si fugit à conuentu,non est apostata, vt probat Suarez *tomo* 3 *de Religione lib.* 3. *cap.*2. *num* 5. Confirmatur amplius ex eo quod tradit Mascardus *tom.*2. *de probat. concl.*820. *cap.*16. vbi cum Couar. Boccio, Grammat. & Neuis. dicit,quod carceratus iniustè, potest fugere de carcere sine peccato,etiamsi inde custodi aliquod detrimẽtum contingat,quin etiam si mortem aliter vitare nequiret,

posset

posset impunè custodes occidere. At constat, quod iste Religiosus iniustè carceratus est ob primam fugam, cùm per illam non exierit septa monasterij, & proinde non fuerit verus apostata: ergo potuit licitè fugere à carcere, maximè concurrentibus aliis vexationibus supra dictis. Facit quod tradit Sanchez *lib.4.de matrim. disp.5.n.9.* vbi probat quod solus metus carceris causat metum cadentem in virum constantem. Iam verò talis metus excusat sic metuentem à multis, vt dicunt Doctores. Vltimò probatur ex eo quod tradit Ludou. Lopez *1.p.instruct.c.56.§.in prælati, cum seqq.* vbi citans Sotum, Cord. Medinam, & alios, ait subditũ non teneri obedire prælato in rebus valde difficilibus, & cum periculo vitæ, & honoris: pro quo etiam facit dictum à Sà *in Aphor. verbo* obedientia *num.2.* Nam cùm subditus promittit obedientiam, non intendit obligare se ad illam cum tanto suo damno. Ergo cùm iste Religiosus passus fuerit tam graues molestias, vt superior narratio continet, & alias timeret, non videtur obligandus ad perseuerandum in tali conuentu cum tam difficilibus difficultatibus.

2 Ad secundum dico hunc Religiosum per talem fugam non amisisse ius prosequendi causam suæ professionis, neque violasse decretum hac de re factum à Tridentino *sess.25.cap.19.de regular.* Nam ibi Concilium duo statuit. Primum, vt reclamatio fiat intra quinquennium: constat verò quod iste reclamauit intra quinquennium, & iam proposuerat causas nullitatis suæ professionis, coram superiore, & Ordinario. Secundò statuit ibidem Concilium, quod si habitum antea sponte dimiserit amplius non audiatur. Hic verò habitum non dimisit, sed cum habitu fugit ad superiorem suæ causæ, videlicet ad Ordinarium:

rium : ergo non violauit prædictum decretum Tridentini. Imò dico, quod si in secunda fuga à conuentu habitum dimisit, timens ne cum habitus cognitus caperetur, & reduceretur ad pristinas vexationes, tunc talis dimissio habitus non illi noceret ad incurrendam prædictam pœnam Tridentini. Nam Tridentinum expresè dicit, quod si habitum sponte dimiserit. Hic autem sic dimittens habitum ob metum redeundi ad pristinas vexationes iniustas, non dimisit habitum sponte, sed inuitus ob prædictum metum; quod autem fit per metum, non fit sponte, sed inuoluntariè, cùm metus causet inuoluntarium, vt docent Doctores. Probatur clarissimo, & efficaci exemplo. Nam in cap.2. *Ne clerici, vel Monachi*, ponitur excommunicatio contra Religiosum dimittentem habitum suæ religionis. Quo non obstante dicunt Doctores, maximè Sanchez *lib.6.de matrim.cap.8.n.*38. quod si Religiosus transiens per terras Turcarum, vel hæreticorum timeat, quod cognitus pro monacho occidetur, potest sine peccato & sine incursu censuræ habitum Religionis dimittere. Quod directè facit ad nostrum intentum. Addo, quod licet talis metus non interueniret, & habitum pro breui tempore dimitteret, vt per vnum diem, & statim illum reassumeret, non dicetur simpliciter habitum dimisisse. Nam parua interruptio non facit discontinuationem, neque impedit continuitatem de quo multa dicit glossa *ad capit. final. de verbor. significat. in 6. verbo* Continuè.

3 Ad tertium dico, quod iste Religiosus potest prosequi causam suæ professionis per procuratorem non comparendo in propria persona. Probo primò quia Concilium Tridentinum, quando *citato cap.19.*

ait

ait quod reclamans proponat coram superiore & Ordinario causas nullitatis suæ professionis, non requirit quod id faciat per se, & in propria persona: *quando verò lex non distinguit, neque nos debemus distinguere*, vt habetur in lege *non distinguemus*, ff. *de recept. qui arbit.* Probatur secundò, quia nouitius absens potest facere professionem per procuratorem, vt tenent communiter Doctores, maximè Sanchez *lib. 5. Decalogi cap. 3. num.* 7. citans textus, & Doctores: ergo nullitas professionis potest probari per procuratorem, cùm eadem ratio videatur esse vtrobique. Imò plus est fieri professionem per procuratorem, quàm probare illius nullitatem per procuratorem, iuxta illud dictum commune, etiam philosophicum: Plura requiruntur ad productionem vnius rei, quàm ad destructionem illius, vt ipsa experientia testatur. Et potest probari *ex cap. 1. de regulis iuris, in decretalibus*, vbi dicitur, quod omnis res per easdem causas, per quas nascitur, per easdem dissoluitur. Sed professio nasci potest per procuratorem, vt diximus; ergo dissolui potest, & probari eius nullitas per procuratorem. Tertiò probatur ex eo quod tradit Sanchez *lib. 6. Decalogi cap. 12. num.* 32. vbi cum multis probat, quod quotiescunque Religiosus potest per se comparere in iudicio ius suum prosequens, potest ad idem intentum constituere procuratorem vt pro se respondeat in iudicio. Ad quod in particulari citat regulam *potest*, de regulis iuris in 6. Cùm ergo iste Religiosus possit per se in iudicio procurare nullitatem suę professionis, poterit ad hoc idem procurandum in iudicio constituere procuratorem. Quartò, hoc clarius constabit, si ex eo quod ipse appareat personaliter in iudicio, sibi timet, notabile damnum

euenturum.

euenturum. Probatur hoc clarè ex eo quod reus citatus ad locum non tutum, non tenetur comparere. Habetur expresè in capite *ex parte*, de appellat. & in Clement. *Pastoralis*, de sententia, & re iudicata, maximè §. *Quod si punitio*, vbi dicitur quod reus citatus non tenetur comparere in loco non tuto. Et pro eodem intento moneo & aduerto teneri illustrissimum Nuncium, vel Ordinarium ponere, seu deponere istum Religiosum in loco, seu in aliquo conuentu tuto, & securo, vnde possit causam suam securus prosequi. Probo imprimis per capitulum *cum locum*, de sponsal. vbi Papa iubet, vt quædam fœmina deponatur in loco tuto, & securo, in quo possit securè, & liberè respondere ad quandam causam matrimonialem. Si verò hoc Papa iubet in causa matrimonij carnalis, à fortiori id debet fieri in causa matrimonij spiritualis, qualis est professio istius Religiosi, quæ requirit maiorem libertatem. Confirmatur hoc amplius per casum relatum à Nauarro *in tomo consiliorum tit. de confessis, consilio vnico*, de quadam puella, quæ eduocationis tantùm gratiâ ingressa monasterium Monialium, suasionibus, & precibus Monialium fecit professionem, sed inuita: pater illius hoc sciens, petiit ab Ordinario via iuridica, vt filiam à monasterio extraheret, & reponeret in loco tuto, & libero vbi interrogata posset respondere de voluntate cum qua professionem omiserat. Illa extracta à monasterio, & de veritate interrogata respondit, se nunquam habuisse animum profitendi, sed suasionibus ac precibus Monialium id fecisse: cùm antea ad crates monasterij intra clausuram, interrogata à Vicario generali de eadem professione, responderit oppositum, videlicet se voluntariè fuisse professam.

Videatur tandem Marſylla *in lib. Deciſionum ad ſeſſ. 25. Tridentini cap. 17. de Regular.* vbi ait ſic declaraſſe congregationem Cardinalium : *Si Monialis, aut Nouitia neget ſe eſſe profeſſam , Ordinarius audire poterit illam extra monaſterium.* Eandem declarationem citat Farinacius *in libro ſuarum Deciſionum , & declarationum ſuper Tridentinum ad ſeſſ. 25. cap. 17.* Si verò iſta declaratio permittit , vel potius iubet vt Monialis dubiè profeſſa extrahatur à clauſura promiſſa per votum particulare , & reponatur in loco ſecuro, & libero , à fortiori id poterit fieri , ſeu concedi Religioſo reclamanti contra ſuam profeſſionem , vt ſcilicet extrahatur à conuentu , cùm non promiſerit clauſuram , & proinde debeat reponi in loco libero vt poſſit allegare cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis.

4 Ad 4. quæſitum dico , Prælatum , & Religioſos prædicti conuentus hunc Religioſum prædictis moleſtiis , & vexationibus moleſtantes , indebitè omnino egiſſe , & contra iuſtitiam ; præcipuè quia illum impediebant à proſecutione cauſæ conceſſa à Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 19. de regular.* vbi concedit quod poſſit Religioſus allegare cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis coram Superiore , & Ordinario. Impediens enim aliquem ab illo , quod ſibi debetur de iuſtitia , peccat , vt patet. Sufficiat ad hoc videre Vmbertum *in ſua practica Inquiſitorum, verbo* defenſiones, *prope finem* , §. *Nota etiam*, vbi ad hoc intentum citat quandam legem iuris ciuilis , & Clementinam *paſtoralis* , de re iudicata , & Bartolum , & alios dicentes ad hoc multa. Et in particulari ibi dicit quod cùm defenſio naturalis ſit de iure naturali , & poſitiuo , non poteſt Princeps prohibere alicui defenſionem naturalem etiam de poteſtate abſoluta : hoc autem

autem noto specialiter in hoc casu, quod iste Prælatus pro prima fuga, in qua iste Religiosus non exiuit à septis monasterij, nec proinde fuit apostata, nec fugitiuus, vt patet, eum multauit pœnâ carceris, & compedum, quæ fuit pœna valde excessiua, & exorbitans, maximè cùm iam causam suæ professionis ad Ordinarium detulisset.

CASVS XXXVII.

De factura, & vtilitate testamenti.

QVoniam libertas faciendi testamentum multa commoda continet, maximè pro salute animæ, & res est quotidiana ferè omnes tangens, libuit hoc loco casum istum apponere pro directione multorum.

Quidam homo fecit testamentum existens in peccato mortali, & testamentum statim confirmauit solemnitate requisitâ. In testamento reliquit multa legata pia pro salute animæ suæ, vt Missas, & eleemosynas. Post duos menses incidit in morbum, de quo mortuus est. Confessus est sacramentaliter, & recepit cætera sacramenta, per quæ supponitur obiisse in gratia: sed de præterito testamento nihil cogitauit, neque illud ratificauit.

Quæsitum fuit vtrùm illa pia legata statim impleta post mortem illius, eidem profuerint in purgatorio? & videtur quod sic. Nam de fide est animas in purgatorio iuuari piis operibus pro illis oblatis, qualia præcipuè sunt Missæ, & eleemosynæ, vt praxis Christiana

obseruat, & multæ historiæ piæ proclamant, quod ob Missas oblatas, & eleemosynas aliquæ animæ exierunt à Purgatorio.

1 Hoc non obstante, dico talia legata impleta, non prodesse huic animæ existenti in Purgatorio, ex vi dispositionis istius testamenti. Ante probationem suppono cum Theologis in materia de pœnitentia, opera nostra bona esse in triplici differentia; quædam sunt bona ex se, & facta in gratia, & hæc debent fructum per viam meriti, quâ operans meretur gratiam, & gloriam, & accipiet gloriam, si in gratia moriatur, & hæc opera dicuntur opera viua. Secundò, sunt opera, quæ dicuntur mortificata, & sunt illa opera, quæ fuerunt bona ex se, & facta in gratia, sed per peccatum mortale superueniens fuerunt mortificata, & suum valorem meritorium perdiderunt coram Deo. Tertiò sunt opera quæ dicuntur mortua, quæ videlicet ex se sunt bona, & de bono obiecto, sunt tamen facta in peccato mortali, & proinde dicuntur mortua, quia non proficiscuntur à spiritu viuificante, qui est gratia habitualis. Quamuis sit opinio valde probabilis Theologorum in materia de pœnitentia, quod opera secundi generis, quæ dicuntur mortificata per superuenientem gratiam sacramentalem reuiuiscant, & sic semper peccator per pœnitentiam resurgat ad maiorem gratiam, quam habuerat ante peccatum; omnes tamen Theologi dicunt, quod opera bona mortua, id est, opera bona facta ab homine existente in peccato mortali, hæc talia opera non reuiuiscunt, nec propter illa peccator pœnitens recepit aliquem gradum gratiæ, vel satisfactionis, quia scilicet nunquam fuerunt opera viua,

2 Ex hoc facilè probata manet nostra conclusio. Nam licet legata ista pia relicta ab hoc testatore fuerint opera bona, & valde meritoria, si fierent in gratia; quia tamen facta fuerunt in peccato m. & proinde fuerunt opera mortua, licet testator postea per pœnitentiam recuperauerit gratiam, non recuperauit gratiam & satisfactationem, quæ possent illis legatis respondere, si aliàs fierent in gratia. Hæc conclusio in substantia asseritur ab Henriquez *tomo* 1. *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 16. *num.* 4. pro quo *in glossa littera* R. citat Syluestrum, Gabrielem, & Honcalam, & ideo ibi consulit, quod testator testamentum faciat quandò credit se esse in gratia, si vult vt sibi legata imperata proficiant. Vel si dubitat an fuerit in gratia tempore quo fecit testamentum, ratificet postea illud tempore quo credit se esse in gratia.

3 Dixi in conclusione illi non prodesse legata illa ex vi dispositionis in tali testamento, id est non proderant illi ex eo quod ipse impetrauit illa fieri: quia impetrauit existens in peccato mortali, & sic nihil meruit. Poterunt nihilominus illi prodesse Missæ, & eleemosynæ, si ab alio viuente pro illo liberè offeratur Missa, vel eleemosyna, sed Missa oblata liberè ab alio viuo pro illo non ita abundanter illi proderit, ac prodesset si ab ipso mortuo viuente peteretur, vel imperaretur existens in gratia. Tunc enim prodesset ex opere operantis, quando illud ordinauit, quia tunc meruit, & postea in Purgatorio cum Missa diceretur prodesset etiam illi ex opere operato. Quando verò Missa offertur pro existente in purgatorio, qui non petiit, proficit illi solum ex opere operato. Hinc aduertas cum Syluestro verbo *suffragia* §. 1. differentiam inter illum, qui existens in gratia mandat pro se fieri

nus *tomo* 1. *Controuersiarum lib.* 2. *de Purgatorio cap.* 16. §. *Vnum solum hic est dubium*, refert quandam reuelationem B. Brigidæ *lib.* 6. *suarum reuelationum cap.* 66. dicentem, animam tamdiu cruciari donec restituatur quod iniustè ablatum est.

5 Ipse nihilominus Bellarminus citato loco cum Soto respondet, non obesse illi animæ si non fiat illa restitutio, dummodo illa in vita peccati veniam obtinuerit pro re malè ablata. Ratio illius est, nam Deus non punit nisi pro culpa propria in hac vita contracta; vel ergo ille defunctus peccauit non restituendo, vel non peccauit. Si non peccauit, quia fortè non potuit restituere, aut bonâ fide possedit, non debet pro illo puniri in purgatorio, quia nemo punitur sine culpa. Si verò peccauit, punietur pro culpa negligentiæ illius in purgatorio; & postquam ibi pœnas debitas soluerit, saluabitur, siue res illa restituatur, siue non. Ille enim est factus impotens ad restituendum, neque debet pendêre salus eius ab alterius voluntate: alioqui posset anima aliqua manere in purgatorio in æternum, si videlicet hæres nunquam restitueret. Quare si restitutio possit fieri, & non fiat negligentia hæredis, peccabit quidem hæres, sed id non nocebit animæ. Si verò fiat restitutio, nihil animæ illi proderit, quia restitutio non est satisfactio pro culpa; satisfactio enim est bonum opus pœnale: pœnale autem est dare suum, quod fit per eleemosynam; restituere verò alienum non est pœnale. Sic ibi optimè, & Theologicè Bellarminus.

6 Ad apparitionem verò illam citatam *num.* 4. & alias similes respondet Bellarminus citato loco, fortè animas illas non petere restitutionem, vt restitutionem, sed vt eleemosynam: licet enim non prosit

animæ ſi reſtituat rem alienam is qui tenetur reſtituere, tamen bene proderit, ſi reſtituat alius, qui non tenetur. Illa enim eleemoſyna quædam eſt, & proinde ſatisfactoria. Si verò hinc inferas: ergo, ſi iuxta Bellarminum, reſtitutio rei iuſſà in teſtamento non prodeſt animæ in purgatorio ſi fiat, neque illi nocet ſi non fiat; fruſtrà, & ſine neceſſitate iubent homines in teſtamento reſtitui debita quæ debent. Si, inquam, ſic arguas, malè argues, nam reſtituere debitum alienum eſt obligatio iuſtitiæ, & obligat ſub mortali in hac vita, & proinde teſtator ſi poteſt, tenetur mandare reſtituere, & per hoc mandatum exonerat conſcientiam ſuam. Si autem hæres cùm poſſit non reſtituat, hæredi imputabitur peccatum; omiſſio verò reſtitutionis non nocebit animæ, quæ remiſſionem peccati in hac vita obtinuit, & reſtitutionem imperauit: per hoc enim iam fecit quod potuit. Poteſt ſecundò reſponderi ad illas apparitiones, quod fortè illæ animæ ſic apparentes, & petentes à viuentibus reſtitutionem pro ſe fieri, id petebant antequam ſatis paterentur pro pœnis debitis culpæ pro re malè ablata, vt citius liberarentur à pœnis purgatorij: quod non tollit illas fuiſſe liberandas ab eiſdem pœnis ſtatim ac ſatis paterentur pro eadem culpa.

7 Ad reuelationem B. Brigittæ, nihil reſpondet Bellarminus, in qua dicit B. Brigitta animam in purgatorio tandiu cruciari, donec reſtituatur ablatum iniuſtè. Et fortè id omiſit Bellarminus de induſtria, cùm difficile ſit illi reſpondere, & aliàs illius reuelationes permiſſæ ſint, & approbatæ ab Eccleſia: & ego cum tanto Doctore poſſem ſimiliter pertranſire. Ne tamen rem intactam relinquam: pro illa

illa reuelatione B.Brigittæ, dico cum Martino Delrio non inferiore Doctore, *in lib.4. Magiæ cap.1.quæſ.3. ſect.* 4. imprimis reuelationes B. Brigittæ non eſſe approbatas ab Eccleſia tanquam de fide: ſed nihilominus eſſe examinatas ab Eccleſia,& proinde permiſſas, vt ſine ſcandalo, & errore poſſint legi. Secundò dicit Delrio *cit.loco in reſponſione.* Ad 4.argumentum illorum qui illas impugnant, ait citatus Doctor, quod ſi aliquid in prædictis reuelationibus reperiatur, quod repugnet communiori ſententiæ Theologorum, non ideo confeſtim damnandum eſt vt erroneum, cùm piè, & prudenter intellectum, ſuis quoque probatis Autoribus, & rationibus non abſurdis ſtabiliatur. Sic ille. Neque amplius aliquid addo.

CASVS XXXVIII.

An Religioſus poſt profeſſionem poſſit reuocare, vel mutare teſtamentum quod ante illam fecit?

SEmel ego hac de re fui interrogatus; & iterum à me quæſitum fuit, an Monialis, quæ prius fuerat vxorata, & ante profeſſionem poterat nominare aliquam perſonam in ſucceſſione cuiuſdam rei emphyteuticæ, quam tamen non nominauit ante profeſſionem, poſſet poſt profeſſionem illam perſonam nominare in tali ſucceſſione: nec defuerunt tunc Iuriſtæ iuris ciuilis, qui dicerent licitè id potuiſſe facere. Quod igitur Religioſus

post professionem possit reuocare testamentum ante illam factum, tenuit Bart. *in l. sed si mors, num. 2. ff. de donat.* & Megalus 1. 2. *instructo. confess. lib. 2. cap. 14.* & alij quos ipse citat. Qui dicunt posse Religiosum professum in Religione capaci bonorum, reuocare testamentum. Præcipuum argumentum est; quia Religiosus post professionem potest reuocare donationem causâ mortis antea factam, vel factam inter coniuges, quæ morte confirmari solet: ergo etiam poterit reuocare testamentum antea à se factum.

1 Dicendum est tamen non posse nisi obtineat priuilegium à Summo Pontifice. Ita Sentit Sanch. *lib. 6. de matrim. disput. 17. num. 11.* Rodrig. *tom. 3. qq. q. 69. art. 3.* Tuschus, Glarus, Vasquez, Molina, & alij citati à Bonacina, quos ipse sequitur *tom. 2. disputat. 3. q. 17. punct. 6. n. 7.* Probatur primò, quia qui non potest facere testamentum, non potest illud reuocare, cùm eadem facultas requiri videatur ad reuocandum testamentum, ac requiritur ad illud faciendum: Religiosus verò professus non potest facere testamentum, cùm non habeat velle, aut nolle: ergo non potest reuocare testamentum. Secundò probatur, quia testamentum nõ potest reuocari solâ contrariâ voluntate, aut expressâ reuocatione, sed alio testamento, vt dicitur in lege, *si iure, ff. de legat. 2.* sed Religiosus non potest concedere nouum testamentum: ergo non potest reuocare præteritum testamentum. Tertiò probari potest, quia si Religiosus fecit professionem in Religione bonorum incapaci, statim succedit hæres institutus, seu venientes ab intestato, & legata, ac fideicommissa statim soluenda sunt legatariis, & fideicommissariis. Si verò professionem fecit in Religione capaci bono-

rum

rum, loco Religiosi succedit monasterium quandiu Religiosus viuit, si ipse oppositum non disposuit in testamento relinquens alicui bona sua; tunc enim ille cui relinquit, statim acquirit possessionem. Dixi *nisi obtineat priuilegium Papæ*, quia Papa potest ex iusta causa dispensare cum Religioso in voto paupertatis, & proinde in testamento faciendo, & proinde poterit eidem concedere, vt possit reuocare testamentum. Quanquam id ferè nunquam Papa concedet, neque concessit, maximè quando bona relicta in testamento priori iam sunt possessa ab illo cui fuerant relicta.

2 Addit Bonacina citato loco quod si Religiosus, qui antea fecerat testamentum, transferatur ad statum, in quo habeat disponendi facultatem, vt si fiat Episcopus: vel obtineat pleno iure aliquod beneficium sæculare: vel transferatur ad statum clericalem, tunc poterit reuocare testamentum, & bona aliis vi testamenti relicta repetere. Sed ego vel non intelligo, vel non approbo, si ille id intelligat postquam iam possessionem acquisiuerunt illi, quibus bona illa in testamento relicta sunt: tunc enim illa ab illis non poterit repetere, etiam si fiat Episcopus. Probo clarè, quia iuxta communem Doctorum opinionem, donatio liberalis acceptata à donatario valida est; nisi intercedat ingratitudo, iniuria facta donatori, &c. Ergo multo minus res alicui per testamentum iam donata poterit reuocari à testatore, postquam talis rei acquisiuit dominium. Secundò probatur ex eo quod suprà dixi cum Bonacina, videlicet quod si Religiosus facit professionem in Religione incapaci, statim bona transeunt ad hæredes, & legata statim debentur legatariis. Quod similiter dicendum videtur

detur de testamento facto à Religioso paulo post translato ad Episcopatum; iam enim bona quæ reliquit in testamento, acquisita sunt ab illis quibus illa reliquit,& proinde non poterit illa ab iis repetere.

3 Ad rationem positam in principio contra nostram conclusionem positam *num.* 1. respondet Sanchez *citato num.* 11. dicens quod licet professus possit reuocare donationem causâ mortis, vel inter coniuges, non tamen potest reuocare prius testamentum; datur enim dispar ratio: nam testamentum præteritum non potest reuocari, nisi per aliud nouum testamentum, quod nouum testamentum Religiosus non potest facere. At donatio causâ mortis, vel inter coniuges potest reuocari absque testamento, imò potest reuocari ex sola tacita voluntate, prout ipse Sanchez probat *disp.*15.*eiusdem libri* 6.& citat ad hoc *in num.*11. *citato* Emmanuelem Suarez.

4 Sed circa illud quod in principio dixi à me quæsitum fuisse, an Monialis olim coniugata, post professionem facere potuisset illam nominationem in re emphyteutica, quam tamen non fecit existens in sæculo, & ego respondi illam facere non potuisse: potest probari quod illam potuerit facere, saltem de licentia sui prælati: nam frater Minorita non potest esse executor testamenti, ex declaratione regulæ fratrum Minorum facta per Clementem V. in Clem. *Exiui*, de verborum signif. & tamen Sanchez *lib.6.Decalogi, cap.*11.*num.*41.tenet quod licet frater Minor non possit esse testamentarius, seu executor testamenti, potest tamen nominare testamentarium, si testamento illum non nominet, sed solùm dicat in testamento: Erit executor mei testamenti, ille quem designauerit frater Fullanus frater Minorum. Et tunc ille

nominatus

nominatus à fratre Minore erit verus testamentarius. Atque ita potest aliquis ex commissione facere id quod ille non potest esse. Et proinde potuit illa Monialis, & potest hodie Religiosus post professionem nominare in successione alicuius emphyteusis, vel maioratûs illum quem poterat antea nominare, & non nominauit. His non obstantibus, ego persisto in eo quod tunc dixi, & modò dico non posse Religiosum post professionem facere illam nominationem. Nam actus ille nominandi in successione emphyteusis, est quasi iurisdictio, & confert dominium vtile nominato super re emphyteutica, vt patet: Religiosus verò nec de licentia Prælati potest dare dominium, vel iurisdictionem alicui. At quando Religiosus ex Ordine Minorum de commissione testatoris nominat testamentarium sui testamenti, non confert nominato vllam iurisdictionem, nec dominium, sed solam administrationem. Præterea nominare aliquem in successione rei emphyteuticæ est actio purè sæcularis, & transiens cum persona donec viuit. At non conueuit quod persona Religiosa exerceat illas actiones forenses: & præterea si illa facultas nominandi successorem in re emphyteutica transit cum persona, id est, durat solum illa viuente, cùm post mortem nequeat sic nominare: Religiosus moritur ciuiliter per professionem, ob quam solam mortem ciuilem reputatur mortuus etiam apud ius ciuile, itavt non possit facere testamentum, nec proinde nominare aliquem in successione rei litigiosæ, seu emphyteuticæ.

5 Cum hoc dubio coniunctum est aliud an Religiosus post professionem possit declarare coram iudice dubia sui testamenti à se facti ante professionem?

Ad

Ad quod respondet affirmatiuè Rodriguez *tom. 3. qq. quæst. 69. art. 2.* & in hoc non est dubium, quia Religiosus sic declarans testamentum à se factum nihil donat, neque distribuit.

CASVS XXXIX.

De prælatura, vel officio in Religione acquisito simoniacè.

COnstat ex cap. *Matthæus*, & ex cap. *Sicut tuis*, de simonia, & Extrauagante 2. *de Simonia*, quod obtinens beneficium Ecclesiasticum per simoniam, etiam si ipsa simonia sit occulta, talis collatio beneficij fuit nulla, & tenetur tale beneficium dimittere, & omnes fructus perceptos restituere. Quod adeò iura citata premunt, vt in dicto cap. *Sicut tuis*, præcipiatur, quod si is cui collatum est beneficium, post illius possessionem sciat illud beneficium sibi fuisse collatum, præuia simonia commissa ab alio amico, cuius simoniæ ipse beneficium iam obtinens non fuit conscius: tenetur talis beneficiarius vbi primum conscius fuerit de tali simonia interueniente in collatione sui beneficij, tenetur, inquam, beneficium resignare cum fructibus vt explicat communis opinio Doctorum. Pro quo inter cæteros videatur Suarez *lib. 4. de Relig. tom. 1. cap*... Hoc posito, dubium est an hæ pœnæ locum etiam habeant in prælaturis Religionum, Prouincialis, Prioris, Rectoris, Guardiani, & similium, & in aliis officiis Religionum vt Diffinitoris, & cæterorum, itavt horum obtentio per simoniam

secretam

secretam, & ignotam, sit nulla, & tales prælaturas & officia obtinentes teneantur in conscientia illa dimittere? Partem affirmatiuam tenent Caietanus *in sum. verbo* Excommunicatio, *cap.* 72. Armilla *eodem verbo cap.* 59. Suarez *cit. tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 57. *num.* 47. Reginald. *lib.* 23. *num.* 181. & alij. Probant, quia huiusmodi officia Religionum vocantur ab aliquibus beneficia, & suo modo habent præbendam. Secundò, quia de his expresſè loqui videtur Extrauagans 2. *de simonia* citata, in illis verbis ibi positis: *Electiones, postulationes, prouisiones, in Ecclesiis, & Monasteriis, &c.*

1 Contrariam sententiam, pro quiete Religiosorum tenent Nauarr. *cap.* 23. *num.* 111. *vers.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 36. *dub.* 25. *num.* 137. Azor 3. *part. lib.* 12. *de simonia cap.* 21. *quæs.* 6. *ad finem*, & Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 1. *de simonia, quæst.* 7. *puncto* 1. §. 2. *num.* 4. vbi citat alios dicentes excommunicationem non incurri nisi ob simoniam in ordine, & beneficio: prælatura verò Religionis non est beneficium, vt mox videbimus. Idem tenet idem Bonacina *eadem q.* 7. *punct.* 2. *num.* 24. Ratio principalis istius opinionis est, quia citati textus solum loquuntur de beneficiis Ecclesiasticis, quod sic probo. Beneficium Ecclesiasticum sic definitur communiter, maximè à Reginaldo *lib.* 19. *num.* 78. hoc modo: Est ius percipiendi bona Ecclesiastica toto vitæ tempore constitutum ab Ecclesia ad sustentationem propriam clerici ratione officij spiritualis quod præstare tenetur. Quæ omnes ferè conditiones desunt in Prælato regulari, verbi gratiâ Rectore, vel Guardiano: hi enim non recipiunt bona Ecclesiastica sibi ad insumenda illa liberè, sed tota in vtilitatem conuentus distribuunt, nec

nec recipiunt hæc bona toto tempore vitæ suæ, cùm de ordinario sint triennales. Neque bona illius conuentus sunt instituta ad sustentationem propriam talis Prælati, sed ad sustentationem totius conuentus: ergo prælatura Religionis, & officium Religionis non est beneficium Ecclesiasticum. Cúmque non sit beneficium Ecclesiasticum, & citata capitula iuris loquantur clarè de beneficio Ecclesiastico, sequitur, quod illorum pœnæ rigorosæ, qualis est excommunicatio, nullitas obtentionis, & resignatio beneficij, non debent extendi ad prælaturas, & officia Religionis, quæ non sunt beneficia Ecclesiastica; cum lex pœnalis sit restringenda, & non extendenda de casu ad casum, vt tenet communis Doctorum sententia; & traditur *in regula iuris in 6.* dicente: *odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Nec obstat quod dicunt Doctores oppositi, videlicet, quod licet prælatura Religionis non sit beneficium Ecclesiasticum propriè acceptum, est tamen officium Ecclesiasticum, quod beneficio comparatur: non obstat, inquam, quoniam, vt respondet Bonacina, *in priori loco suprà citato*, in materia pœnali non valet argumentum à pari, vel à maiori ad maius: sed proprietati verborum standum est. Nam si in materia pœnali non esset standum proprietati verborum, sed licitum esset pœnam extendere ad casus non propriè significatos per verba legis contingerent quotidie multæ extorsiones, imò iniustitiæ, puniendo scilicet id quod lex nullo modo intendit. Probatur etiam à Bonacina *cit. num.* 24. quia licet in Extrauaganti citata dicat Papa se excommunicare obtinentes prouisiones, electiones, *&c.* in Ecclesiis, & monasteriis: illud verbum *Monasteriis*, positum est vt comprehenderet

non

non prælaturam religiosam, & ordinariam: sed vt comprehenderet beneficium Ecclesiasticum regulare, quod est verè beneficium Ecclesiasticum, & potest obtineri ab aliquibus regularibus. Vnde Doctores communiter diuidunt beneficium Ecclesiasticum in sæculare, & regulare, de quo Doctores in materia de beneficiis. Et hinc patet solutio ad prædicta verba Extrauagantis posita in principio pro parte contraria.

2 Ex prædictis colligitur, quod Religiosus, qui prælaturam Ordinis, vel officium Diffinitoris, vel aliud simile, obtinuit dando pecuniam, vel dona pretio æstimabilia, & pretiosa, commisit quidem simoniam mortalem: sed non incurrit excommunicationem, vel alias pœnas iuris, ex vi ipsius iuris communis. Nam simoniacus non incurrit excommunicationem, nisi fuerit simoniacus in Ordine, vel beneficio vero Ecclesiastico, quale non est prælatura regularis, vt vidimus suprà *num.* 1. Sic tenet expresè Nauar. *in sum. Latina cap.* 23. *num.* 11. idem tenet Angelus *verbo* simoniacus *num.* 9. Rozella *eodem verbo*, *num.* 13. Syluest. *eodem verbo q.* 12. Azor *tom.* 3. *lib.* 12. *cap.* 21. *q.* 6. Sà *in Aphorism. verbo* Simonia *num.* 6. Dixi Religiosos hanc excommunicationem in suis electionibus simoniacis non incurrere ex vi iuris communis: quia ex alio capite illam poterunt incurrere, videlicet ob subornationem in illa interuenientem; quæ subornatio, quodammodo simonia iudicari potest cùm sit munus à lingua, quod in iure prohibetur. Extant verò duæ Bullæ Pontificiæ excommunicantes Religiosos qui ante electiones subornant, quas refert Rodriguez *tomo* 2. *qq. q.* 56. & aliam Clementis VIII. contra Religiosos Ordinis Prædicato-

rum, & Minorum. Cæteri Religiosi viderint quid ad se spectet.

Appendix ad casum præcedentem, & Casus XL.

OCcasione casus proximè præcedentis pono hunc qui contigit in quadam Religione. Et est talis: Commisit quidam Religiosus culpam, circa quam sunt duæ opiniones Doctorum probabiles; quarum vna affirmat per illam culpam incurrisse excommunicationem, & priuationem iuxta quandam legem canonicam. Altera opinio tenet per illam culpam non incurri prædictas pœnas in lege contentas: qualis in terminis fuit casus præteritus vbi vidimus sex Doctores citatos *num.* 2. asserere Religiosum obtinentem prælaturam Ordinis simoniacè, non incurrere excommunicationem, & alias pœnas iuris. E contrà datur alia opinio Suarez *tomo* 1. *de Relig. lib.*4. *cap.* 57. & aliorum citatorum in principio casus præcedentis; qui omnes affirmant prædictum Religiosum incurrisse excommunicationem & alias pœnas iuris.

Quæritur an stante hac varietate opinionum, quæ sunt ambæ probabiles, si illa culpa probetur iuridicè coram iudice Ecclesiastico, possit iudex Ecclesiasticus sequendo partem affirmatiuam condemnare reum, & illum declarare excommunicatum, & priuatum, non obstante opinione probabili in oppositum? Et videtur id posse facere, quia iudex in iudicando potest sequi vnam opinionem probabilem

relict â

relictâ aliâ probabili, maximè si opinio quam sequitur sit probabilis ex parte iuris. Sic tenent communiter Doctores, maximè Sayro *in claui Regia lib.* 1. *cap.* 11. *num.*4. citans Sotum, Arragon. Salon. Valentiam, & Medinam. Additque Sayro in hoc casu, secluso scandalo, posse iudicem propter amicum modò secundum vnam, modò secundum aliam opinionem iudicare. Et probat, quia cùm vtraque opinio sit æquè probabilis, iudicando nunc secundùm vnam opinionem, nunc secundùm aliam, facit semper quod est licitum, & licito nititur fundamento, & proinde non peccat.

1 Quo non obstante, dico, in tali casu non posse iudicem Ecclesiasticum talem Religiosum declarare excommunicatum, neque priuatum, cùm sit opinio grauium Doctorum illum prædictas pœnas non incurisse. Huius opinionis est Sayro *citato libro cap.* 13. *num.* 22. & probat, quia incerta pro certis habenda non sunt. Et in hoc casu incertum est an hic reus incurrerit illas pœnas, cùm multi, & graues Doctores probabili ducti fundamento dicant non incurrisse: ergo non est declarandus pro certo excommunicato ille, de quo incertum est an talis existat: pœna enim excommunicationis grauissima non debet imponi pro delicto dubio. Secundò probatur, quia vt reus condemnetur debet constare de delicto commisso, vt habetur cap. *& si Clerici*, de iudiciis, & cap. *Sciant cuncti*, 2. q. vlt. At quando sunt diuersæ opiniones, non constat certò de delicto, cùm alij dicant deliquisse, alij negent: ergo non potest declarari vt talis. Probatur minor, quia licet constet de casu commisso, & constet quod fuerit peccatum, non constat an talis casus fuerit peccatum, vel an tale peccatum

fuerit illud pro quo lex pœnam illam imponit: & proinde non clarè constat an prædicta lex fuerit violata.

2 Si verò sic arguas. Datis duabus opinionibus, probabilibus: non solùm erit probabile non adfuisse hanc culpam, sed etiam erit probabile interuenisse talem culpam: ergo propter hanc secundam probabilitatem quod talis culpa interuenerit, poterit iudicari, & condemnari. Neganda est consequentia: nam licet probabilitas sit æqualis pro vtraque parte, tamen reus in hac materia possidet, & iuxta decreta in iure, *in pari causa, potior est conditio possidentis*, per regulam 65. *de regul. iuris in 6.* & l. *in pari causa* ff. *eodem tit.* vbi notat glossa id decretum fuisse in fauorem rei, qui in pari causa debet absolui, & non condemnari. Et ex consequenti, si reus pro se habet etiam suam probabilitatem, non debet condemnari, siquidem est in possessione: & probabilitas actoris, vel partis oppositæ non debet reum deiicere à sua probabilitate. Facit quod dicitur cap. *ex litteris*, de probat. videlicet quod *promptiora sunt iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum.* Et addit Panormitanus ad cap. *quanto*, de præsumpt. quod licet maior sit probatio pro actore, seu accusatore, quàm pro reo; si tamen excessus sit exiguus, potius pro reo, quàm pro actore est iudicandum. Facit etiam quod tradit glossa *in capite* Clerici 81. *distinct.* vbi dicit quod si duo Clerici affirment Petrum tali die fuisse fornicatum, & alij duo laici dicant contrarium, præponendi sunt laici Clericis, licet sint laici inferiores Clericis, & assignat causam: quia duo testes laici, licet sint inferioris gradus, & reputationis quàm Clerici, testificantur pro reo, cui semper fauendum est. Vide

Rodrig.

Rodrig. *tom.2. qq.q.39. art.2.* & Salon *secunda secunda q.63. art.2. controu. 2. conclusione 3.* vbi cùm aliquibus citatis, dicit licitum esse iudici sequi partem probabilem in fauorem rei, relictâ parte probabiliori accusatoris, & hoc præcipuè in criminalibus. Quod probat primò, quia iuxta regulam iuris in 6. quando iura partium sunt obscura, licet declinare in fauorem rei: sed quando pars rei est probabilis, licet pars accusatoris sit probabilior, iura non sunt clara, sed adhuc obscura: ergo fauendum est reo.

3 Quia omnia iura clamant fauendum esse reo potiùs quàm actori, vt tradit glossa *super regulam vndecimam iuris in 6.* vbi ponit tres causas istius regulæ. Prima est: quia actor impetit, reus verò defendit. Codic. *de dilat. l. si quando.* Secunda, quia nullus præsumitur obligatus, vel obnoxius, *In Authent. collat. 6. quibus modis natu. effi. sui §. Natura siquidem.* Tertia, quia reus in iudicio pugnat pro libertate: & sic videmus quod existente dubio an aliquis sit excommunicatus, siue dubium sit dubium facti, siue dubium iuris, non debet iudicari excommunicatus in foro externo, vt tenet Innoc. *super cap.* Cum tu, *fin. de testib. & attest.* & ibi Hostiens. *num.* 1. Ioan. Andr. Cardinal. Henricus, & alij. Imò in vtroque foro censendum est non esse excommunicatum, vt fusè tradit Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *num.* 56. & eodem modo, si dubitatur an aliquis sit irregularis, non debet vt talis iudicari in vtroque foro, vt latè probat Suarez *de censur. disp.* 40. *sect.* 5. *&* 6. Quod ergo idem faciendum sit, quando datur diuersitas opinionum, probatur, quia iam tunc non est certum, quod excommunicationem incurrerit, siquidem alij affirmant, alij negant. Et (vt benè dicit

Suarez loco proximè cit. *sect* 5.*num*.6. loquens de irregularitate) quantumcunque probabilis sit opinio dicens in tali textu contineri irregularitatem : nihilominus si id possit cum probabilitate negari , nunquam potest iure dici in tali textu contineri irregularitatem , nisi apud eos qui appellant euidens quidquid ipsi opinantur. Et sic tenet Suarez quod quandocunque est diuersitas opinionum, non debet quis reputari irregularis : & idem censet dicendum de incursu censuram.

4 Et non solùm in tali casu reus non est declarandus pro excommunicato , sed nec aliqua pœna puniri potest. Hæc colligitur ex præcedentibus : & probatur ex cap. *Cognoscentes* ,de constit. vbi dicitur : Rem , quæ culpa caret,in damnum vocari non conuenit. Ergo si is qui sequitur vnam opinionem probabilem , relictâ probabiliori , non peccat , vt communis opinio docet, neque etiam ob id poterit puniri, & probatur ex Syluest. *verbo* pœna *num.* 1. Pœna est id quod pro culpa infertur , & punit , ac vindicat, quod quisque commisit : ergo vbi non est culpa, non potest pœna licitè infligi. Et per consequens , si sequens opinionem probabilem non peccat , non poterit exinde puniri.

5 Et redeundo ad casum positum in præcedenti casu 49. de procurante prælaturam Religionis per simoniam , non est mens mea hîc , quod non peccet nec mereatur pœnam : peccat enim , & meretur pœnam. Sed est mens nostra dicere quod non peccauit peccato illo quod puniunt textus ibi citati,nec meretur pœnam illorum, excommunicationis scilicet, & cæterarum ; idque ob varias opiniones Doctorum , vt vidimus : quorum aliqui dicunt illius peccatum non

fuisse

fuisse peccatum in illis textibus punitum, cùm non procurauerit simoniacè proprium, & verum beneficium Ecclesiasticum: poterit tamen puniri aliâ pœnâ condignâ, & respondente tali de delicto, si sit probatum in foro externo.

CASVS XLI.

An Prælatus regularis possit absoluere à simonia in ordine, & à casibus Bullæ Cœnæ?

PRopter dicta in duobus casibus præcedentibus, volui hoc loco præsentes duos casus adiicere in gratiam Religiosorum. Primus est, An prælati regulares possint absoluere suos subditos à simonia commissa in ordine, vel beneficio? Secundus, an possint illos absoluere à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini?

Et quod attinet ad primum: Suarez *in tomo 4. de Religione lib.2. de Religiosis cap. 21. num. 9.* expressè tenet non posse prælatum regularem absoluere suum subditum à simonia contracta in ordine sacro. Probat, quia Sixtus V. in motu proprio aduersus clericos malè promotos §. 8. pœnas excommunicationis, & alias positas in iure communi denuò renouat, & illarum absolutionem sibi reseruat, reuocans quæcunque priuilegia Religiosorum, etiam contenta in mari magno, vel quibuscunque Ordinibus, aut personis regularibus concessa. Et similiter derogat facultatem Concilij Trident. concessam Episcopis ad absoluendum à casibus occultis. Quam reuocationē dicit adhuc manere. Nam licet Clemens. VIII.

motu proprio anno 1595. constitutionem illam Sixti V. reduxerit ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini addidit exceptionem: *Præterquam contra simoniacè ordinatos, & ordinantes inflictas.* Idem tenet Rodriguez *tom.1.qq. q.20. art.13. ad finem*, ductus ex eodem motu proprio Sixti V.

1 Quo non obstante, credo posse hodie prælatum regularem absoluere suum subditum à simonia commissa in ordine, vel beneficio. Probo, quia licet Sixtus V. reuocauerit omnia priuilegia Religiosorum, per quæ id poterant absoluere, tamen postea Clemens VIII. in Bullario Rodriguez fol. 1201. confirmauit priuilegia Minorum ex certa scientia, quod idem fecit postea Paulus V. & Clemens VIII. in prædicta Bulla confirmatoria, addidit hoc verbum, *Confirmamus & innouamus.* Est autem communis Doctorum opinio, quod quando Papa in confirmatione priuilegiorum ponit verbum *ex certa scientia*, & verbum *innouamus*, censetur confirmare etiam priuilegia talium Religiosorum, quæ antea per aliquem Summum Pontificem fuerant reuocata. Sic tradit glossa *in cap. quia diuersitatis*, & *in cap.1. de transact.* Et confirmatur, quia talis confirmatio ex certa scientia habet vim confirmandi actum nullum reddendo illum de inualido validum, seu de priuilegio nullo facere validum. Sic Suarez *fusè lib.8. de legibus, cap.18. à n.12.* idem tenet Collector priuilegiorum Mendicantium *verbo* priuilegium *ad* §. 15. dicens multos famosos Doctores vniuersitatis Salmantinæ declarasse, quod quandocunque aliqua priuilegia conceduntur de nouo, cum hac clausula: *Non obstantibus reuocationibus Apostolicis.* Intelliguntur viuificata, & de nouo concessa etiam illa, quæ fuerant reuocata.

At

At Clemens VIII. in citata Bulla dicit *Innouamus*,& in procemio Bullæ dicit: *Et in pristinum statũ reponat.* & post medium Bullæ dans iudices conseruatores pro defensione dictorum priuilegiorum, præcipit illis vt procurent: *Omnia semper in pristinum reponi.* Quæ omnia verba satis innuunt confirmare voluisse etiam priuilegia reuocata; maximè cùm ibi Clemens VIII. non apposuerit clausulam, *Quatenus sunt in vsu.* At constat, quod ante illam reuocationem factam à Sixto, prælati regulares poterant absoluere subditos ab omni simili excommunicatione, maximè per concessionem Pij V. factam prælatis Patrum Dominicanorum, quibus concessit vt per se possent absoluere subditos ab omnibus casibus occultis, quæ possunt Episcopi absoluere: & huius meæ opinionis est etiam nouiter Frater Hieronymus Rodriguez *in suis resolutionibus, resolut. 3. num. 7.*

2 Dixi posse prælatum absoluere suum subditum simoniacum in Ordine: nam quæstio non modica esse potest, an confessores regulares possint hodie absoluere Clericum simoniacum in ordine, vel beneficio ad se venientem pro confessione sacramentali audienda? Hunc casum non inueni expressum ad vllum recentiorem. Sed tamen (sub correctione doctiorum) credo illos talem Clericum posse absoluere virtute suorum priuilegiorum. Probo, quia prædicti Religiosi id poterant facere ante illam reuocationem Sixti V. maximè per priuilegium Sixti IV. *apud compendium Mendicantium, verbo* Absolutio quoad sæculares 2. §. 20. *cum annotatione Cordub. ad dictum* §. 20. per quod concessit confessoribus Ordinis Minimorum, vt possint absoluere pœnitentes ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, &c.

Episcopis à iure, vel ab homine reseruatis. Et simile priuilegium extat in eodem compendio, & in eodem verbo §. 19. concessum Benedictinis: & clariùs adhuc id poterunt confessores Societatis Iesu per priuilegium illis concessum à Paulo III. & transcriptum à Rodrig. *in Addit. ad* §. 9. *num.* 120. Per quod Papa concedit illis patribus (& proinde cum illis communicantibus) vt pœnitentes ad se venientes possint absoluere ab omnibus censuris, & pœnis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ. Quapropter licet illa priuilegia sint reuocata per Sixtum V. si tamen illi Religiosi quibus illa concessa fuerunt, habeant confirmata sua priuilegia ex certa scientia (vt suppono) poterunt eisdem vti, ob rationes claras, quas adduxi in numero 1. proximè præcedenti.

3 Posset etiam hîc dubitari; an prædictus simoniacus in ordine, & beneficio possit absolui per Bullam Cruciatæ? Neque etiam hunc casum inueni apud vllum. Credo tamen similiter quod possit. Moueor quia Bulla Cruciata concedit, quod possit absolui illam habens ab omnibus censuris, etiam contentis in Bulla Cœnæ, præter aliquas ibi in Cruciata exceptas: & excommunicatio contra simoniacos in ordine, vel beneficio, neque est contenta in Bulla Cœnæ, neque est excepta in Bulla Cruciatæ. Addo quod priuilegia Cruciatæ singulis annis denuo conceduntur post illam reuocationem Sixti V. ergo licet Sixtus V. reuocasset priuilegia Cruciatæ, de quo non constat, cum priuilegia Cruciatæ nunquam reuocentur, nisi exprimatur, sequitur quod adhuc per Cruciatam possit absolui talis simoniacus, cum priuilegium Cruciatæ absoluendi à censuris singulis annis illi concedatur

post illam reuocatienem Sixti V. & Papa antecessor non possit ligare manus Papæ successoris.

De secunda parte huius casus, videlicet an possint prælati regulares absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ, maior est dubitatio, tum ob multitudinem Doctorum varia dicentium in hac materia: tum præcipuè ob hæc duo fortia argumenta, primum est, quia in fine Bullæ Cœnæ reuocantur omnia priuilegia quibuscunque in contrarium concessa: & hæc reuocatio legitur singulis annis in Ecclesia. Secundum est, quoniam sic Religiosi possent absoluere suos subditos ab hæresi occulta, qui est præcipuus casus contentus in Bulla Cœnæ: quod tamen asserere, nimis dubium, & minus tutum est propter multa priuilegia in contrarium concessa tribunali sancti Officij, eidem soli tribunali reseruantia hæresis absolutionem.

4 Quod ergo attinet ad primam partem istius secundi casus, de absolutione à casibus Bullæ Cœnæ, Suarez *tom.4. de Relig. lib.2. cap.21. num.8. in fine*, ait probabile esse quod prælati regulares id possunt circa suos subditos: & suam Religionem obtinuisse à Gregor. XIII. declarationem, & renouationem suorum priuilegiorum circa hanc materiam. Idem tenet Rodriguez *in Addit. ad Cruciatam, Addit. ad §.9. n.64. §. Testas postreras.* vbi in substantia docet, quod reuocationes priuilegiorum Mendicantium factæ in singulis annis per Bullam Cœnæ Domini, non reuocant priuilegia Religiosorum, in quibus illis specialiter conceditur absolutio à talibus casibus Cœnæ Domini; sed solum esse mentem Summorum. Pontificum reuocare licentias, & priuilegia, per quæ in generali id concederetur. Cui distinctioni etiam fauet

Suarez

Suarez *citat. cap.23. num. 7. in fin.* Idem tenet frater Hieronymus Rodriguez *citata resolutione 3. num. 3.* vbi absolutè tenet posse regulares prælatos absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ. Et citat ad hoc Mirandam *tom.2. Manual.quæst.7.artic.3.* Id verò quod dicit Rodriguez citato loco, addit; videlicet, non reuocari per Bullam Cœnæ priuilegia particularia, per quæ illis conceditur in particulari absolui posse à casibus Bullæ Cœnæ, sed solùm priuilegia in communi, per quæ videtur concedi talis absolutio: probat inquam Rodriguez *citato loco §. De lo dicho*, hoc claro, & bono exemplo: nam Bulla Cœnæ singulis annis publicata, non reuocat facultatem Cruciatæ absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ in illa contentis, pro quibus absoluendis specialem ibi concedit facultatem: ergo pari modo illa reuocatio Bullæ Cœnæ non reuocabit priuilegia religiosorum per quæ illis Sedes Apostolica concesserat posse absolui in particulari ab omnibus, vel ab aliquibus casibus Bullæ Cœnæ. Quod verò Religiosi hæc priuilegia absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ olim habuerint, vltra multa priuilegia contenta in compendio Mendicantium verbo *Absolutio quoad fratres*, sufficiat videre Bullam Pij V. per quam concedit prælatis Ordinis Patris Dominici, vt possint per se absoluere suos subditos ab omnibus casibus, & censuris, sicut possunt Episcopi absoluere suos subditos per facultatem illis concessam à Concilio Tridentino in foro conscientiæ. Iam verò Episcopi per dictam facultatem Tridentini *sess.24.cap.6.* possunt in foro conscientiæ absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ in foro interno, etiamsi sit hæresis occulta. Hoc priuilegium Pij V. transcribit Rodrig. *tom.1. qq. q.61.*

art.9.

art. 9. ad finem; neque ego video prædictam Bullam Pij V. esse reuocatam. Et per hæc responsum manet ad primam partem ipsius secundi casus; dico enim posse Religiosos per suos prælatos absolui in foro conscientiæ à casibus Bullæ Cœnæ, exceptâ hæresi (de qua statim dicam) neque huic obstare primum argumentum suprà de reuocatione facta in Bulla Cœnæ singulis annis: ad hoc enim iam respondi paulò supr. in hoc *num.*4. cum Suar.& Rod.

5 Tota dubitatio est de eo quod infert secundum argumentum suprà positum, videlicet quod si prælati possunt absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ, poterunt etiam eosdem absoluere ab hæresi occulta. Et quidem partem affirmatiuam, quod possint, tenet clarè Suarez *citato cap.*21. *num.*9. *post medium*, & *eodem cap.*21.*num.*2. dicens Alexandrum VI. id concessisse fratribus Minoribus, & addit suæ Religioni id concessisse Gregorium XIII. & scio aliquos Doctores hodie viuentes idem scripto suo dixisse. Et posset probari ex allata Bulla Pij V. qua concedit prælatis Dominicanis omnia quæ possunt Episcopi per Concilium Trident. Episcopi verò possunt absoluere ab hæresi occulta per dictum Concilium Tridentinum. Maior autem ratio videtur, vt hæc facultas absoluendi ab hæresi occulta concedatur prælatis regularibus erga suos subditos, quàm Episcopis erga suos. Nam subditi Religiosi, & Moniales recurrendo ad Tribunal S. Officij poterunt incurrere infamiam propriam, & totius Ordinis, quod non sic militat in subditis sæcularibus Episcopi.

6 Ego in re tam graui nihil de meo dico, neque consulo vt prælati regulares id faciant. Tum quia scimus Tribunal sanctæ Inquisitionis esse munitum

pluribus

pluribus priuilegiis ad se auocandi absolutionem hæresis, vt ipsi Inquisitores publicant. Tum quia scio, quod non obstante quod Concilium Tridentinum *citata sess.* 24. *cap.* 6. concedit Episcopis vt possint absoluere ab hæresi occulta, hodie multi & graues Doctores dicunt hanc facultatem illis esse ademptam per declarationem Gregorij XIII. & Clementis VIII. Hi Doctores sunt Maiolus, Toletus, Viualdus Hugolinus, Paromus, Molina, Garcia, Sayro, Riccius, qui citantur à Barbosa in suis remissionibus ad Tridentinum super citatum cap. 6. vbi etiam tradit sic practicari in supremo Tribunali sancti officij Romano, & sic declarasse Gregorium XIII. & Clementem VIII. & sic censuisse sacram Congregationem Cardinalium asserit Suarez *tom.* 4. *disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 11. Si verò tot, ac tanti Doctores asserunt id prohibitum esse Episcopis, quibus id concesserat Tridentinum quod est ius commune: à fortiori id dicemus de prælatis regularibus, quibus ius commune id nunquam concessit, & adhuc pro opinione quod non possint Episcopi absoluere ab hæresi occulta per dictam facultatem Tridentini citat alios Doctores Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.* 11. *num.* 26. & *ibidem num.* 27. citat multos alios dicentes non esse reuocatam. Sed tandem in fine illius capitis resoluit priorem sententiam esse tenendam, videlicet Episcopos hodie id non posse, eo quod Tribunal sancti Officij oppositum declaret, & in re tam graui non sit tenenda opposita sententia valde dubia.

CASVS

CASVS XLII.

De superstitione particulari, & de superstitione in communi.

SVppono, quod superstitio vt plurimum est peccatum, & pro ratione circunstantiæ erit peccatum mortale. Superstitio verò quod spectat ad præsens institutum, definitur à Lessio *lib. 2. cap. 43. de superstitione num. 5.* tunc fit, quando præter Ecclesiæ morem ponitur Religio in quibusdam circunstantiis, vel rebus, in quibus non est ponenda, vt in numero, colore, & situ. Vt quod tot candelæ sint ponendæ, non plures: tot orationes sint dicendæ, non plures: vel vt cera sit alba, non flaua, & sic de similibus, prout amplius patebit ex dicendis. Et antequam descendam ad dandam rationem istius peccati, pono casum particularem superstitionis, qui talis est.

1 Mihi constitit quod in duobus Monasteriis, quorum vnum erat virorum, alterum Monialium valde religiosum, quædam personæ sæculares miserunt quasdam hostias non consecratas cum certis literis manuscriptis in ipsa hostia, quæ litteræ aliàs erant piæ, & sanctæ; & dicebant tales personæ sæculares tales hostias sic superscriptas, & manducatas valde proficere ad febres, & alios morbos pellendos. Ego respondi hoc esse superstitionem claram, prohibitam, & sapere maleficium. Casum ponit in terminis Martinus Delrio *lib. 3. Disquis. Magic. p. 2. q. 4. sect. 9.* vbi inter Magias, & superstitiones Eburonum ibi citatas,

quæ

quæ ſunt 18. ponit hanc, quæ ibi eſt decima. *Recipe tres panes Miſſales* (id eſt hoſtias) *& in vno ſcribe, qualis eſt pater*, &c. *In altero*, &c. *in tertio*, &c. *& da has hoſtias febricitanti*, &c. Et idem tradit Delrio *eodem lib. 3. part. 1. quæſt. 3. fol.* 158. referri à Grilando, fieri videlicet aliquando ſortilegia ſuper hoſtiam non conſecratam, ſed circumſcriptam notis, & litteris, quo nihil clarius dici potuit ad oſtendendam ſuperſtitionem in hac cæremonia incluſam. Et *citata ſect. 9. §. Decimaoctaua*, potuit Delrius alias ſimiles ſuperſtitiones pendentes ſimiliter ex aliquibus litteris, aliàs piis, & ſanctis, quæ ibi videri poterunt.

2 Modò reſtat reddere cauſam quare hæ, & ſimiles cæremoniæ ſunt prohibitæ, & verè ſuperſtitioſæ ac ſuſpectæ. Ratio ergo communis Doctorum eſt; quia in tali caſu illa verba ſcripta non habent ex ſe vim naturalem ad producendum illum effectum, morbi ſcilicet, vel alterius mali vitandi, vt patet. Item non habent illam ex ſacra Scriptura, vt patet, quia in ſacra Scriptura nihil tale reperitur de illis verbis. Item prædicta verba ſcripta non habent illam vim ex definitione Eccleſiæ, vel ex traditione, vel applicatione Eccleſiæ: ergo talis effectus morbi tollendi tribuendus eſt pacto cum dæmone inito, & proinde cenſenda eſt ſuperſtitio magica, vel ſaltem vanæ obſeruantiæ. Ita Doctores communiter, maximè Delrio *lib. 3. quæſt. 4. ſect. 1.*

3 Et quoniam tales ſuperſtitiones non ſolùm in ſæcularibus, ſed etiam in Religioſis ab aliis deluſis ſolent reperiri, ponam hîc aliquas in ſumma ex multis, quæ referuntur à Delrio citato proximè loco per nouem ſectiones.

Prima

Prima sit: Per certa ieiunia, & orationes expectare consecutionem rei optatæ vel peccatorum remissiones: maximè, si præscribatur quod tales orationes sint fundendæ certis tantùm diebus, vel certis horis: hoc enim, & vana superstitio est, & suspecta. Ad hoc pertinet id quod dicit Author libri, qui dicitur Summa de exemplis, & rerum similitudinibus *lib.5. cap. 94. ex Cass.* videlicet tantam esse vim versiculi illius Psal.115. *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, vt si quis illum in morte ternâ confessione dixerit, omnia peccata sibi soluantur. Hoc inquam est falsum, & superstitio: promittit enim remissionem peccatorum ob illam rem, quæ nec est Sacramentum, nec à Deo vel Ecclesia instituta ad peccatorum remissionem consequendam.

Secunda superstitio ponitur à Delrio, gestare reliquias, vel Euangelium sancti Ioannis, vel aliquos versus Psalmorum non ex deuotione tantum, sed adiunctis vanis circumstantiis, vt sic vel sic sint scripta, vel vt reliquiæ portentur in tali vase, vel tali panno, & sic de cæteris. Si verò non adsint illæ vanæ circunstantiæ, pium, & salutare est reliquias, & Euangelium sancti Ioannis ex deuotione ad collum gestare, vt testatur experientia miraculorum propter illa duo factorum.

Tertia superstitio est obseruare certas festiuitates, vt Conuersionem B. Pauli, festum B. Vincentij, B. Vrbani, vel aliorum Sanctorum, in quibus si pluat, vel cœlum serenum sit, sibi spondent serenitatem, vel fertilitatem, vini copiam, vel inopiam, aut continuatam per tot dies pluuiam. Et ad hoc etiam dicit colligere herbas in die sancti Ioannis Baptistæ ad certos effectus esse superstitionem: eodem modo inserere ar-

bores in die Annunciationis B. Mariæ; vel in die ſancti Stephani equorum ſanguinem minuere:in quibus omnibus non datur cauſa naturalis talis effectus, neque ex inſtitutione Eccleſiæ colligitur. Ad idem pertinet, ſi habeant pro infauſtis aliquos dies ad iter agendum. Item ſeruare oua, quæ gallina parit feria 6. in Paraſceue, quæ dicunt valere ad extinguendum ignem ſi accendatur, in domibus, vel agris, & dicunt ignem extingui per illa oua in ignem iniecta. Denique huc ſpectare poteſt quod ego vidi meis oculis in quodam adoleſcente valde nobili, cum quo eram in quadam Eccleſia: qui ſolitus erat quoties in Miſſa legebatur epiſtola ex D. Paulo, ſurgere & ſtare capite diſcooperto, & dicebat hoc proficere ad non cadendum ex equo, quando equitaret, vel curreret in equo: idque in honorem D. Pauli, qui cecidit ex equo in via dum iret in Damaſcum. Eſt enim hoc mera ſuperſtitio cum Eccleſia talem deuotionem nec inſtituerit, nec approbauerit.

Quarta ponitur à Delrio, quam dicit vſitatam maximè à militibus, qui grauia vulnera curant ſolo panno taliter, vel taliter applicato, & cum certis verbis piis, quorum formulam ibi ad longum tranſcribit. Qui modus curandi dicitur per Enſalmos: & fuit ſemper valde ſuſpectus, cùm tantus effectus curationis vulneris aliàs mortalis ſperari non poſſit abſque miraculo: cúmque à Deo ibi non credatur fieri, ſuſpicio magna eſt quod illa curatio proueniat ex pacto cum Diabolo,& proinde ibidem Delrio *ſect.* 7. §. *De hac formula*, refert quod Epiſcopus Iptenſis cum multis conſiliariis ad id adhibitis, iudicarunt illam formam curandi eſſe ſuperſtitioſam; & prohibuerunt ne quis illâ vteretur.Et tradit cauſam Delrio:

nam

nam talis effectus totus speratur à Deo per modum miraculi : sed miracula sic assiduè, & quasi ex consuetudine sperare à Deo, est tentare Deum, quod nobis facere non licet. Vide fusè Valle *de Ensalmis sect.*1. *cap.*6. *num.* 2. vbi multos Doctores citat contra hos Ensalmos.

Occasione præcedentium casuum pono sequentem, qui à me aliquoties quæsitus est, & in praxi sæpius contingit.

CASVS XLIII.

An maleficæ denunciandæ sint coram sancto Officio, vel coram Ordinario?

ANtequam ad hunc casum respondeam, præmitto, & transcribo hìc partem Bullæ, quam Gregorius XV. edidit contra maleficos anno 1623. die 20. Martij, quam refert Bonacina *tom.*1. *disp.*4. *puncto* 2. *num.*11. quæ talis est.

Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt constito, quod aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à fide apostatando maleficijs, seu sortilegijs vnam seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio, seu sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu curiæ sæculari tradatur debitis pœnis puniendus. Qui verò similiter apostatando pactum cum Diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siue animabus, frugibus, vel alijs fructibus dam-

num notabile prouenerit muro claudi, siue perpetuis carceribus in sancto Inquisitionis officio, vbi illud existit, fabricandis, mancipari debeat: qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, seu Inquisitori denuntiare debeant. Sic ibi.

1 In qua Bulla primum noto, per illam non iuberi denunciari Inquisitoribus vel Episcopo quoscunque maleficos, sed illos imprimis, qui à fide apostatarunt propter pactum factum cum Diabolo. Et præterea si aliquam personam per maleficium vel sortilegium occiderint: vel denique aliquam læsionem in animabus, corporibus, vel fructibus causauerint. Hi omnes deferendi sunt ad Inquisitores hodie, non ad Episcopum, quia sunt malefici hæreticales, & Episcopi non possunt cognoscere de hæresi in foro externo. Licet verò Papa in fine Bullæ dicat eos deferendos esse ad Episcopum, vel Inquisitores, intelligit deferendos esse ad Episcopum in vrbe in qua non est Inquisitor: si enim sit Inquisitor ad illam primò deferendus est talis maleficus cùm sit Apostata à fide. Si verò non sit Inquisitor, nec possit adiri commodè, ad Episcopum deferri debet, vel ad suum Vicarium generalem in vrbe metropoli, vel ad Vicarium pedaneum cuiusque oppidi, hoc enim est propriè denunciare Episcopo. Et hanc denunciationem tenentur facere sub illis pœnis, & intra illum terminum, intra quem Inquisitores per sua edicta generalia iubent denunciari de hæreticis: hi enim malefici cùm à fide apostatauerint, hæretici sunt.

2 Noto secundò, quod sicut sunt blasphemi alij hæreticales, alij non hæreticales, de quo Doctores in verbo *Blasphemia*, ita sunt aliqui malefici non hæreticales, qui scilicet cum suo maleficio non habent admixtam

admixtam hæresim, vel idololatriam, de quibus paulò pòst dicemus. Alij sunt malefici hæreticales, qui scilicet cum suo maleficio habent hæresim admixtam. Hanc autem admixtionem hæresis innuit Papa hoc loco non posse melius cognosci quàm per pactum factum à malefico cum Diabolo. Bis enim Papa ponit hoc verbum, *Pactum cum Diabolo.* Et proinde est omnino necessarium explicare, quomodo maleficus, vel malefica soleant facere hoc pactum cum Diabolo?

3 Rem breuiter expedio ex multis quæ tradit Delrio *lib.2.disquisit.Magicarum,q.*4. §. *Tertia conclusio,* vbi ait duplex pactum posse fieri à malefico cum Diabolo. Alterum expressum, aliud tacitum. Pactum expressum cum Diabolo fit, quando concurrunt aliqua ex sequentibus. Primò solet apparere Diabolus in figura corporea, & illi coram testibus promittitur homagium siue fidelitas. Secundò, si libellum supplicem Diabolo præsentant. Tertiò, licet hanc fidelitatem Diabolo non promittant in præsentia illius, est etiam pactum expressum, si illam promittant mediante mago, vel tertio aliquo, eo quod nouus promittens faciem Diaboli reformidet. Et cum his pactis de ordinario coniuncta sunt hæc: primò abnegare fidem, & Christianismum: Deo obedientiam subtrahere: Deiparæ Mariæ patrocinium repudiare, & illam conuitiis incessere. Quartò, illos Diabolus aliquando tingit suo baptismo. Quintò, dant Diabolo particulam aliquam sui vestimenti. Sextò, iusiurandum Diabolo præstant super circulo in terram sculpto. Septimò, singulis annis tenentur aliquid offerre Dæmoni suo magistello. Et denique promittunt se fore contumeliosos in B. Virginem, & in Sanctos, Crucem Christi, & nunquam facturos veram sacramentalem con-

fessionem. In quibus omnibus clarum est grauissima peccata committi,cum ibi intercedat idololatria,adorando creaturam. Si verò fidem ex animo abiiciant, sunt etiam apostatæ, & hæretici. Quod si illa omnia fictè faciant, nec apostatæ, neque hæretici sunt: peccant tamen grauissimè contra fidei confessionem.

3 Pactum tacitum cum Diabolo fit primò, quando quis sciens, ac volens vtitur signis superstitiosis, quibus vti solent magi: quæ quidem ex libris, aut sermonibus illorum, vel aliorum acceperit. Hoc enim est etiam graue peccatum,cùm non liceat cum Diabolo directè, neque indirectè communicare. Secundò, potest dari hoc pactum tacitum cum Diabolo, quando quis ignorans vtitur signis magicis,quia nescit esse mala, & à Dæmone instituta: quod solet illis accidere qui legunt libros superstitiosos, putantes illos esse Authorum probatorum.

4 Viso ergo quid sit pactum expressum, & tacitum cum Diabolo, non est hoc loco quæstio de pacto tacito secundo modo,quando scilicet quis ignorans vtitur signis magicis,paratus corrigi si sciat. Talis enim non peccat propter ignorantiam probabilem. Quæstio ergo hîc est, an iubente Papa in hac Bulla denuntiari sancto Officio, vel Episcopo maleficum habentem pactum cum Diabolo,per tale pactum non solùm intelligendum sit pactum expressum, prout explicatum est suprà *num.*1. sed etiam pactum tacitum primo modo, quando scilicet quis sciens, & volens vtitur signis, & mediis, quibus vtuntur magi habentes pactum expressum cum Diabolo? Potest vtcumque sustineri hos non esse denunciandos apud Inquisitores: quia formaliter, & in rigore non videntur hæretici, cùm fidem non abnegauerint cum aliis cæremoniis

positis

positis *num.*2. Inquisitores verò non possunt se intromittere in sortilegiis, & diuinationibus, nisi sapiant hæresim manifestè: vt expresè dicitur in c. *Accusatus*, de hæreticis in 6. Secundò, quia verba vtplurimum sunt accipienda in suo principali significato: & proinde cum Bulla Gregorij citata dicat denunciandos esse maleficos habentes pactum cum Diabolo, nomine pacti intelligendum est pactum principale, quod est pactum expressum, non verò tacitum, quod non est propriè pactum. Facit etiam ad hoc quod tradit Author mallei maleficarum 3.*part.q.*1.§.*Ex his specialiter:* vbi dicit non fuisse hæreticum quemdam Presbyterum, qui cum quodam diuinatore introiuit in locum secretum, non ea intentione vt Dæmonem inuocaret; sed vt per inspectionem Astrolabij furtum quoddam inueniret.

5 Nihilominus ego credo probabilius, & securius, etiam denunciandos esse apud Inquisitores, vel Episcopum hos maleficos habentes cum Diabolo solum pactum tacitum primo modo tradito suprà *num.*3. Probo clarè: primò, quia quando lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. l. *Non distinguemus* ff. de recept. qui arb. Sed citata Bulla Gregorij XV. iubet denunciari maleficos habentes pactum cum Diabolo, & non distinguit de pacto expresso, vel tacito, & aliàs pactum tacitum reputatur verum pactum à Doctoribus: ergo mens Papæ est vt etiam denuntietur apud Inquisitores maleficus habens solum pactum tacitum primo modo cum Diabolo. Secundò, quia taciti, & expressi idem est iudicium, vt habetur in l. *De quibus*, in fine, ff. de legibus: & in l. *Cum quid*, ff. si certum petat. De quo multa tradit Euerardus loco ab expresso ad tacitum: ob quam causam facta per solam

licentiam tacitam Prælati valida aliquando valent,& non condemnantur. Ergo pactum tacitum cum Diabolo pro eodem reputantur, & proinde habens pactum tacitum cum illo denunciandus est sicut habens cum illo pactum expressum. Tertiò,quia suspectus de hæresi deferendus est ad Inquisitores, vt clarè colligitur ex cap. *Accusatus*, de hæretic. in 6. & ex praxi S. Inquisitionis,in qua abiurant etiam de leui. At iste habens pactum tacitum cum Diabolo est suspectus de fide, saltem de leui: ergo est denunciandus Inquisitoribus. Probo minorem exemplo claro. Nam Paulus V. propriâ Bullâ iubet denunciari Inquisitoribus confessarium sollicitantem feminas intra sacramentalem confessionem; idque ob suspicionem hæresis. Hæc autem suspicio hæresis non est suspicio vehemens, sed leuis, vt probat P. F. Antonius de Sousa *in explicatione cit. Bullæ Pauli V. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. At quis negabit leuiter saltem in fide esse suspectos maleficos qui scientes & prudentes faciunt illa, quæ faciunt Magi pacti expressi, videlicet abnegando fidem, adorando Diabolum, iniuriando Sanctos, &c. Quod potest probari ex eo quod Christus D. *Ioan.* 8. dixit Pharisæis: *Vos facitis opera patris vestri.* Vbi eos filios Diaboli appellauit, quia faciebant opera patris sui Diaboli. Quod potest applicari ad intentum: nam is qui habet pactum tacitum cum Diabolo, & sciens & prudens facit id quod facit maleficus pacti expressi suspicionem, leuem saltem incurrit circa materiam fidei.

6 Hoc autem quod proximè dixi de denunciandis etiam maleficis pacti taciti, saltem locum habebit infallibiliter, quando maleficus pacti taciti in suo maleficio, abusus fuerit sacramentalibus Ecclesiæ, seu

rebus

rebus quas Ecclesia benedicit pro vsu sacramentorum, quales sunt, petra Aræ, seu altare portatile, candelæ benedictæ, corporalia, & similia; tunc enim clarum signum est quod maleficus contemnit Ecclesiam, & proinde est satis suspectus de fide: sic tenet Penha *2.part.directorij Inquisit.commento 67.*

7 Tandem notandum est, quod in denunciandis maleficis seruandæ sunt regulæ traditæ à Doctoribus circa denunciationem Euangelicam, & correctionem fraternam, de quibus regulis modo non disputo. Semper autem præmittenda est correctio fraterna, si speratur fructus de correctione: si verò non speratur, omittenda est. Notat verò Delrio *lib. 5. Magic. sect. 4. §. Sextum*, aliqua circa hanc materiam denunciationis maleficarum. Primum est, quod si constat aliquos errare ex ignorantia, & moraliter speratur fructus ex admonitione, tunc præmittenda est correctio fraterna. Secus si constet eos peccare ex malitia, nec speratur fructus ex correctione fraterna. Secundum est, quod si res sit dubia, an peccent ex malitia, vel ignorantia. Item si sit dubium an emendabuntur ex correctione fraterna; tunc est securius, & vtilius Reipub. vt omissâ admonitione, statim denuncientur: quia in re dubia non est Resp. Christiana in discrimen adducenda, & bonum commune præponendum est bono particulari. Tertiò dicit, quod lamiæ, & maleficæ de ordinario sunt valdè pertinaces, & vix fieri potest vt ex ignorantia peccent, & semper mora est periculosa aliis; & ideo semper sub mortali vnumquemque teneri confestim illas denunciare, etiamsi crimen illarum non sit coniunctum cum hæresi. Et ideo qui non reuelat hoc crimen cognitum extra sacramentalem confessionem, indicium contra

ſe præbere vt poſſit contra illum ſpecialiter inquiri, tanquam de fautore maleficorum, & ſuſpectorum de hæreſi.

CASVS XLIV.

De indulgentijs confraternitatis Chordigerorum P. N. Franciſci.

PApa Sixtus V. apud Bullarium Rodriguez *fol.* 1138. conceſſit vt in Monaſteriis Ordinis P. N. Franciſci erigeretur, & inſtitueretur confraternitas Chordigerorum, id eſt, portantium, ſeu geſtantium chordam P. N. Franciſci, & confraternitas erecta eſt in multis conuentibus noſtri Ordinis: ſed in aliquibus illorum extincta eſt ob teporem fidelium, & in aliquibus illorum adhuc perdurat. Item Leo X. in compendio Mendicantium titulo, *Indulgentia quoad ſæculares*, in titulo, *Ex priuilegijs Fratrum Auguſtinenſium*, conceſſit aliquas indulgentias ſæcularibus geſtantibus chordam P. N. Franciſci benedictam ab aliquo Prælato Ordinis; ſicut idem Leo conceſſerat geſtantibus corrigiam D. Auguſtini. Vltimò conſtat quod Paulus V. reuocauit omnes indulgentias Religioſorum, exceptis paucis, quas illis permiſit. Hoc poſito, quæritur primò: Vtrùm indulgentiæ illæ in compendio pro geſtantibus corrigiam, vel chordam P. N. Franciſci, ſint hodie validæ, an reuocatæ per Bullam D. Pauli V. & an ad eas lucrandas debeant aſcribi in dicta confraternitate.

2 Quæritur, an illi conuentus, in quibus illa confraternitas extincta eſt, poſſint illam denuo erigere,

& an

& an sic erecta, seu restituta debeat habere omnes indulgentias in Bulla concessas : & cuius authoritate possit iterum erigi.

3 Quæritur quæ, & quales sint hæ indulgentiæ?

Responsio.

1 ANte responsionem præmitto, quod Paulus V. particulari Bullâ reuocauit omnes indulgentias concessas cuicumque Religioni in communi, vel in particulari, exceptis tredecim quas in citata Bulla Paulus V. omnibus Religiosis reliquit. Et licet idem Paulus V. post hanc reuocationem confirmauerit priuilegia Ordinis Minorum ex certa scientia, ego clarè probaui *in meo primo tomo Dubiorum Regularium, verbo* Indulgentia, §. *Ego constanter*, ibi Paulum V. non reualidasse, neque denuo confirmasse nostras antiquas indulgentias, quas ille reuocauerat: & idem hodie constanter teneo, quidquid meam opinionem impugnet Hieronymus Rodriguez *tom. Resolutionum, resolut.* 77. *à num.* 45. meis argumentis non adæquatè respondens. Ibidem etiam probaui Paulum V. solum reuocasse indulgentias primò & directè concessas ipsis Religiosis, non verò concessas sæcularibus intuitu Religiosorum, vt exemplis ibi ostendi. Quo posito, dico:

2 In citato loco compendij, Leo X. sic concessit: Quod viri, & feminæ deferentes zonam Fratrum sancti Augustini datam ab aliquo Prælato eiusdem Ordinis ad hunc finem, lucrari possint indulgentias prædictis Fratribus concessas. Postea ibidem Collector priuilegiorum, asserit eandem concessionem extendisse Leonem X. ad illos qui gestarent chordam P. N. Francisci, datam similiter ab aliquo Prælato.

3 Circa

3 Circa quam concessionem, noto, illam quoad sæculares non esse hodie reuocatam à Paulo V. nam illa indulgentia non est concessa Religiosis, vt patet, sed est concessa sæcularibus intuitu Religiosorum: & proinde non est reuocata à Paulo V. sicut non sunt reuocatæ indulgentiæ aliæ concessæ sæcularibus intuitu Religiosorum, quales sunt visitare Ecclesias illorum. Audire concionatores illorum: osculari habitum illorum, & similia. Secundo, noto gestatores prædictæ corrigiæ, vel chordæ non posse hodie lucrari omnes indulgentias prædictis Religiosis Augustinensibus & Minoribus concessas, sed illas solum quæ sunt illis concessæ per Paulum V. in sua Bulla reuocatoria, quas ego pono in citato meo tomo 1. Dubiorum Regular. Non verò possunt dicti sæculares chordigeri lucrari illas indulgentias antiquas reuocatas à Paulo V. nam indulgentiæ reuocatæ nullæ sunt, nec existunt in rerum natura. Potest hoc ipsum probari ex citata Bulla Sixti V. pro chordigeris P. N. Francisci, de qua agimus, in qua bis Sixtus V. dicit se concedere dictis Chordigeris quod possint lucrari omnes indulgentias concessas Minoritis, quoad eas dumtaxat quæ non sunt reuocatæ, & vt ponam vnum, vel alterum exemplum, ex illis quæ dixi cit. meo primo tomo Dubior. Regularium, verbo *Indulgentia*, concessit idem Paulus V. Minoritis indulgentiam plenariam dicentibus Coronam B. Virginis; concessit item ibidem, quod Religiosus visitans suam propriam Ecclesiam, & ibi orans confessus, & sacratissima communione refectus orans pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, exaltatione Ecclesiæ, & salute Sum. Pontificis, huic tali concessit indulgentiam plenariam: sæcularis portans corrigiam,

giam, vel chordam, & dicens coronam B. Virginis, vel recitans modo proximè dicto in Ecclesia Augustini, vel Patris Francisci, respectiuè, lucrabitur id, quod conceditur prædictis Religiosis respectiuè. Tertiò, noto circa eandem concessionem compendij, quod vt sæculares lucrentur prædictas indulgentias portando corrigiam vel chordam prædictas, non est necessarium quod ascribantur in confraternitate instituta à Sixto V. pro Chordigeris P. Francisci; sunt enim duæ valde diuersæ concessiones, quarum prior Leonis præcessit confraternitatem Sixti V. ferè per annos octoginta, & sic vna non dependet ab alia.

3 Ad secundum quæsitum dico, licet dicta confraternitas Chordigerorum sit extincta in alio monasterio Minorum, Prælatus tamen, maximè Prouincialis, poterit eandem erigere in eodem conuentu, & sic erecta, vel restituta habebit omnes indulgentias concessas chordigeris in confraternitate, & Bulla prædicta. Quod autem solus Prælatus Minorum prædictam confraternitatem in suo conuentu possit denuò erigere, vel extinctam restaurare, probatur clarè ex Bulla citata Sixti V. in qua pro talis confraternitatis erectione non requirit licentiam, vel consensum Episcopi. Sed ipse ex sua propria authoritate, & potestate dicit, quod tales confraternitates erectas, in monasteriis, ipse illas incorporat, & aggregat archiconfraternitati eiusdem chordæ primo institutæ in ciuitate Assisij, in qua est corpus P. N. Francisci. Quod autem confraternitas in vno monasterio extincta, non impediat quin alia in eodem monasterio restituta iuxta eandem Bullam, habeat omnes indulgentias concessas in eadem Bulla, sicut habuerat prior confraternitas extincta in eodem conuentu, probatur

claro

claro exemplo adducto ex iure per Suar. *tom. de censuris, disput.*38.*sect.*1.*num.*13. vbi aliquibus citatis, dicit quod si destruatur vna Ecclesia, in qua antea erat concessum vnum priuilegium, & in eodem loco, seu pauimento reædificetur alia Ecclesia: talis Ecclesia denuò reædificata gaudebit priuilegio antiquo quod habebat Ecclesia destructa: pro quo citat Felinum, & Iasonem. Quod exemplum est adæquatum ad intentum.

4 Ad tertium in quo quæritur, quæ, & quales sint indulgentiæ concessæ chordigeris P. N. Francisci in dicta Bulla Sixti V. satis respondet Rodriguez *tomo* 1. *qq. q.* 58. *art.* 1. vbi postquam transcribit prædictam Bullam Sixti V. ponit summarium, seu compendium indulgentiarum in illa contentarum. Vbi referuntur multæ, & magnæ, & faciles indulgentiæ concessæ confratribus eiusdem confraternitatis.

5 Eadem verò *quæst.*58.*art.*2.*tract.* Rodriguez de institutione confraternitatis corrigiatorum D. Augustini, & de priuilegiis eidem concessis maximè à Gregorio XIII. & Gregorio XIV. qui voluerit ibi videat.

CASVS XLV.

An confessarius teneatur admonere pœnitentem inuincibiliter ignorantem aliquid.

CAsus iste sæpius contingit, & est circa rem grauissimam, & doctrina illius mihi iam bis fuit necessa

necessaria, vt infrà forsitan attingam. Casus igitur est: Cognouit aliquis Confessarius intra confessionem incidenter, pœnitentem coniugatum contraxisse matrimonium cum impedimento dirimente. Videt tamen quod pœnitens habet circa hoc ignorantiam inuincibilem: videt item separationem, & dispensationem fore difficillimam, & timetur, quod ex admonitione non sperabitur fructus, sed potius tunc pœnitens antea ignorans continuabit sciens, & peccans in illo statu. Hic idem casus potest contingere in materia restitutionis, vt cùm confessarius incidenter cognouit in confessione, pœnitentem possidere rem alienam notabilem, vt primogenium, vel maioratum, videt tamen pœnitentem admonitum non esse restituturum; & postea manebit in mala fide, cùm antea haberet bonam fidem. Quæritur, inquam, vtrùm in his duobus, & similibus casibus teneatur admonere pœnitentem: vel debeat illum relinquere in sua bona fide.

In qua quæstione grauissima, & quotidiana, Petrus Soto *lect.* 10. *de Confess. ad finem*, §. *Circa hæc*, ait quando ignorantia est iuris diuini, vel humani, tutius esse pœnitentem instrui. Idem docent alij, quando resultat damnum tertij, sicut resultat quando pœnitentes ex ignorantia etiam inuincibili retinent rem alienam, vt maioratum, vel quid simile; tunc enim dicunt pœnitentem monendum esse vt rem alienam restituat. Probatur hæc opinio, primò, quia illa ignorantia nunquam est inuincibilis, nisi deficiente aliquo qui instruat; cùm ergo possit tunc confessarius instruere, tenetur instruere ne ignorantia illa culpabilis fiat. Secundò, quia pœnitens ad confessorem accedit tanquam ad Doctorem, & Vicarium Dei, vt

ab

ab ipſo inſtruatur, quia vel eſt proprius paſtor, vel gerit vicem proprij paſtoris: ergo infideliter aget niſi inſtruat, & tacens abſoluénſque pœnitentem errantem, videtur ſuo facto pœnitentis errorem approbare, vel confirmare. Tertiò, quia vtilius naſci ſcandalum permittitur, quàm quod veritas relinquatur, cap. *Qui ſcandalizauerit*, de reg. iuris: ergo propter ſcandalum pœnitentis non acceptantis monitionem, non eſt deſiſtendum à veritate manifeſtanda. Quartò, quia potens alium ab errore reuocare, & tacens, ſe ipſum errare demonſtrat, vt habetur *in cap.2. de hæret.*

1 Oppoſita tamen ſententia tenenda eſt in praxi, videlicet, quod quando pœnitens habet ignorantiam inuincibilem iuris, vel facti circa aliquod impedimentum matrimonij, vel circa retentionem rei alienæ ex qua reſultat præiudicium tertij, non teneri confeſſarium illum admonere, ſi clarè videt ex ſua monitione non futuram emendationem pœnitentis, ſed potiùs illum manſurum in mala fide, cùm antea eſſet in bona fide. Hanc opinionem latè tractat, ac defendit Sanchez *lib.2. de matrim. diſput.* 38. *à num.6. & ſeqq.* in quo citat vndecim graues Doctores, præter alios quos citauerat *num.* 1. *eiuſdem diſputationis*, quos dicit eandem tenere ſententiam. Aliqua verò notata à Sanchez circa hunc caſum paulò pòſt aduertam. Eandem ſententiam ſequitur Bonacina *tomo* 1. *de impedimentis matrimonij, quæſt.* 3. *puncto vltimo*, maximè *num.* 7. vbi alios citat, & numeris ſequentibus. Ponit Sanchez citato num. exemplum, quando ex admonitione ſequetur ſcandalum ex ſeparatione: vel difficultas, quia verbi gratia, coniux volet recedere cum ſcandalo alterius ignorantis impedimentum: vel

volet

volet persistere in matrimonio obtenta dispensatione, & alter nolet denuo consentire, vel permanebunt ambo coniuges in perpetuo concubinatu. Circa errorem verò facti, ponit Sanchez hoc exemplum, quod paucis abhinc diebus à me fuit quæsitum. Exemplum, v. g. Aliquis bona fide contraxit matrimonium, præmissâ sufficienti indagine circa mortem prioris coniugis: scit confessarius, vel aliquis alius priorem coniugem viuere. In hoc casu seruiunt illa, quæ paulò suprà diximus. Circa errorem verò iuris sit exemplum. Habuit quis copulam ante matrimonium initum cum consanguinea vxoris intra secundum gradum, & inuincibiliter ignorans esse impedimentum dirimens, contraxit matrimonium: seruiunt illa quæ proximè diximus.

2 His positis probatur hæc sententia, quod scilicet cum talibus circumstantiis non debet, imò non potest confessarius pœnitentem admonere, sed relinquere illum in bona fide: probatur inquam primò ex Diuo Augustino, & habetur cap. *Si quis autem, de pœnit. dist.* 7. ibi: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Ad quem locum Nauarrus in commentario citati capitis *num.* 73. *in* 1. *tom. suorum operum ad finem*, testatur se aliquando vidisse aliquas dispensationes in variis materiis, (quorum erant illæ) quas sine vllo scrupulo de peritorum consilio putabant esse legitimas, quæ tamen tales non erant: sed quia circa ius erant humanum, & nulli præiudicabant, ait Nauarrus timuisse se veritatem illis propalare, ne quos ipsorum iusta ignorantia excusabat, auctoritate suâ crederent eas non valere, & nihilominus eis vtentes, peccarent. Et in citato loco loquens Nauarrus de hoc casu nostro dicit, non solùm posse, sed debere confes-

sarium tali pœnitenti, cui credit monitionem nocituram potiùs, quàm profuturam, dicere illum in bono statu viuere. Secundò probatur conclusio: quia nulla lex obligat ad actum frustraneum & otiosum: sed in hoc casu admonitio confessoris erit frustranea, vt supponimus; ergo ad illam faciendam confessarius non tenetur. Tertiò probatur claro argumento, & exemplo. Nam correctio fraterna obligat de iure naturali, & dirigitur ad vtilitatem proximi correcti: & tamen si ego credo correctionem meam fraternam nihil profuturam, non teneor ad illam faciendam, vt Doctores communiter dicunt in materia correctionis fraternæ: ergo confessarius non tenetur in nostro casu admonere pœnitentem. Quartò probatur, quia nulli debemus laqueum iniicere, vt dicitur in cap. *de viduis el* 2. 27. *q*.1. sed admonere in hoc euentu nihil aliud esset quàm laqueum & offendiculum opponere: nam constituti in bono statu,& bona fide, per confessoris admonitionem poterunt manere in mala fide: quia deinceps, v.g. vxor impedimenti conscia tenetur potius mortem subire, quàm reddere debitum: & fortè vir non poterit detegere impedimentum ne famæ impedimentum patiatur, & inde rixæ, & scandala oriantur, & Ecclesia non probato impedimento compellet. Et propter id quod proximè dictum de periculo continuandi in mala fide, dico mihi bis quid simile contigisse cum duobus viris coniugatis,& ambobus habentibus impedimentum dirimens, & ambo sciebant suum impedimentum, vxores verò ignorabant: & hoc fuit extra confessionem per viam consilij, quibus cùm dixissem, vt prius irent, & certam diligentiam facerent,illâque factâ ad me redirent, nullus illorum amplius rediit.

3 Maius est quod addit Sanchez *citatâ disput.*38.*n.*6. videlicet, non solum post matrimonium contractum posse, ac debere confessarium abstinere ab ista admonitione, sed etiam ante illud contractum. Si enim confessarius, vel quilibet alius videat pœnitentem ignorantiâ inuincibili impedimenti laborantem, & probabiliter credat fore vt monitus non acquiescat, nec fidem adhibeat, & læsâ conscientiâ matrimonium sit contracturus, & cum maximo scandalo, vel difficultate à matrimonio desistet: vtpote quia iam fortè factæ sunt denunciationes per parochum in Ecclesia, vel quid simile, prudentissimè aget confessarius si taceat. Et hoc probatur eisdem rationibus quibus *num.*2. *præcedente* probatum est id debere facere post contractum matrimonium, militant enim vtrobique eædem rationes: & colligitur clarè ex eo quod citauimus in principio numeri secundi præcedentis, videlicet noluisse illum Nauarrum detegere errorem quarumdam dispensationum, ne fortè sua monitione daret scandalum peccandi. Ibi enim clarè colligitur ex Nauarro id sibi contigisse ante matrimonium contractum. Et idem tenet Bonacina *citato loco num.*9.

4 Dixi suprà *num.* 1. hoc debere facere confessorem in tacendo impedimento matrimonij concurrentibus illis circumstantiis: nunc addo posse, ac debere similiter tacere, quando videt pœnitentem ignorantem inuincibiliter retinere rem alienam, vt maioratum, si admonitus non acquiescet, nec restituet, sed manebit in mala fide. Sic Sanchez & Bonacina *cit.loco*, citans Henriquez, Gutierrez, Medinam. Et hæc probatur eisdem rationibus, quas suprà adduximus ad probandum *in num.*2. non debere confessarium admonere pœnitentem de impedimento dirimente occulto,

 concur

concurrentibus circumstantiis ibi dictis, probant enim dictæ rationes in hoc casu restitutionis. Additque Sanchez *cit. disput.* 58. hactenus dicta de non admonendo pœnitente, locum etiam habere, quando credit confessarius fore, vt pœnitens libenter quidem admonitionem suscipiat, ac videt remedium esse difficillimum, vt si scandalum, vel notabilis infamia inde sequatur, currit enim eadem ratio.

5 Ponit tamen Sanch. aliquas aduertentias pro maiori declaratione præcedentis conclusionis, quas in summa sic repeto. Prima est, quod si ignorantia pœnitentis sit vincibilis, & culpabilis mortaliter, tenetur confessarius illum admonere, siue ignorantia sit iuris, siue facti, nec poterit tunc confessarius dissimulare, licet timeat quod pœnitens non emendabitur, & licet inde sequatur scandalum culpâ pœnitentis: & probatur, quia talis ignorantia vincibilis, & culpabilis non excusat, & proinde tenetur confessarius admonere. Secunda est, posse contingere vt aliquando pœnitens prius fuerit in mala fide, sed postea sit in bona fide, quia scilicet consuluit postea viros doctos, qui conscientiam sedarunt, & tunc reputandus est pœnitens tanquam ignorantiâ inuincibili laborans. Tertia est, posse contingere, vt pœnitens fateatur se deliquisse in modo contrahendi matrimonium, vt quia peccauerat cum consanguinea vxoris ante matrimonium, & tamen inuincibiliter ignoret præsentis matrimonij nullitatem, & tunc debet se confessarius cum illo tanquam cum laborante ignorantia inuincibili gerere. Quarta est, si pœnitens ex conscientia erronea credat aliquid esse peccatum mortale, tenetur confessarius admonere: & hoc saltem probat arguméntum secundum suprà positum pro parte contra

contraria : quia scilicet pœnitens accedit ad confessorem tanquam ad Doctorem , & Vicarium Dei vt ab ipso instruatur , &c. Quinta est , quod si ipse pœnitens dubitet , & interroget de impedimento , tunc tenetur confessarius admonere, licet credat se nihil profuturum. Nam pœnitens in eo casu iam non laborat ignorantiâ inuincibili , sed potiùs vincibili, cùm dubitet de impedimento: tum quia confessarius non manifestando veritatem, censetur approbare errorem pœnitentis.

6 Quia verò in tota hac disputatione supponitur impedimentum dirimens in confessione cognitum, esse tollendum , & succurrendum pœnitenti obtenta dispensatione. Non erit inutile scire , in casu , quo teneatur confessarius pœnitentem monere, quis possit dispensare, vt ablato illo impedimento, iterũ coniuges matrimonium in secreto cõtrahant; & quomodo vnus coniux impedimenti iam conscius , admonere debeat alium coniugem ignarum illius, vt iterum contrahat.

7 Quoad primum dico , Episcopum posse dispensare in impedimento dirimente matrimonium , concurrentibus his circumstantiis : vt matrimonium sit publicum , impedimentum verò occultum. Secundò, quod sit scandalum in separatione. Tertiò , si non possit adiri Papa , inopiâ , aut aliâ iustâ causâ impediente. Hanc conclusionem latè probat Sanchez *lib.*8. *de matrim. disput.*40. *num.*3. *& seqq.* & praxis obseruat, pro qua probanda multas ibi rationes assignat, & multos citat. Notat verò *eadem disput. num.* 8. quod si facilè adiri possit Nuncius Apostolicus , qui habeat facultatem dispensandi in illis , vel Commissarius Cruciatæ , qui habeat similem dispensandi facultatem , tunc non poterit Episcopus dispensare. Nam

Episcopus solum potest dispensare in hoc casu ratione vrgentis necessitatis: sed quando adest potens dispensare ad quem confugi potest, cessat necessitas: ergo non poterit Episcopus. Aliud ibi ponit argumentum quod vide. Aduertit etiam ibi, commissarium Cruciatæ non habere facultatem dispensandi, nisi detecta nullitate prioris matrimonij alteri coniugi: quare si eâ non detectâ expediret celebrari matrimonium vrgente necessitate; tunc cessante quoad hoc facultate Commissarij, posset recurri ad Episcopum ratione vrgentis necessitatis.

8 Obtentâ verò dispensatione impedimenti occulti, & dirimentis, dubium est quomodo declarandum sit impedimentum coniugi ignoranti, vt denuo contrahat, & denuò consentiat. Vtrùm scilicet illi sit declarandum in particulari, quod fuerit impedimentum præcedens: an verò sufficiat illi dicere in communi quod impedimentum dirimens præcesserit, & ideo denuo consentiat in matrimonio? Ad hoc respondet Bonacina *tomo 1. tit. de natura, & proprietatibus matrimonij, quæst. 2. puncto 9. num. 7. §. Sed mihi*, vbi relatis prius duabus opinionibus, vnâ dicente manifestandum esse impedimentum in particulari; alia affirmante sufficere quod manifestetur in genere. Respondet Bonacina, quod si tale impedimentum possit manifestari coniugi absque graui periculo, tunc debet illi manifestari, vt tollatur omne dubium nullitatis prioris matrimonij, & consensus dandus in secundo matrimonio sit liberior. Pro quo citat Sanchez, Filliucium, *&c.* Si verò non possit manifestari coniugi tale impedimentum nisi cum magno periculo, & scandalo, tunc non est manifestandum in particulari, sed sufficere si illi dicat: Consensus, quem

quem habui in contractu matrimonij, non fuit sufficiens ad valorem illius, nisi de nouo consentiamus,&c.tunc accedente vtriusque consensu matrimonium coalescit. Plura alia dubia mouent Sanchez, & Bonacina citatis locis ad hunc casum spectantia, quæ apud illos videri possunt. Mihi sufficit adducere potiora, & frequentiora.

9 Ad argumenta posita in principio probantia teneri semper confessarium admonere pœnitentem. Respondetur sic. Ad primum dicendum est antecedens esse verum quando pœnitens dubitaret; teneretur enim data opportunitate consulere Doctores: quando autem nihil dubitat, nihil est quod ipsum vrgeat ad intentum. Ad secundum respondetur teneri confessarium admonere, quando fructus de admonitione speratur, secus illo fructu cessante, quia monitio illa ad bonum ipsius ordinatur: eo ferè modo, quo suprà *num.* 2. diximus correctionem fraternam ordinatam ad bonum correcti cessare non sperato fructu correctionis. Ad tertium dicendum, illam regulam, *vtilius scandalum*, &c. intelligi sic: Quando aliquid sine peccato mortali fieri non potest, vel omitti, faciendum non est omittendum propter scandalum: secus quando fieri potest, vel omitti sine peccato: & eodem modo explicandum est aliud capitulum ibi citatum. At ista omissio admonendi potest fieri sine peccato confessarij, quin illâ omissione non peccat. Ad quartum dic illum textum loqui de errore culpabili, secus de inuincibili.

CASVS XLVI.

De quadam promissione pro contrahendo matrimonio.

QVædam mulier dato scripto promisit cuidam viro suo consanguineo in tertio gradu, se cum illo matrimonium contracturam, si Papa dispensaret; pater puellæ contradicit matrimonio futuro: tum quia illa nondum habet duodecim annos completos; tum quia adolescens est nimis pauper, & ipsa diues.

1 Quæritur primò, an illa promissio, viso quod facta sit de nubendo in gradu prohibito, fuerit nulla, & ideo illa non manet obligata ad matrimonium illud, nec proinde teneatur ad procurandam dispensationem?

2 Quæritur, an pater possit impedire matrimonium illud eo quod ipsa non habeat annos 12. completos?

Respondetur ad primum.

1 QVod attinet ad primum dubium, sunt duæ opiniones relatæ à Sanchez *lib. 5. de matrim. disput.5.* Prima opinio tenet quod talis promissio fuit nulla, & proinde nullam inducat obligationem ad tale matrimonium. Fundamentum præcipuum istius opinionis, est, quod ista conditio; *si Papa dispensauerit, contraham tecum*; est conditio impossibilis: nam conditio dependens à voluntate Principis reputatur impossibilis, vt constat ex l. *continuus* 137. §. *cum quis*, ff. *de*

ff. *de verb. oblig.* At conditio impossibilis adiecta pro sponsalibus, est nulla: ergo talis promissio fuit nulla, vtpote de re pedente à voluntate aliena, scilicet Papæ. Alias rationes pro eadem sententia adducit Sanch. *cit. disput.* 5. *num.* 5. & citat pro illa vltra viginti quinque Doctores graues, qui ibi possunt videri. Ego enim contentus sum respondere ad substantiam casus. Estque hæc prima opinio probabilis tum ob rationes, tum ob multitudinem Doctorum illam defendentium. Et proinde hæc mulier, si voluerit illam sequi non nubendo tali viro, securâ conscientiâ id poterit facere. Quamuis enim vt statim dicam, opinio opposita, quod scilicet talis promissio obliget, sit opinio probabilior; potest quis sequi opinionem quæ est probabilis relictâ opinione probabiliore, vt tenet communis Doctorum opinio, maximè Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16. *q.* 5. *& seqq.* Neque iudex Ecclesiasticus poterit hanc mulierem obligare in foro externo ad contrahendum cum tali viro, cùm opinio illi assistens habeat pro se vltra vigintiquinque graues Doctores.

2 Est nihilominus secunda opinio, dicens prædictam promissionem esse validam, & proinde teneri illam mulierem obtentâ dispensatione Papæ nubere illi adolescenti. Hanc opinionem sequitur Sanchez *citata disputatione* 5. *num.* 12. pro qua citat decem & nouem graues Doctores, dicens esse probabiliorem, quàm sit prior: licet enim hæc habeat pro se pauciores Doctores quàm prior opinio, habet tamen solidiora fundamenta. Maior autem probabilitas opinionis alicuius non consistit in eo quod plures Doctores illam sequantur; sed in eo quod pluribus, & melioribus rationibus fulciatur. Prima ergo, & prin-

cipalis ratio pro ista opinione est. Nam promissio de re licita, honesta, & factibili, obligat promittentem sub mortali, postquam acceptatur ab illo cui promittitur, vt tenet communis opinio Theologorum, & Canonistarum, nec talis promissio potest reuocari nisi concurrentibus certis circunstantiis, quæ in hoc casu non interuenerunt, qualis est ingratitudo, & similes aliæ. At promissio de contrahendo matrimonio cum consanguineo dispensante Papa est res licita, cùm quotidie fiat dispensante Papa, & proinde est res honesta si fiat cum tali dispensatione; & est factibilis, cùm quotidie fiat: ergo talis promissio fuit valida, & proinde obtentâ dispensatione obligabit sub mortali. Et ex hac ratione destruitur fundamentum oppositæ opinionis, quod est, hanc conditionem, si Papa dispensauerit, esse conditionem impossibilem, eo quod sit conditio pendens à voluntate Papæ. Quod constat esse falsum; talis enim conditio non est impossibilis, cùm quotidie Papa dispenset in tertio gradu, imò & in secundo: quod autem quotidie fit, non dicitur impossibile. Posset verò dici impossibilis talis conditio, *si Papa dispensauerit*, quando esset dispensatio in primo gradu, seu impedimento, in quo nunquam Papa dispensat: at quando agitur de dispensatione in tertio gradu, in quo quotidie Papa dispensat, nullo modo est conditio impossibilis, sed possibilis. Adducit ad hoc Sanchez *citatâ disput.* 5. legem *apud Iulianum*, §. *Constat*, ff. *de legat.* 1. ex qua colligitur, quod non reputatur impossibile id quod pendet à voluntate Principis, quando Princeps id solet concedere.

2 Affert pro eadem opinione Sanchez *cit. num.* 12. duo exempla clara, & efficacissima. Primum: nam institutio

institutio spurij in hæredem, sub conditione, *si princeps illum legitimauerit*, est valida, iuxta communem, & verissimam sententiam, pro quo citat Couar. Duenas, Molina de primogeniis, Matienzo, & alios. Secundum exemplum est: nam venditio rei feudalis, seu maioratus simpliciter facta, inualida est: valet tamen si fiat sub conditione, si dominus feudi, aut princeps voluerit. Pro quo citat eundem Molinam, & adhuc ponit tertium exemplum: nam votum quo Episcopus vouet intrare Religionem, si Papa voluerit est votum obligans, si Papa dispenset, vt tenet communis opinio: & tamen in his tribus rebus pendet conditio à voluntate principis. Et proinde nullam vim habet fundamentum præcipuum opinionis contrariæ: & ex consequenti promissio, de qua agimus, si Papa dispensauerit, fuit valida, & est obligatoria.

3 Ad secundum dubium dico, non patrem, sed ius commune, prohibere, & annullare matrimonium si fiat à femina non habente annos 12. completos per multa capita iuris canonici citata à Sanchez *lib. 7. de matrim. disput.* 104. *n.* 1. *&* 2. *& seqq.* ac proinde quoad hoc non est necessaria prohibitio patris, cùm ius commune illud prohibeat, sic rigorosè, vt si ad annum duodecimum in femina desint duo tantum dies, matrimonium futurum sit nullum, vt tradit Sanchez *citata disput.* 104. *d.* 2. Quod verò amplius quæritur in eodem secundo dubio, an possit pater impedire matrimonium eo quod adolescens sit pauper, & filia diues, nullum habet fundamentum dubitandi: nam illa disparitas in diuitiis, vel in sanguine, nihil facit ad rem, cum videamus in praxi positum valere matrimonium diuitis cum paupere, nobilis cum ignobili: est enim matrimonium liberum ita vt nec pater

filium,

filium, nec Rex subditum possit cogere ad nubendum, vel ad non nubendum, vt constat ex Concilio Tridentino *sess.24.cap.1. & 9. de reform. matrimonij*. Id verò quod proximè diximus non posse feminam validum matrimonium contrahere ante annos 12. completos, non tollit quin ista femina, de qua agimus, teneatur ex vi suæ promissionis contrahere matrimonium cum isto viro completo anno duodecimo.

Non obstante quod ista secunda opinio sit probabilior, & proinde absolutè tenenda, & consulenda in praxi: ego in hoc nostro casu consulerem, & ferè obligarem hanc feminam ne nuberet tali viro, eo quod pater puellæ contradicit, & nimis molestè fert. Moueor, quia ex vi duarum opinionum relatarum, licet secunda, dicens eam obligari, sit probabilior, vt dixi, prior tamen opinio est etiam probabilis, & vt dixi *num.* 1. potest quis absque peccato sequi opinionem minus probabilem relictâ probabiliori. Secundò ad persuadendum moueor ex eo quod doctè, & fusè tradit Cordub. *in sum. casuum, quæst.*171. videlicet filium, & præcipuè filiam, de ordinario peccare mortaliter contrahendo matrimonium inuito patre, maximè si id filia facit ante annum 25. in qua ætate adhuc pater non est in culpa, neque in mora eo quod filiam matrimonio non locauit, vt cernitur in ista quæ non est annorum duodecim. Et probat Corduba, quia in re grauissima, quale est matrimonium, à quo aliquando pendet honor parentelæ, & interesse parentum, congruum, imò & debitum est, vt filij, maximè filia, obediant patri circa matrimonij electionem, maximè quando pater non suadet filiæ matrimonium disconueniens filiæ. Quod verò de ordinario filia peccet mortaliter nubendo contra volun-

tatem patris, probat optimè Corduba ex cap. *Honotur* 32. *q.* 2. quod est D. Ambrosij, vbi S. Doctor de filia à patre in matrimonio locanda sic ait: *Illa*(id est filia) *enim iudicium spectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum.* Quo nihil clarius ad intentum dici potuit. & *cap. Hoc sanctum, eadem causa, & quæstione*, idem ferè habetur his verbis loquendo de maritandis virginibus: *Nec extra voluntatem parentum, vel suam, cogantur maritos accipere.* Et idem habetur *in cap. Aliter* 30. *q.* 5. vbi sic dicitur: *Aliter legitimum non fit coniugium nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur.* Quæ omnia verba satis indicant magnam obligationem habere filiam, vt in matrimonio eligendo obediat patri. Ex contrario enim facto nascuntur multæ discordiæ, & odia perpetua. Vnde Corduba *cit. quæst.* 171. §. *Y assi quanto à las hijas*, dicit dari leges ciuiles, quæ concedunt patri vt possit exhæredare filiam, quæ furtiuè, & contra voluntatem patris contraxit matrimonium. Quæ leges ciuiles (ait Corduba) licet ab Ecclesia reiiciantur, vtpote quia impediunt libertatem matrimonij; signum tamen est quod prædictæ leges culpam inueniebant in filia nubente contra voluntatem patris, ob quam culpam lex sic filiam grauiter puniebat.

CASVS

CASVS XLVII.

De confeſſione, & communione indebitè factis in Quadrageſima, an ſatisfaciant præcepto.

HI duo caſus ſæpe ſolent accidere. Primus eſt, an qui in Quadrageſima confeſſus eſt, ſed confeſſionem nullam fecit, eo quod vel aliquod peccatum mortale tacuit, vel quia non habuit dolorem aliquem de peccatis, iſte talis ſatisfecerit præcepto confeſſionis annuæ, & proinde euaſerit excommunicationem impoſitam non confitentibus in Quadrageſima? Secundus caſus eſt, an qui communicauit quidem in Quadrageſima, vel Paſchate, ſed tamen communicauit in peccato mortali, ſatisfecerit præcepto communionis annuæ, & proinde euaſerit excommunicationem impoſitam non communicanti in Paſchate?

1 Quod attinet ad primum caſum de confeſſione, videtur imprimis quod ille qui ſic confeſſus eſt diminutè, & ſine vllo dolore, licet peccauerit mortaliter, ſatisfecerit tamen præcepto confeſſionis annuæ; nam poteſt quis bene ſatisfacere præcepto alicui, licet exiſtat in peccato mortali. Probatur exemplo in præcepto audiendi Miſſam, vt docent praxis, & communiter Doctores. Item is qui tenetur dare eleemoſynam extremè indigenti, ſi illam ei det exiſtens in peccato mortali, ſatisfacit præcepto dandi eleemoſynam, licet inde fructum non recipiat: ergo pari modo faciens confeſſionem inualidam in Quadrageſi

dragesi

dragesima, licet in eo peccet, & fructum inde non recipiat, videtur tamen quod satisfaciet præcepto confessionis, & proinde euadet excommunicationem. Secundò probatur, quia licet talis confessio fuerit nulla, leges non puniunt pœnâ actum qui fuit nullus: probatur *ex l.1. in fine, Cod. de sepulch. violat.* vbi habetur, quod Notarius qui fecit instrumentum falsum, sed inualidum, debet puniri pœnâ ordinariâ falsarij. Et hanc legem citat Sanchez *lib.3. de matrim.disput.2. num.5.* ad probandum quod ibi defendit, videlicet, quod licet ius commune imposuerit pœnam excommunicationis, & alias, illi qui contraxit matrimonium clandestinum: ait Sanch. quod si quis contraxit matrimonium clandestinum aliàs nullum, & inualidum, non incurrit illas pœnas. Ergo eodem modo qui fecit illam confessionem nullam, & inualidam, euadet pœnam excommunicationis. Ex alio verò capite, quod iste talis licet præcepto confessionis non satisfecerit, nihilominus pœnam euadat excommunicationis, tenent Nauarrus *cap.10. sum. n.4.* & Henriquez *lib.4. cap.5.* & *lib.2. cap.14. num.8.* & alij, quos ibi citat Henriquez: & causam assignant, quia licet hic non impleat præceptum ob cuius violationem posita est censura, tamen iste defectus adeò est occultus ob sigillum confessionis, vt non videatur posse cadere sub pœnis Ecclesiæ.

2 Hoc non obstante tenendum est hunc, de quo agimus, qui fecit confessionem inualidam scienter ob duos citatos defectus, non satisfecisse præcepto confessionis, & proinde incurrisse pœnas impositas non confitenti. Hanc conclusionem tenet præter alios Bonacina *tom.1.disput.5.de sacramento Pœnit. q.5. sect.7. puncto 4.n.23.* vbi pro eadem citat duodecim Doctores graues,

graues, & recentiores, qui ibi poterunt videri. Ratio principalis est, quia præceptum confessionis est præceptum diuinum, quod determinatum est ab Ecclesia ad tale tempus, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. *& canone* 18. Qui autem facit confessionem imperfectam, & inualidam, non confitendo omnia peccata sua mortalia ex malitia, aut ex ignorantia crassa, aut sine debito dolore, non implet præceptum diuinum, cum pœnitens ex Christi Domini institutione teneatur omnia peccata mortalia cum dolore confiteri: ergo qui facit confessionem imperfectam ob illos duos defectus, cùm non impleat præceptum Christi, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Quod optimè declarat Suarez *tom. de Pœnit. disp.* 3. *sect.* 7. *num.* 3. dicens, Ecclesiam non instituisse, nec præcepisse confessionem, sed determinasse tempus confessionis faciendæ, & præcepisse fieri confessionem institutam à Christo Domino. Confessio verò à Christo D. instituta est illa quæ est valida cum dolore, aperiens omnia peccata, & per hanc solam satisfacit præcepto Ecclesiæ de annua confessione. Secundò probatur, nam quando aliquis modus est intrinsecus, ac de substantia alicuius actus præcepti, si desit ille modus in illo actu, non satisfit tali præcepto; est exemplum in recitatione diuini officij: præcipit Ecclesia, vt Clericus recitet horas canonicas cum attentione: & attentio est modus intrinsecus, & de substantia recitationis; clarum est apud omnes, quod Clericus dicens horas canonicas sine vlla attentione, non satisfacit præcepto Ecclesiæ de recitandis horis canonicis. Eodem modo, præcipit Christus Dominus, vel Ecclesia cōfessionem sacramentalem fieri in Quadragesima: de ratione, & substantia intrinseca confessionis

sionis est, vt fiat de omnibus peccatis, & cum dolore: ergo qui non confitetur cum illo modo intrinseco confessioni, non satisfacit præcepto confessionis. Hanc rationem secundam ponit Suarez *tomo de censuris, disput.*4. *sect.*4. *num.*19. ad probandum in terminis quod incurrat excommunicationem ille, qui in Quadragesima confitetur inualidè; quia dolor, & integritas confessionis, sunt de substantia confessionis: confessio enim sine dolore, non est confessio instituta à Christo Domino.

3 Quæris: Aliquis in Quadragesima confessus est omnia peccata, & cum contritione, sed non recepit absolutionem à confessario culpâ sui pœnitentis, vt quia est publicus vsurarius, vel meretrix publica, qui nolunt illum statum relinquere: an isti satisfecerint præcepto annuæ confessionis? Azor 1. *p. lib.*7. *cap.*40. *q.*4. dicit aliquos sentire quod hi tales satisfaciunt præcepto confessionis annuæ. Et potest probari, quia hi ex sua parte videntur fecisse quod potuerunt confitendo integrè, & cum dolore: faciens verò quod in se est, non peccat. Et confirmari potest, quia si pœnitens confiteatur integrè, & cum dolore suo parocho, & parochus iniustè illi deneget absolutionem, nec pœnitens habeat alium confessorem, videtur omnino quod ille pœnitens satisfecit præcepto Ecclesiæ, neque incurrit excommunicationem, quia non potuit amplius aliquid facere; facienti verò quod in se est, culpo non imputatur. Id ipsum de meretrice proximè dictum, quæ scilicet confessa est, sed non absoluta, quod, inquam, hæc satisfaciat præcepto confessionis, etiam si non absoluatur, videtur probari ex praxi, nam meretrix sic confessa non declaratur à parocho pro excommunicata ob confessionis

præceptum omiſſum : quod arguit eam per talem confeſſionem ſatisfacere præcepto.

4 Hoc tamen non obſtante Bonac. *cit. loco , num.*24. ſentit oppoſitum , videlicet taliter confeſſum , & ſuâ culpà non recipientem abſolutionem , non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ : cùm enim culpa ſua non recipiat abſolutionem , in ſubſtantia non recipit Sacramentum , nec proinde ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, quæ præcipit recipi ſacramentum Pœnitentiæ. Ad primum verò argumentum in oppoſitum , factum *in num.* 3. dicendum eſt , hos ſuâ culpâ non abſolutos, non feciſſe totum quod in ſe eſt , poterant enim habere firmum propoſitum non peccandi , & relinquere malum ſtatum , quo facto abſoluerentur : & cùm hoc non fecerint , non fecerunt quod in ſe eſt. Ad ſecundum exemplum de parocho iniuſtè negante abſolutionem pœnitenti non habenti alium confeſſorem , dico hunc talem ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiæ. Verè enim fecit quantum potuit , & per ipſum non ſtetit , cúmque careat aliquo alio confeſſore , impoſſibilitatur ad alium quærendum , ſicut is qui habitaret in ſyluis. Ad tertium exemplum de meretrice , dico primò,quod ſi illa abſolutè dicat quod non vult relinquere malam vitam,non ſatisfacit præcepto,& incurrit excommunicationem. Si verò illa proponat quod quantum in ſe eſt , non amplius peccabit , licet aliàs timeat quod peccabit , poterit abſolui , & ſatiſfaciet præcepto : & quia fortè ſemper cum hoc firmo propoſito confitentur , ideo non publicantur , vt excommunicatæ.

5 Ad primum argumentum poſitum ſuprà *num.* 1. pro parte oppoſita , quod attinet ad exemplum de audiente Miſſam in peccato mortali , & ſatisfaciente

præcepto

præcepto Missæ, dico primò, quod si sic audiens Missam nullam habeat attentionem ad Missam, quæ attentio est modus intrinsecus actui audiendi Missam, sicut suprà diximus attentionem in recitando diuino officio esse modum intrinsecum, de substantia recitationis: tunc audiens Missam sine attentione ad Missam, non satisfacit præcepto Missæ, sicut omnes Doctores docent. Si verò audiat Missam cum attentione, licet sit in peccato mortali, satisfacit præcepto Missæ, quia implet substantiam operis præcepti; audit enim Missam, de cuius substantia non est, vt audiatur in gratia, sed vt audiatur attentè. At is qui in Quadragesima confitetur sine dolore, & non integrè, non implet substantiam operis, quia de substantia confessionis est vt fiat integrè, & cum dolore. Eodem modo respondetur ad exemplum de dante eleemosynam extremè indigenti, quando ipse dans eleemosynam existit in peccato mortali: talis enim satisfacit præcepto, cùm re vera impleat substantiam operis iniuncti, quod est dare eleemosynam: at confitens in Quadragesima sine dolore, & sine integritate, non implet substantiam operis iniuncti, id est, non confitetur cum illis circunstantiis, quæ sunt de substantia confessionis, dolor scilicet, & integritas. Ad secundum argumentum dicendum est primò Ecclesiam hîc propriè non punire actum nullum confessionis inualidæ, sed punire omissionem veræ confessionis quadragesimalis, qui enim sine dolore, ac diminutè confessus est, verè omisit quadragesimalem confessionem. Potest verò Ecclesia punire omittentes facere quod illa præcepit. Respondeo secundò posse Ecclesiam punire actum nullum. Nam Ecclesia excommunicat rebaptizantem: & tamen re-

baptizans facit actum nullum in genere baptismi, nullum enim baptismum confert rebaptizans. Videatur Suarez *tom. de legibus*, *lib. 5. cap.* 34. maximè *num.* 8. in quo capite tractat quo pacto leges possint punire actus inualidos. Ad tertium argumentum dicens ex Nauarro, & aliis, quod non satisfaciens præcepto modo supradicto ex defectu doloris, & integritatis non incurrit pœnas impositas, eo quod delictum sit valdè occultum. Respondet Bonacina *citato puncto* 4. *num.* 25. cum Suarez, Ledesma, & aliis ibi citatis, quod licet tale delictum ibi sit occultum, potest Ecclesia illud punire, sicut punit excommunicatione hæresim occultam per accidens, quæ non est purè mentalis, vt omnes Doctores fatentur. Ista verò confessio facta sine dolore, ac diminutè, licet sit occulta, non est tamen mentalis, sed vocalis, & proinde potest puniri ab Ecclesia per censuram positam contra omittentes veram confessionem in Quadragesima.

6 Quod attinet ad secundum quæsitum in principio, an scilicet communicans in Paschate cum peccato mortali satisfaciat præcepto communionis? Suarez *tom. de censuris*, *disput.* 4. *sect.* 4 *num.* 19. dicit illum qui in Paschate communicaret, non solùm in peccato mortali, sed etiam sine vera fide, animo irridendi, vel occultandi errorem, talis non satisfaceret præcepto, quia talis animus est contra substantiam talis præcepti: sed nos non hîc quærimus de communicante non habente fidem, sed de non habente gratiam, & existente in peccato mortali. Dico igitur cum Bonacina *tom.* 2. *disput.* 1. *de legibus*, *q.* 1. *puncto* 9. *num.* 2. quod iste talis licet peccet grauissimè, tamen satisfacit præcepto communionis, nec proinde incurrit

incurrit excommunicationem positam contra non communicantes in Paschate : quia iste talis adimplet substantiam præcepti, verè enim recipit corpus Christi, licet indebitè. Licet enim non recipiat debitè, & deuotè, iste modus recipiendi non est de intrinseca substantia Sacramenti : sed de congruitate, ac de decentia illius. Et concludit ibi Bonacina, quod implens præceptum per actum ex aliqua circunstantia malum, satisfacit præcepto, etiamsi non impleat modum, aut finem à legislatore intentum : modò finis, aut modus non sint de intrinseca ratione operis præcepti.

CASVS XLVIII.

De obligatione Religiosi expulsi ab Ordine circa obligationem officij diuini.

RES est indubitata quod Religiosus expulsus ab Ordine propter culpas, si habet ordinem sacrum, etiam si sit subdiaconatus tantùm, teneri ad dicendas horas canonicas, propter talem Ordinem sacrum. Sed dubitatio est, an si iste Religiosus sic expulsus caret Ordine sacro, vel quia est conuersus, id est frater laicus, vel quia licet recipiatur ad chorum, adhuc tamen nullum recepit Ordinem sacrum, qui in Ordine P. N. Francisci dicuntur *Choristæ* : sed tamen Regula illius Ordinis obligat sub mortali prædictum Choristam ad dicendas horas canonicas in nostro Ordine per Breuiarium, & obligat Religiosos laicos sub mortali ad dicendum certum numerum

orationis Dominicæ pro Officio diuino: quæritur, inquam, an isti Religiosi carentes Ordine sacro sic expulsi teneantur extra Religionem dicere illud Officium diuinum, ad quod tenebantur sub mortali ex vi suæ Regulæ, vt obligat regula P. N. Francisci?

1 Et quod, si saltem in Ordine P. N. Francisci teneantur prædicti Religiosi expulsi ab Ordine, dicere diuinum Officium respectiuè, videtur probari, quia cùm illud præceptum dicendi diuinum Officium sit præceptum in Regula, & in Ordine Minorum, obliget ad mortale, videtur hoc præceptum non cessasse per expulsionem ab Ordine, cùm Religiosus promiserit seruare Regulam toto tempore vitæ suæ. Et confirmatur, quia iuxta commune dictum Iuristarum, nemo debet ex culpa sua commodum reportare, cùm culpæ potius debeatur pœna, quàm commodum. Sed si iste Religiosus sic expulsus deobligaretur à labore recitandi diuinum Officium, jam commodum ex sua culpa reportaret: ergo non liberatur sic expulsus à dicendo officio diuino. Et ita sentit Nauarrus *in Enchiridion. de Officio diuino, cap.7. num.*20. & Rodriguez *tom.*1. *qq. q.* 30. *art.*19. qui addit non esse hos exonerandos à diuino Officio, sed solùm in illis, quæ non possunt commodè seruari in sæculo, cùm suâ culpâ extra Religionem sint: & extra Ordinem possunt commodè dicere Officium diuinum. Et ego olim idem censui cum his duobus Doctoribus *tomo* 2. *Dubiorum Regularium, verbo* Eiicere ab Ordine *num.*7. *in fine*, sed nunc re melius considerata,

2 Respondeo tales sic eiectos non teneri in sæculo ad dicendum diuinum Officium in Religione promissum. Sic tenet expresse Suarez *tomo* 4. *de Religione, lib.*3. *cap.*6. *num.*12. vbi citat Sotum *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.*1.

*art.*1. Idem tenet Bonacina *tom.* 1. *tit. de ijs quæ priuatum spectant ad recitationem diuini Officij, disput.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. *num.* 3. & licet ibi dicat oppositum sensisse Suarez *tomo* 2. *de Religione*, non tamen ipsum vidit postea *tom.* 4. *de Relig.* loco proximè citato, vbi sentit cum eodem Bonacina. Idem clarè colligitur ex Sanch. *lib.6. Decalogi, cap.9. num.*52. vbi cum Nauar. Arag. Philarch. Sayro, Sà, & Sorbo, probat expulsum ab Ordine in perpetuum non teneri obseruare regulares obseruantias positas in Regula vltra tria vota solemnia: & ponit exempla, dicens, sic expulsum non teneri ad ieiunia Regulæ; & si sit Minorita, posse portare camisiam, & contrectare pecunias, equitare, licet hæc illi fuerint sub mortali prohibita per Regulam Minorum. Rationem assignat Sanchez: quia professus primò, & immediatè solum vouit tria vota essentialia, cætera verò contenta in regula vouit consecutiuè, & mediatè, videlicet si in illa Religione maneret. Et in speciali dicit contra Rodriguez, quod Minorita sic expulsus non tenetur ad ieiunia suæ regulæ, licet in sua Religione obligent sub mortali. Et hanc eandem rationem traditam à Sanchez, quod sic expulsus non obligetur ad obseruantias regulæ vltra tria vota, tradit & probat Suarez *citato loco num.* 11. citans Nauarrum, Sotum, Molinam, Fredericum de Senis, & ait esse communem: & probat Suarez *citato num.*12. quod sic eiectus non teneatur ad diuinum Officium; nam, vel teneretur ex voto: & hoc non, quia illud non expresse vouit, sed sola tria vota essentialia: cætera verò consecutiuè, si maneret in Religione. Vel teneretur ratione regulæ; & hoc non, quia non tenetur obseruantias regulæ seruare extra Ordinem, vt ieiu-

nia, *&c.* sicut suprà dixit Sanchez. Vel teneretur ratione Ecclesiastici præcepti, quod obliget omnes in Religione professos. Et hoc non: quia nullum datur tale præceptum Ecclesiasticum obligans Religiosos carentes Ordine sacro ad dicendum officium diuinum, vt probauit ipse Suarez *lib. 4. de horis canonicis, cap.* 10. *num.* 7. vel teneretur ratione consuetudinis: & hoc non. Nam consuetudo quæ est intra Religionem, non potest obligare existentem extra Religionem: tum quia non est maior ratio de consuetudine, quàm de regula: at regula non obligat extra Ordinem: ergo neque consuetudo. Tum, quia extra Religionem deficit fundamentum illius consuetudinis, quod est obligatio ad chorum ex vi regulæ; & fortasse sustentationis ex eleemosynis, & ex bonis Ecclesiasticis, vt aliqui volunt. Vel denique (pergit Suarez) teneretur sic eiectus ad diuinum officium ratione professionis, & hoc non, quia professio per se non affert secum obligationem diuini officij, sed hæc obligatio in Religionibus orta est ex consuetudine, vt ipse Suarez ibi testatur alibi se probasse cum Caietano, Ioan. de Medina, & aliis.

3 Potest hoc insuper probari ex eo quod tradit Sanchez *lib. 6. Decalogi, cap. 7. num.* 80. (& consentit Suarez *cit. loco, num.* 13.) probat inquam Sanchez *citato num.* 80. cum Soto, Aragon. Azor, & Petro Ledesma, posse Prælatum redigere ad statutum laicorum illum Religiosum, qui fuerat professus ad chorum, Ordinésque suscipiendos. Probat, quia hoc quod est, professum ad chorum teneri ad officium diuinum, non consurgit ex vi professionis, sed ex consuetudine, & voluntate profitentis, & consensu Prælati possunt dispensare existente causâ, qualis causa

erit,

erit, si sic mutandus de tali statu commiserit culpas: vel si ipse subditus hoc petat ex zelo nimiæ humilitatis. Aduertit tamen Sanchez primò, hoc non posse facere Prælatum localem, sed prouincialem. Aduertit secundò, & optimè, Prælatum in hoc eximere subditum directè ab obligatione dicendi horas canonicas, sed indirectè, remouendo illum ab illo statu deputatorum ad chorum. Et ego addo, vel declaro, quod si hæc mutatio fiat circa professum ad chorum habentem iam aliquem Ordinem sacrum, talis mutatus ad statum laici tenebitur dicere diuinum officium propter Ordinem sacrum, quantumcunque culpas graues commiserit. Nam, teste Bonacina *cit. num.* 3. Religiosus quocunque Ordine sacro insignitus, & ad triremes relegatus tenetur dicere officium diuinum. Rediens ergo ad intentum dico, quod si Religiosus carens Ordine sacro intra Religionem, licet fuerit professus, & deputatus ad chorum in quo statu dicebat horas canonicas, per translationem ad statum laicorum liberatur ab obligatione dicendi horas canonicas: melius liberabitur ab eadem obligatione idem Religiosus carens Ordine sacro expulsus, & existens extra Religionem cum magnis impedimentis ad recitandas horas canonicas. Quæ omnia militant etiam in Religioso laico expulso propter culpas, vt non teneatur extra Religionem recitare illud quod pro officio diuino in Religione dicere tenebatur.

4 Ad primum argumentum in contrarium positum *num.* 1. patet solutio ex dictis: nam licet illud præceptum dicendi horas canonicas intra Religionem obligauerit Minoritam sub mortali, illud iam non obligat extra Religionem; quia Minorita non vouit

officium diuinum voto ſpeciali, ſed ſolùm conſecutiuè, & quaſi conditionaliter, ſi in Religione maneret. At poſitus extra Ordinem non tenetur ſeruare illa quæ ſunt in Regula vltra tria vota eſſentialia, vt ſuprà dictum eſt cum tot Doctoribus. Ad confirmationem eiuſdem primi argumenti reſpondet Suar. *cit. num.* 13. hunc Religioſum ſic eiectum, & liberum à recitatione diuini officij non reportare commodum ex ſua culpa propriè, ac directè; ſed reportare commodum directè ex mutatione ſui ſtatus, ex ceſſatione obligationis fundatæ in vita monachali; culpa verò ob quam expulſus fuit, eſt cauſa remota huius commodi, ad cuius pœnam per accidens ſecutum eſt vt tolleretur fundamentum iſtius obligationis. Et hinc etiam ſoluitur id quod in *eodem num.* 1. addebat Rodriguez, dicens, hos ſic eiectos non eſſe exonerandos ab officio diuino, quod commodè poſſunt dicere extra Religionem: reſpondetur enim quod imò non poſſunt illud commodè dicere extra Religionem, cùm ibi diſtrahendi ſint multis, & magnis occupationibus & curis ſæcularibus: nec viuere debeant in ſtatu propriè Eccleſiaſtico. Addo quod vltra hoc, iſti tales ſunt deobligati, ob cauſas ſuprà adductas.

CASVS XLIX.

Notationes particulares circa diſpenſationes obtentas.

QVoniam materia diſpenſationum, quotidiana eſt, & valde neceſſaria, & multi circa illam quotidie oriuntur, & interrogantur ſcrupuli à viris doctis; non

non erit inutile hîc apponere selectiores responsiones,quas circa illas viri docti recentiores tradiderunt; idque summatim per modum resolutionum.

1 Sit igitur prima resolutio : quando in narratiua dispensationis aliquid tacetur , vel falsò narratur: quo cognito superior non dispensasset, inualida est dispensatio : nam tunc superior censetur nolle dispensare, nisi sub conditione, si res ita est. Secus dicendum est quando aliquid tacetur vel falsò narratur, quo cognito superior difficilius tantùm dispensasset, sed tamen dispensaret. Hanc ponit Bonacina *tom.2. tit. de legibus, disput.1. q.2. puncto 4. num.* 3. quam declarat hoc modo. Nam si veritas occultata, vel falsitas narrata habeat pendentem connexionem cum materia dispensationis, tunc facit dispensationem inualidam. Si verò hanc connexionem non habet cum materia dispensationis, sed potiùs est res, vel materia impertinens ad causam, dispensatio valida est, quia in his subsistit principalis finis dispensationis. Ad hoc secundum ponit hæc exempla. Si quis in dispensatione obtinenda se finxit esse virum doctum, vel studiosum, *&c.* valet dispensatio, quia talis fictio nihil facit ad causam dispensationis.Secundum exemplum. Valida est dispensatio obtenta tacito nomine personæ ne cognoscatur à dispensatore, qui si illam cognouisset, non dispensaret propter odium : non enim tacetur aliquid habens necessariam connexionem cum materia dispensationis , citat Suar. Sanchez, & Azor.

2 Valida est dispensatio quando erratur in nomine personæ, quia error in nomine personæ non mutat intentionem dispensantis. Bonacina *citato loco num.6.* citans multos,vbi ponit hunc casum.Si petens dispen-

sationem

ſationem dicat eſſe ſe diœceſis Eborenſis, cùm tamen ſit diœceſis Olyſipponenſis, & Papa remittat diſpenſationem faciendam ab Ordinario nominato in narratiua, cùm non ſit verus Ordinarius impetrantis: poterit in tali caſu diſpenſare cum illo ſuus Ordinarius Olyſipponenſis. Nam Papa ibi intendit dare facultatem diſpenſandi Epiſcopo ipſius impetrantis. Ita ibi Bonac. cum Salas, contra Sanch. dicentem in tali caſu neutrum Epiſcopum poſſe diſpenſare. Sic ego vidi in caſu ſimili. Miſit Petrus, verbi gratiâ, famulum, vel amicum qui ſibi afferret quandam Bullam Cruciatæ, ſoluit officiali Cruciatæ eleemoſynam conſuetam; ſed famulus, vel officialis Cruciatæ errauit in nomine, & loco Petri dixit Franciſcum. Reſpondi Bullam valere Petro non obſtante errore nominis: quia intentio Papæ, vel Commiſſarij Cruciatæ fuit dare Bullam illi, qui ſoluit eleemoſynam. Aliud exemplum ponit Bonacina *eodem num.* 6. dicens, quod ſi ſcriptor Bullæ Romæ dixit Papam per illam diſpenſare in tertio gradu affinitatis, cùm impetrans petierit diſpenſationem pro tertio gradu conſanguinitatis, ait Bonac. Commiſſarium cui committitur diſpenſatio poſſe diſpenſare à voluntate Principis mandantis: & in hoc caſu conſtat de voluntate Papæ, quod velit diſpenſare cum iſto in impedimento quod petiit.

3 Si impedimentum certum narratur pro dubio, diſpenſatio eſt inualida: vt ſi petatur diſpenſatio voti quod certum eſt fuiſſe emiſſum, ſed dicatur eſſe dubium, an ſit remiſſum. Nam tunc tacetur aliquid habens connexionem cum materia diſpenſationis, nec omnino exprimitur ſubſtantia voti, cùm votum dubium non ſit verum votum. Bonac. *cit. loco num.* 7. &

eodem

eodem num. 7. addit cum Sanch. & Fillucio, validè dispensari illum qui loco voti exprimit iuramentum, vel è contra loco iuramenti exprimit votum. Quia tunc, inquit, non erratur circa aliquid substantiale: cùm votum æquiualeat iuramento. Et addit, quod si fecit iuramentum in confirmationem voti, & non expressit iuramentum, valet dispensatio, quia destructo principali corruit accessorium. Secus si separatim vouit, & separatim per se iurauit, tunc enim vtrumque exprimendum est.

4 Si petatur dispensatio ad contrahendum cum consanguinea, & allegetur pro causa quod copula præcessit, quæ tamen re vera non præcessit, dispensatio nulla est, quia narratur vna tantùm causa, & illa est falsa. In omni dispensatione Papæ semper intelligitur hæc conditio, si preces veritate nitantur. Et in hoc casu narratâ vnâ tantùm causâ, & illâ falsâ, preces non nituntur veritate. Bonacina *num.*8. vbi addit quod si petatur dispensatio à Papa ad contrahendum cum consanguinea, allegatis multis causis copulatiuè, videlicet quia præcessit copula, & est periculum scandali, & infamiæ inde suborituræ, valet dispensatio, etiamsi copula non præcesserit: quia Papa solet illam dispensationem concedere ob solum periculum infamiæ, quod ibi verè intercessit, & proinde preces veritate nituntur, licet illud de copula falsum fuerit. Addit quod quando narrantur duæ causæ disiunctiuè, sufficit quod aliqua illarum sit vera vt valida sit dispensatio.

5 Si verum taceatur, vel falsum exprimatur in vna tantùm parte rescripti, vitiat, & irritum reddit rescriptum quoad eam partem, in qua est subreptio, non verò quoad reliquas partes rescripti. Quod vitiet,

tiet, & irritet quoad illam partem, in qua eſt ſubreptio, ab omnibus conceditur, quia tunc quoad illam partem preces non nituntur veritate. Quod verò non reddat inualidum quoad alias partes, ratio eſt, tum quia vtile non debet per inutile vitiari, vt habet regula iuris *in 6*. Tum, quia reſcriptum pendet à voluntate concedentis: ſed concedens voluit concedere, & conceſſit reſcriptum, neque indicauit nolle reliquas reſcripti partes valere, quando ſubreptio non fuit cauſa finalis: ergo reſcriptum validum eſt quoad illas partes, in quibus non contigit ſubreptio: & hoc in terminis decernitur in capitulo *Super litteris*, de reſcriptis. Hoc tamen limitandum eſſe docet, dummodo partes in quibus non contigit ſubreptio, ſeparabiles ſint quoad valorem à parte in qua fuit ſubreptio. Nam ſi ſeparabiles non ſint, ſed ſint acceſſoriæ, reſcriptum corruit: nam acceſſorium corruit deſtructo principali. Hinc colligit Bonacina, quod ſi quis in vno reſcripto obtinuit diſpenſationem in voto caſtitatis, & peregrinationis ad limina Apoſtolorum, narratâ falsâ causâ in vno voto, poterit vti diſpenſatione quoad aliud votum in quo non contingit ſubreptio, quia vnum votum iſtorum non eſt acceſſorium, & dependens ab alio.

6 Valde etiam conſolatorium eſt quod tradit idem Author citato loco, videlicet validum eſſe reſcriptum quoad illam partem, in qua non contingit ſubreptio, etiam ſi curialis, vel ſolicitator ſcienter ſubreptionem in ea parte commiſerint inſcio illo in cuius fauorem reſcriptum obtinetur, qui verum curiali propoſuerat. Ratio eſt, quia ſubreptio contingit ſolum in vna reſcripti parte ſeparabili ab alia, vt ſupponitur; tum quia impetrans non dicitur obtinere reſcri-

ptum

ptum per dolum, vel malitiam. Tum quia cit. cap. *Super litteris*, decernitur, dum subreptio contingit, inualidum esse rescriptum in pœnam peruersitatis ipsius impetrantis. Hic autem non adest culpa, seu peruersitas ipsius impetrantis, sed in solicitatore. Solicitator autem graues pœnas incurrit, vel meretur subreptionem committendo. Videatur Henriquez *lib.* 2. *cap.*3. *num.*7. & Rodriguez *in sum.*1.*p.cap.*238. *num* 9.

7 Dubium est, an si in narratiua detur vitium tacendo veritatem, vel exprimendo falsitatem, & nihilominus Papa in dispensatione dicat, se dispensare ex motu proprio: per talem clausulam *motu proprio* suppleatur vitium subreptionis, & inualiditatis positæ in narratiua? Respondet Bonacina *num.* 21. cum Suarez ibi citato, distinguendo. Nam vel Papa concedit hanc dispensationem motu proprio, absque petitione, vel narratione petentis, sed ex mera liberalitate: vel illam concedit ex præuia petitione, & informatione petentis. Si concedit primo modo, dispensatio, seu priuilegium valent, etiam si à parte rei subsit impedimentum. Ratio est, quia cùm princeps concedit ex mera liberalitate, non ex causa sibi falsò narrata, vel veritate tacita, cùm priuilegiarius non loquatur, nec aliquid operetur, nisi acceptando gratiam, censetur Princeps tollere liberaliter omne impedimentum obstans, per illam clausulam *motu proprio.* Et sic habetur in cap. *Si motu proprio*, de præbend. in 6. Si verò Papa concedat dispensationem cum clausula *ex motu proprio* præcedente petitione, vel informatione petentis, & in informatione taceatur veritas, vel narretur falsitas, tunc illa clausula *ex motu proprio* non supplet illum defectum, & proinde

dispensa

dispensatio est nulla. Probatur principaliter, quia *in cap. 2. de rescriptis*, dicitur, quod in rescriptis semper intelligitur apposita clausula, si preces veritate nitantur. Hîc autem preces non nituntur veritate. Tum, quia impetratio beneficij non explicatâ eius qualitate, non valet, etiamsi fiat motu proprio, vt docet Panorm. *cap. ad aures, de rescriptis, num. 5.* & alij.

8 Inualida est dispensatio circa matrimonium obtenta, non expresso gradu affinitatis, vel consanguinitatis, vel publicæ honestatis. Nam ex stylo curiæ, difficilius, & cum maiori onere dispensantur hi gradus quo sunt proximiores. Est etiam dispensatio inualida si non fiat expressio diuersorum titulorum, ratione quorum duo sunt affines. Vnde si quis cognatus sit, vel affinis alteri duplici titulo, nempe quia illum suscepit in baptismo, & confirmatione: aut quia copulam habuit cum duobus consanguineis illius, cum quo vult matrimonium contrahere, exempli gratia, cum patre, & fratre sponsi; seu cum matre, & sorore sponsæ, tenetur vtrumque titulum exprimere, cum inde duplex affinitas contrahatur, Bonacina *citato loco punct. 5. num. 3.* cum Filliucio, Sanchez, Layman, contra Rodrig. ibi citatum. Non tamen necessarium est exprimere numerum actuum copulæ: sicut enim ex multiplici iteratione voti non multiplicatur votum. Ita ex multiplicatione copulæ cum affine non multiplicatur affinitas.

9 Sequitur casus positus à Bonacina *cit. puncto 5. num. 4.* de quo ipse ait sæpius fuisse consultum, qui talis est: Petiit Petrus dispensationem à Papa ad contrahendum matrimonium cum Antonia consanguinea, cum qua habuerat iam copulam. Papa per suas litteras commisit Episcopo, vel Confessario, vt in illo

casu

casu cum illo dispensaret. Sed antequam dispensatio executioni mandaretur ab Episcopo, copulam carnalem habuit cum eadem Antonia consanguinea. An litteræ dispensationis illi suffragentur non solum pro copula habita ante petitionem dispensationis; verùm etiam pro copula habita post petitionem antequam dispensatio executioni daretur ab Ordinario? Respondet Bonac. prædictas litteras suffragari, & Ordinarium virtute illius facultatis sibi commissæ posse dispensare. Ratio est, quia non inducitur nouum impedimentum per superuenientem copulam, sed idem manet, cuius auferendi facultas datur Ordinario: nam ex actionibus pluribus eiusdem speciei in eodem subiecto fit vnum numero accidens. Secundò, quia irretitus aliquo impedimento non teneretur exprimere numerum actuum; per quos impedimentum contraxit. v. g. Irregularis non tenetur exprimere numerum actuum per quos contraxit irregularitatem; vt quoties celebrauit existens excommunicatus: & citat ad hoc multos, & graues Doctores. Excipit tamen ille quando aliquis fecit multa homicidia, per quæ incurritur irregularitas: nam tunc in petitione dispensationis explicanda sunt omnia homicidia, quia tot sunt irregularitates, quot sunt homicidia. Et præterea quia ex stylo curiæ sic exprimi solet. Tertiò probat, quia qui petiit dispensationem voti à Papa, & Papa commisit Episcopo, vel confessario vt dispensaret: sed is post commissionem Papæ, sed ante executionem Episcopi, vel confessoris votum iterauit, potest adhuc hic talis dispensari in voto prædictæ facultatis virtute: quod probat ex Suarez ibi citato, & Sanch. *lib.*4. *Decalogi, cap.*47. *num.*33. Bene tamen ibi aduertit, quod si hic qui petiit dispensationem ad

contrahendum cum consanguinea, postquam Episcopus, vel confessor expediuit dispensationem, copulam iterum habuit cum consanguinea, nondum contracto matrimonio, non poterit iam Episcopus cum illo dispensare; quia iam functus est munere suo. Et præterea per iam factam dispensationem sublatum est impedimentum, quod antea extiterat, non verò id quod denuo ortum fuit: & propterea si iste talis sic matrimonium contrahat, erit matrimonium nullum, quia contrahit cum vero, & nouo impedimento.

10 Inualida est dispensatio obtenta pro contrahendo matrimonio cum affine, vel consanguineo tacitâ copulâ inter illos habitâ antequam litteræ Romam transmitterentur, vel antequam Ordinarius, cui data est facultas dispensandi, expediret dispensationem. Sic Bonacina *cit. puncto num.* 9. dicens sic declarasse DD. Cardinales, & practicari ex stylo curiæ. Addit tamen oppositum posse sustineri si copula taceatur ob periculum infamiæ. Pro quo citat Sanch. Petr. Ledesm. Gutier. Fillincio, Nauar. Sâ. Addit tamen quod si copula fuit habita post expeditionem Ordinarij, tunc non impedit matrimonium subsequens: nam iam ista copula non est incestuosa, cum iam per dispensationem sublatum sit affinitatis, vel consanguinitatis impedimentum. Tum quia nullo iure, vel stylo curiæ constat faciendam esse huius copulæ mentionem, quando habita fuit post expeditam dispensationem ab Ordinario.

11 In obtinenda dispensatione exprimenda est necessariò copula incestuosa, si habita sit spe facilius impetrandi dispensationem, vel cum tractatu matrimonij, vel cum scientia, vel ignorantia impedimenti.

Non

Non enim sufficit exprimere copulam, sed etiam explicandus est animus (quamuis alter eorum tantùm talem habuerit animum) vel tractatus, quem contrahentes habuerunt ante expeditam dispensationem: sic enim seruat stylus curiæ. Sic Bonacina *citato puncto* 5. *num.* 10. sed in hoc quod ille ait, exprimendam esse copulam habitam cum spe facilius obtinendæ dispensationis etiam si ab vno illorum tantum spes concipiatur, & aliàs fore dispensationem inualidam: in hoc vltimo illi non assentior, quin potius dico, quod si vnus coniugum in copula incestuosa concipiat illam spem facilius impetrandæ dispensationis, impetratio erit valida expressâ copulâ, licet non exprimatur illa spes facilius impetrandi ab vno tantùm concepta. Ita expressè tenet Sanch.*lib.*8.*de matrim.disp.*25. *num.* 31. licet Bonacina illum citet pro se *in num.* 24. *eiusdem disput.* 25. quod clarè, & efficaciter probat ex Concilij Tridentini verbis, vt ibi poteris videre. Ac proinde tenet quod si vnus tantum fornicantium incestuosè spem concipiat facilius impetrandæ dispensationis, idque alteri non reuelet: dispensatio erit valida etiam si in petitione non exprimatur copulam fuisse habitam cum spe facilioris impetrationis.

12 Si Papa dispenset cum duobus impeditis ad contrahendum sub hac forma: *Si copula non intercesserit*; talisque dispensatio petatur pro foro externo; tenentur contrahentes confiteri copulam coram Episcopo examinante, aliàs contractum matrimonium tacitâ copulâ erit nullum. Probatur hac clarâ, & efficaci ratione: nam illa dispensatio est conditionalis, si copula non præcessit: ergo deficiente conditione deficit dispensatio, & mens Papæ est non dispensare, si copula præcessit, *cit. punct.* 5. *num.* 14.

13 Si in impetranda dispensatione exprimatur quod est impedimentum in quarto gradu, cum tamen sit in tertio gradu, dispensatio nulla est: quia non exprimitur qualitas, quam stylus curiæ docet exprimendam. Si verò è contrà, in petitione dicatur quod est in tertio gradu, cum tamē sit solum in quarto gradu, dispensatio valida est. Sic Suarez *tom.2. de Relig. lib.6. c. vlt. n.*8. & alij communiter probant, qui sicut qui dispensat in toto, censetur etiam dispensare in inferiore, & parte in eo contenta; ita qui dispensat in tertio gradu consanguinitatis, censetur etiam dispensare in quarto, qui continetur in tertio, tanquam in maiori. Idque verum esse dicit Bonacina *num.* 15. etiam si deditâ operâ tale mendacium committeretur: nam talis dolus non est contra substantiam, nec eo præmisso difficilius dispensatio concederetur.

14 *Num.* 20. dicit illum qui occidit Sacerdotem, & pro dispensatione irregularitatis obtinenda solum dicit se occidisse quemdam virum, non exprimendo quod erat Sacerdos, validam obtinuit dispensationem. Sic tenet Bonacina *cit.num.*20. cum Sanch. Salas, Sanctarello, Molina, Layman: quidquid oppositum censuerint Nauarrus, Rodriguez, & Suarez ibi citati. Ratio est, quia nullo iure, stylo, vel consuetudine præcipitur, vt exprimatur talis circumstantia. Tum quia licet occisio Sacerdotis sit maius peccatum ratione sacrilegij, non facit tamen irregularitatem specie distinctam.

15 Si aliquis indigebat dispensatione in certo casu, & noluit casum manifestare superiori, timens, quod ipse superior non erat dispensaturus: & ideo obtinuit ab illo facultatem, vt alius secum dispensaret, non exprimendo superiori qui casus esset; & superior

commisit

commisit alteri vt cum illo dispensaret: quæritur an ista dispensatio fuerit valida? Respondeo, quod si iste superior habuit antea animum nunquam in tali casu dispensandi, quia fortè credebat se in tali casu non posse dispensare, aut quia nolebat dispensare, idque aliquando ore protulit, in tali casu dispensatio est inualida, quia non adest intentio concedendi: sicut enim in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, si specialiter rogaretur, vt dicitur *de reg. iuris in 6.* Ita nec in illa indeterminata concessione venit casus, quem verisimiliter non esset concessurus, quique virtuali concedentis voluntati repugnat. At si superior nunquam habuit animum non dispensandi in tali casu, & aliàs poterat dispensare, valida est dispensatio, & dispensationis concessio. Ratio est, quia facta est ab eo, qui facultatem, & voluntatem dispensandi habebat. Sanchez *lib.8.de matrim.disput.*21.*num.*24.

16 Valida est dispensatio quam quis obtinet, etiam si non exprimat se iam illam petiisse, sed non obtinuisse. Nullo enim iure, vel ratione probatur necessariò esse exprimendam talem circumstantiam. Tum, quia superior in tali casu potest, & vult dispensationem concedere. Suar.*lib.6.de legibus cap.*22.& alij contra Menochium. Addit Suar.*citato lib.& cap.n.*4.quod si ego petij à superiore dispensationem, & ille negauit, possum postea adire Prælatum inferiorem potentem aliàs dispensare in eodem casu, qui inferior si dispenset, valida erit dispensatio, non obstante quod negata fuerit à superiore, etiam si talis superior sit Papa, & ego recurri ad Episcopum potentem etiam dispensare. Nam illa denegatio Papæ circa dispensationem, non abstulit ab Episcopo facultatem dispensandi,

quam aliàs habebat ex officio, vel delegatione. Limitat tamen hoc Sanchez *lib.8.disput.14.* dicens, quod si Papa non dispensauit, eo quod iudicaret non adesse causam dispensandi, tunc Episcopus, vel inferior non poterit dispensare in illo casu denegato à Papa, quia tenetur se conformare cum maiori, & meliore iudicio Papæ.

17 Si quis obtinuit rescriptum Papæ vt posset à certo confessario Doctore dispensari: eo rescripto non obstante poterit recurrere ad Episcopum, vel alium superiorem aliàs dispensare. Rescriptum enim non priuat Episcopum facultate quam aliàs habet ad dispensandum in illo casu. Sanchez *lib. 8. de matrim. disput.14. num.3. &* 4.

18 Si quis sit irretitus duabus irregularitatibus, homicidij scilicet, & illegitimitatis, validè potest obtinere dispensationem vnius, non factâ mentione alterius: nam vna irregularitatis ablatio non pendet ab alia; sed tamen iste talis non poterit promoueri ad Ordines donec auferatur per dispensationem alia irregularitas: adhuc enim est impeditus propter irregularitatem. Sit exemplum in vno qui est ligatus pluribus excommunicationibus, hic enim potest validè absolui ab vna tantum, manens iterum ligatus alteris. An verò hoc etiam locum habeat in impedimentis matrimonij, vt scilicet possit validè obtineri dispensatio in vno impedimento, non obtentâ dispensatione in alio, quæstio est pro vtraque probabilis: de qua Bonac. *cit. disput.1. punct.9.* vbi citat pro vtraque parte æquales Doctores recentiores, licet ipse sequatur partem negatiuam. Declaro tamen, quod licet quis sequens partem affirmatiuam, obtineat dispensationem in vno impedimento matrimonij

non

non obtenta dispensatione in alio; iste talis nubere non poterit cùm adhuc sit impeditus alio impedimento.

19 Si Papa concessit Episcopo facultatem vt dispensaret cum Petro irregulari ad Ordines sacros recipiendos, assignans pro causa paupertatem parentum: & antequam Episcopus dispenset, cessauit causa dispensationis, vt quia parentes mortui sunt, vel facti sunt diuites præter spem, iam non potest Episcopus dispensare, cùm cessauerit causa dispensationis. Facultas enim illa dispensandi concessa fuit Episcopo conditionaliter, si preces veritate nitantur; & in hoc casu iam non est verum, quod parentes Petri pauperes sint. Bonacina *punct.* 10. *num.* 3. vbi ait cum Sanchez ibi citato, hoc esse intelligendum, quando causa dispensationis cessauit in totum, vel omnino. Si enim solum cessauit ad tempus, & transacto paruo tempore reuixit causa dispensationis, poterit dispensare: quia in tali casu non fuit causa verè ablata, sed suspensa. Et hinc colligitur, quod causa ob quam Papa alicui concedit vt dispenset, non solum debet existere quando Papa Romæ concedit illam facultatem, vt dispensetur: sed debet etiam illa causa existere tempore, quo delegatus à Papa dispensat. Bonac. *cit. punct.* 10. *num.* 4. *cum alijs ibid. citat.*

20 Licet aliqui Doctores grauès citati à Bonacina *puncto* 10. *num.* 9. censeant, quod dispensatio iam obtenta ob causam tunc subsistentem, non cesset, etiam si postea cesset causa: verior tamen, & tutior sententia est, quod cessante causa ob quam dispensatum est, cessat etiam dispensatio. Hanc tenet Sanchez, Tiraquellus, & multi ab vtroque citati, quos sequitur Bonacina *puncto* 10. *num.* 5. & 9. §. *Hac sententia.* Pro-

batur, quia dispensatio pendet à voluntate superioris: superior autem non censetur velle, vt locus dispensationi sit, si causa dispensationis cesset. Non enim præsumitur velle aliquem ab obligatione legis eximere, eique concedere facultatem faciendi contra legem non subsistente iustâ causâ: alioqui talis concessio, seu dispensatio esset iniqua. Et vltra alia exempla adducta à Bonacina, facit exemplum in praxi: nam dispensatio vescendi carnibus in Quadragesima ob certam infirmitatem, cessat cessante illâ infirmitate, quæ fuit causa dispensationis, & hoc exemplum recipitur communiter in tota Ecclesia. Hinc sequitur primò dispensatum in ieiunio propter aliquam infirmitatem, teneri ad ieiunium cessante infirmitate. Sequitur secundò dispensatum in aliqua lege humana, vel diuina, vt in iuramentis, vel votis non videri immunem à peccato iuxta materiæ, & præcepti grauitatem, si tali dispensatione vtatur postquam omnino cessauit causa dispensationis. Limitat Bonacina hanc opinionem, nisi superior ob causam temporalem, quam sufficientem putat ad dispensationem perpetuam concedendam, absolutè dispenset: constat enim Sum. Pontificem non solum in aliquibus, quæ sunt de iure humano, sed etiam in illis, quæ sunt de iure diuino, vel naturali, absolutè, & in perpetuum aliquando dispensare.

21 Si dubium sit, an causa dispensationis cessauerit: præsumendum est non cessasse, & proinde adhuc dispensationem valere. Probatur, quia in tali dubio possessio stat pro dispensatione, quam constat validè concessam fuisse. Tum, quia in dubio valoris dispensationis præsumendûm est pro valore dispensationis: & hoc multum prodest ad quietandos aliquorum

quorum scrupulos in materia ieiunij, vel dicendi horas canonicas, & sic de aliis.

22 Si quis post obtentam dispensationem in quacunque re, proposuit secum illâ non vti, aut illi renunciare; potest postea non obstante tali proposito, tali dispensatione vti, modò illam non renunciauerit coram superiore, & superior acceptauerit renunciationem. Ita Bonacina *citato puncto* 10. *num.* 5. citans Salas, Sanchez, & Suarez, imò addit Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 32. *num.* 5. *&* 6. quod licet iste, de quo loquimur, post obtentam Bullam dispensationis lacerauerit litteras dispensationis animo non vtendi illis, adhuc potest postea eadem dispensatione vti, si voluerit: probatur, quia subditus per propositum non vtendi dispensatione, aut per renunciationem nondum acceptatam à superiore, non abdicauit à se ius dispensationis, nec ob id dispensatio vires suas amisit; ergo qui dispensationem obtinuit, & proposuit non vti, potest retractatâ voluntate vti dispensatione. Præterea, per quascunque causas res nascitur, per easdem dissoluitur, *cap.* 1. *de reg. iuris*; sed ad concessionem dispensationis, & priuilegij requiritur voluntas concedentis, & dispensati: ergo ad eius dissolutionem requiritur voluntas vtriusque: ac proinde qui proposuit non vti dispensatione, potest adhuc illâ vti, cùm nondum adsit voluntas superioris dispensantis, acceptantis renunciationem, vt suppono.

23 Dicta in præcedenti numero locum habent in dispensatione legum humanarum, & externarum: non verò in dispensatione voti, & iuramenti. Ratio diuersitatis est: nam obligatio aliarum legum ab alio pendet; obligatio verò voti, & iuramenti pendet à voluntate propria cuiusque. Vnde dispensatio voti,

vel iuramenti semel perfectè concessa, amittit vim suam per internam renunciationem: nam interius renuncians dispensationi voti, vel iuramenti, præsumitur iterum velle sibi imponere obligationem voti, & iuramenti, quæ ab ipsius voluntate pendet, nisi aliud constet de mente ipsius: & proinde indiget noua dispensatione, factâ semel renunciatione internâ. Dispensatio verò aliarum legum non admittit vim suam donec renunciatio dispensationis fuerit acceptata à legitimo superiore: quia obligatio aliarum legum non pendet à voluntate renunciantis dispensationi. Ita Sanchez *lib.8. de matrim. disput.32. num.3.* qui aduertit hoc locum habere quando dispensatio voti, vel iuramenti nondum sit perfectè concessa: vt si Episcopus, vel confessarius cui à Papa, vel à summo Pœnitentiario data est facultas dispensandi cum aliquo, nondum expediuit dispensationem, & is in cuius fauorem data est facultas dispensandi, renunciet dispensationi: potest adhuc mutatâ voluntate recipere dispensationem, & illâ vti. Ratio est, quia nondum exemptus erat ab obligatione, cùm dispensatio nondum fuerit expedita: & licet votum sæpius repetatur ante dictam expeditionem, seu dispensationem, potest tamen eâdem dispensatione auferri.

Hæc sunt potiora documenta adducta à Doctoribus in materia dispensationum, ita vt per hæc possint resolui omnia ferè dubia quotidiana circa dispensationes oborta. Qui voluerit copiosiorem hac de re tractatum, consulat Sanchez *cit.lib.8.de matrim.* quem totum integrum consumit in disputationibus de dispensatione.

CASVS

CASVS L.

Vtrùm Confessarius possit absoluere complicem sui peccati cum quo peccauit?

QVidam Confessarius habuit copulam carnalem cum quadam femina graui, & habita in vicinia in magna reputatione. Mulier valde timet peccatum suum alteri Sacerdoti confireri ob periculum honoris : & fortè aliquando non habet commodè alium confessarium nisi complicem suum. Quæsitum est vtrùm hæc mulier possit validè confiteri illi Sacerdoti, cum quo peccauit, & is possit validè illam absoluere ? Idem casus poni potest in Confessario, qui habuit actum sodomiticum cum aliquo (quod omen Deus auertat) an possit hic Confessarius complicem validè absoluere in confessione sacramentali? Idem quæri potest de confessario, qui furtum commisit cum aliquo in secreto, an possit validè absoluere complicem suum in furto ?

Igitur Bonacina *tom.* 1. *tit. de sacramento Pœnitentiæ, disput.*1. *quæst.* 7. *punct.* 5. *à num.*10. *& sequentibus*, tenet non posse confessarium habentem facultatem ad absoluendum à reseruatis , absoluere complicem sui peccati, siue à peccatis , siue à censuris : & ita ait decretum fuisse in aliquibus Conciliis prouincialibus diœcesis Mediolanensis : vbi non solùm fit prohibitio ne confessarius audiat confessionem sui complicis, sed etiam illi adimitur iurisdictio ad talem absolutionem, declarando quod talis confessio

erit

erit nulla, & Confessarius oppositum faciens manebit excommunicatus. Affert ad hoc præcipuè hanc rationem: nam confessio sacramentalis debet fieri cum pudore, vt communis opinio docet, & cum animo præcauendi peccata in futurum: confessio autem facta Confessario complici non fit cum pudore, & verecundia: imò fortè ex ea accipi potest occasio liberiùs peccandi. *Secundò*, quia Sacerdos culpæ socius non censetur Confessor approbatus, sed potiùs reprobatus ad confessionem complicis audiendam. *Tertiò*, quia aliàs sequeretur quod tempore Iubilæi posset Sacerdos excommunicatus, vel suspensus sacramentum Pœnitentiæ administrare, quod est falsum. Et videtur Bonacina hoc sentire non solùm in diœcesi Mediolanensi, vbi id dicit specialiter prohiberi: sed etiam extra Mediolanum, absolutè enim, & in generali loquitur: exprimens hoc verum esse non solum in peccatis carnis, sed etiam in aliis, vt in furto & cæteris: ita vt etiam in articulo mortis non possit Confessarius suum aliquem complicem absoluere, si adsit alius Confessarius qui possit confessionem excipere.

1 Hæc opinio quod sciam, nunquam fuit recepta, imò nec audita extra Mediolanum, & quod notandum est, Bonacina nullum Doctorem pro se in hac materia citat. Et ideo cùm decreta Ecclesiæ Mediolanensis non habeant vim obligandi extra illam: primò consulendum est ne pœnitens confiteatur sacramentaliter cum Confessario complice sui peccati, propter periculum suprà tactum à Bonacina: sed tamen dicendum est secundò, quod si pœnitens id faciat propter vrgentissimam necessitatem, vt quia fortè alium Confessorem non habet: vel si habet, pericli-

tatur

tatur honor, & fama pœnitentis si illi alteri confiteatur; in tali casu, & concurrentibus his circumstantiis, si pœnitens non timeat periculum relapsus, confessio facta Confessario complici valida erit. Probatur argumento claro, & efficaci. Nam Confessarius complex per illud peccatum quod commisit cum pœnitente complice non amisit iurisdictionem ad absoluendum. Suppono enim quod per illud peccatum Confessarius non incurrit excommunicationem, vel vllam suspicionem: quod si illas incurrit, poterit ab illis priùs absolui, & postea sic absolutus poterit confessionem complicis validè audire. Suppono etiam quod in diœcesi istius Confessarij non datur tale decretum id prohibens sicut Bonacina dicit dari Mediolani: vnde ergo hic Confessarius amisit iurisdictionem vt non possit absoluere talem complicem, maximè cum de iure communi id non sit prohibitum? Difficilior casus est, quem ponit Ludouicus de Beia 4. *part. Respons. moralium, casu* 6. qui talis est. In quodam oppido erant duo tantum Confessores approbati; hi duo tempore Iubilæi irato animo se adinuicem percusserunt in præsentia multorum, & fuit casus publicus in toto oppido: die sequenti amicabiliter reconciliati sunt, & adinuicem vnus alteri confessus est sacramentaliter, & virtute Iubilæi se adinuicem absoluerunt, & statim celebrarunt. Quæsitum est, an illi Clerici publicè excommunicati ob notoriam percussionem Clerici, se potuerint absoluere validè? Et respondet Beia potuisse, dato quod vrgeat necessitas celebrandi, vel ministrandi aliud Sacramentum, quæ sine scandalo differri nequeant. Probat, quia necessitas non habet legem: & pia mater Ecclesia non intendit in tam vrgenti necessitate

priuare

priuare filios remedio necessario. Prӕterea quia irregularis ad vitandum scandalum, & periculum famӕ potest celebrare, vt tenet Nauarrus *in manuali, cap.27. num.279.* Si ergo hoc concedit Beia excommunicato notoriè percussore Clerici, cui excommunicato interdicta est omnino ministratio sacramentorum per legem Ecclesiӕ : à fortiori id licebit Confessario complici ad absoluendum suum complicem, si interueniat talis necessitas, vt famӕ periculum : maximè in casu in quo Confessarius complex non sit excommunicatus, neque irregularis. Et hoc magis locum habebit, si ponamus casum in parocho rurali, qui cognouit carnaliter suam parochianam, quӕ non potest vrbem, vel oppidum adire commodè pro quӕrendo alio Confessore. Similis est casus positus à Sorbo Capucino *annotat. ad compendium*, verbo *Absolutio ordinaria quoad fratres*, §. *Sed si succederet*, vbi probat, quod si duo Religiosi se adinuicem percutiant, & aliàs habeant facultatem absoluendi à tali censura, poterunt se adinuicem absoluere.

2 Neque obstat si dicas, per hoc dari occasionem vt quis faciliùs peccet, complex enim sciens, quod in suo complici Confessario facilius absolutionem inueniet, quàm in alio Confessario, facilius peccatum committet. Peccans verò cum spe facilioris indulgentiӕ non illam meretur. Ad hoc argumentum responderur primò, nos hactenus non fuisse locutos de complice peccante cum spe facilioris veniӕ, sed de peccante ordinario ex fragilitate. Dico secundò, quod licet iste complex peccaret cum complice confessario sub spe faciliùs veniam impetrandi, adhuc ab eo licitè posset absolui; secus, si illi confiteretur cum proposito iterum peccandi cum illo : tunc enim

est

est incapax absolutionis. Nam ista prohibitio, quod non absoluatur peccans ex confidentia, vel sub spe facilioris veniæ, non habet locum nisi in casu quo lex, vel Bulla id exprimit, vel prohibet in speciali. In hoc verò casu, vt iam diximus, non datur lex Ecclesiæ prohibens ne absoluatur peccans sub spe facilioris absolutionis impetrandæ à Confessario complici. Confirmatur responsio ex eo quod tradit glossa communiter recepta *in cap. fin. de immunit. Ecclesiæ*, dicente, quod delinquens extra, vel prope Ecclesiam etiam spe gaudendi immunitate Ecclesiæ, gaudet illa. Vide Nauar. *in commentario de Iubilæo, & Indulg. notatione* 34. *num.* 6. & eundem Nauar. *in manuali, cap.* 23. *num.* 109. vbi explicat Bullam Pij IV. & Pij V. de confidentia simoniaca in beneficiis.

3 Ad primam obiectionem ex Bonacina, dum dicit confessionem debere fieri cum pudore, & rubore, & complicem non posse confiteri complici cum rubore. Respondeo illam circumstantiam confessionis sacramentalis, quod sit verecunda, esse quidem ad maiorem decentiam, & bonitatem confessionis sacramentalis: non tamen esse de essentia confessionis, ita quod si confessio fiat sine verecundia, desinat esse confessio sacramentalis; rem sic declaro: Nauarrus (& alij) *in manuali, cap.* 2. *num.* 5. ponit quatuor versus, qui incipiunt: *Sit simplex, humilis confessio*, &c. In quibus quatuor versibus continentur sexdecim conditiones requisitæ ad confessionem sacramentalem. Ex illis refero has præcipuas, quod sit frequens, verecunda, lachrymabilis, fortis, &c. Quis ergo non videat non omnes conditiones ibi positas esse de essentia confessionis sacramentalis? Nam inter illas conditiones vna est quod sit lachrymabilis.

mabilis. At non est de essentia confessionis sacramentalis, vt fiat cum lachrymis: imò facta sine illis potest esse vera confessio. Item alia conditio confessionis ibi posita, est vt sit frequens. At confessio potest esse verissima, licet non sit frequens, sed semel tantum facta in anno. Sunt ergo illæ sexdecim conditiones confessionis sacramentalis, perfectiuæ, magna ex parte, non verò omnes essentiales, ita vt si aliqua desit, desinat esse vèra confessio, Respondetur secundò pœnitentem confitentem sacramentaliter suo complici confessario, posse habere debitam, & veram verecundiam. Nam pœnitens non tenetur præcipuè erubescere confessorem, vel homines, sed verecundari coram Deo, & coram se. Potest hoc explicari exemplo gloriosæ pœnitentis Magdalenæ, de qua optimè considerat D. Gregor. *hom.* 33. *in Euangelio*, quod cùm primò accurrit ad Christum Dominum in domo Pharisæi conuiuantis, non erubuit conuiuantes, qui illam agnoscebant; sed erubuit Christum Dominum, & ideo se posuit retrò post terga Christi, non coram facie illius: & præterea in hoc facto erubuit se ipsam. Verba Diui Gregorij sunt hæc: *Super conuiuantes ingressa est. Nam quia semetipsam grauiter erubesciebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris.* Sic Diuus Gregorius. Quod potest ad intentum applicari, ac dici, quod pœnitens confitens suum peccatum confessario complici eiusdem peccati, licet non habeat verecundiam de confessario, quæ non est de essentia; habet tamen verecundiam coram Deo offenso, cui ferè potest dicere cum Dauide Psalm. 50. *Et malum coram te feci.* Et præterea potest idem pœnitens habere verecundiam de suis peccatis, quæ verecundia de peccatis est præcipua, quæ commenda-

tur in illis conditionibus requisitis ad confessionem.

4 Ad secundum dictum Bonacinæ, dico non sumi ex se occasionem peccandi faciliùs, ex eo quod complex confiteatur confessario complici: & licet pœnitens dum prius peccauit ex fragilitate sua talem spem fiduciæ conceperit, id non tollit quin possit postea verè pœnitens à confessario complice absolui, vt patet ex dictis *in num.* 2. Ad tertium dictum Bonacinæ, quod confessarius complex delicti censeatur reprobatus ad audiendam confessionem complicis. Respondetur id falsum esse: neque id constare ex aliqua lege communi, vel particulari extra Mediolanum. Ad vltimum argumentum Bonacinæ concedimus quod infert tanquam absurdum: sed dicimus non esse absurdum, sed licitum, quod concurrente vrgente necessitate, & periculo, non solum tempore iubilæi, sed extra illud possit Sacerdos confessarius complex delicti absoluere complicem delicti, si alias habet facultatem absoluendi à tali delicto, vt sufficienter manet probatum ex dictis.

CASVS LI.

De institutione cuiusdam Capellaniæ cum certo onere.

PEtrus in suo testamento bona sua immobilia reliquit Francisco, in quibus bonis instituit capellaniam perpetuam, & consignauit Clerico Capellano futuro sexaginta quinque ducatos singulis annis reddendos. Franciscus, hæres quæsiuit Clericum paupe-

rem, qui illam capellaniam vult dicere ſingulis annis ſtipendio, ſeu eleemoſynâ quadraginta quinque ducatorum. Præterea Franciſcus adminiſtrator capellæ emit calicem, & veſtimenta ad celebrandas Miſſas dictæ capellæ.

Quæritur primò, vtrum Franciſcus ex illis ſexaginta quinque ducatis aſſignatis Capellano, à teſtatore, poſſit ſibi retinere viginti ducatos, & dare Capellano pauperi quadraginta quinque, cum quibus ille contentus eſt ſeruire capellaniæ?

Quæritur ſecundò, an Petrus adminiſtrator capellaniæ poſſit ſibi applicare de ſtipendio Capellani, pecuniam illam, quam inſumpſit in emendo calice, & veſtimento pro celebrandis Miſſis dictæ capellaniæ?

1 Et quod attinet ad primum dubium, videtur quod poſſit Petrus retinere ſibi illos viginti ducatos ex ſexaginta quinque iuſſis dari Capellano; & Capellano dare ſolum quadraginta quinque. Poteſt hoc probari exemplo communiter adducto à Doctoribus, in materia *de reſtit.* Dedit dominus proxenetæ rem vendendam pretio aſſignato, vt decem: proxeneta ſuâ particulari diligentiâ, quam poſuit, rem vendidit tredecim: dicunt Doctores communiter poſſe proxenetam illa tria ſibi retinere, nec domino reddere, quia illa duo ſunt fructus ſuæ diligentiæ, quam non tenebatur adhibere. Ita in hoc caſu videtur, quod Franciſcus, qui tenebatur ſoluere Capellano ſexaginta quinque, ſi ob ſuam diligentiam, & preces obtinuit à Capellano, vt contentus eſſet cum quadraginta quinque, poterit ſibi retinere illos viginti ducatos, qui videntur ſuæ diligentiæ deberi. Quoad ſecundum verò quæſitum, an poſſit Franciſcus expenſas factas in emptione calicis, & veſtimenti emptorum, à ſtipendio

dio assignato Capellano per testatorem extrahere, & sibi retinere, videtur quod potuerit: nam illæ expensæ non videntur solum voluntariæ,sed fuerunt expensæ necessariæ: etenim sine calice, & sine veste sacra non potest Missa celebrari. At expensæ necessariæ tribuendæ sunt conductori, quas fecit in re conducta, vt Doctores communiter dicunt in materia de locato & conducto.

2 Ad primum quæsitum respondeo Franciscum non posse sibi retinere illos viginti ducatos, sed teneri dare Capellano omnes sexaginta quinque ducatos à testatore assignatos. Probatur primò, quia capellania comparatur beneficio simplici, teste Azorio *tomo 2. lib.3.cap.8. quæst.4.* vbi dicit hanc esse communem opinionem. At beneficij collator non potest beneficium conferre cum diminutione, sed illud integrum debet conferre, vt expressè habetur in decretalibus, titulo *vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* cap. fin. Secundò, quia hæres non potest authoritate propriâ mutare legata, siue donationes à testatore relictas: sed testator reliquit Capellano absolutè illos sexaginta quinque ducatos pro suo labore celebrandi: ergo hæres Franciscus non potest illos minuere. Tertiò, potest hic casus probari per alium casum ferè similem positum à Bonacina *tomo 2. disput.3. de contractibus,q.17.puncto* 8. §.9. *&* §. *Ex quo patet.* vbi dicit quod si testator reliquit certam pecuniam pro construendo oratorio, sed hæres in construendo oratorio non insumpsit totam pecuniam, non potest hæres illud residuum pecuniæ sibi retinere. Ratio est, quia hæres non censetur satisfacere intentioni testatoris,qui illam quantitatem pecuniæ assignauit pro illo opere.Quæ ratio directè inseruit ad casum nostrum,

maximè cùm ista pecunia relicta sit à Petro pro congrua sustentatione Capellani laboraturi.

3 Neque obstat, si dicas, istum Capellanum sciuisse quanta pecūnia relicta fuerit pro Capellano futuro à testatore, & eo non obstante ipsum liberè acceptasse capellaniam cum quadraginta quinque ducatis tantùm, ac proinde libenter illos viginti ducatos remisisse hæredi, eosque illi liberaliter donasse censendus est. Non obstat, quoniam, cum in informatione dicatur quod Clericus iste erat pauper, non est credendum Clericum pauperem liberè donasse Francisco viginti ducatos singulis annis, sed quod id fecit inuitus ad leuandam suam paupertatem. Probatur hoc, quia iuxta Mascardum *tom.* 1. *de probat. concl.* 554. donatio regulariter non præsumitur : & ponens signa quando donatio potest præsumi, dicit vnum signum esse, quando is qui donat est diues, & is qui accipit est paupertate oppressus. At in nostro casu à contrario se res habuit. Nam Clericus donans, seu remittens viginti ducatos, erat pauper, & Franciscus cui viginti ducatos remisit, erat diues : & ex consequenti non fuit remissio, seu donatio libera, & voluntaria. Constat verò quod donatio inuoluntaria non est donatio, neque res sic donata potest tutâ conscientiâ retineri.

4 Ad argumentum in contrarium positum *num.* 1. respondet Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 25. *num.* 316. cum Sylu. & Nauar. cum hac distinctione. Si fuit pactum tacitum, vel expressum inter dominum, & proxenetam, vt proxeneta domino rei solum decem redderet, sique aliquid in pretium vltra inueniret, sibi retineret ; tunc certum est quod poterit illa tria retinere. Si verò tale pactum non interuenit, non poterit retinere. Quando enim

enim dominus rei vendendæ, taxauit vt venderetur decem, voluntas illius solum fuit ne venderetur infra decem, non autem ne supra decem, si occasio ita ferret. Et probat Reginaldus, quia sicut proxeneta, si rem non venderet, tenebatur illam integram reddere domino suo: ita postquam illam vendidit, tenetur domino reddere totum pretium pro illa receptum. Iam ergo exemplum non probat contra nos. Nam in nostro casu non interuenit pactum inter Petrum mortuum, & Franciscum hæredem, neque tacitum neque expressum, quo Petrus dixerit Francisco vt si capellanum inueniret inseruire volentem pro minore stipendio, quam taxabat in testamento, residuum sibi Franciscus retineret: sed absolutè Petrus dixit vt Capellano futuro darentur sexaginta quinque ducati: ergo hæres nihil potest illi detrahere. Confirmo hoc adhuc isto clarissimo exemplo. Iussit quis in testamento vt maritarentur tres puellæ virgines, & vnicuique pro dote darentur septuaginta ducati. Hæres diligentiam adhibuit, & obtinuit à puellis vt contentæ essent accipere singulæ sexaginta ducatos pro dote, idque illæ fecerunt ad leuandam suam paupertatem. Nunquid poterit hæres in hoc casu sibi retinere illos triginta ducatos detrahendo decem ab vnaquaque? Minimè profectò, quia hæres absolutè iussit vnicuique dari septuaginta. Quod optimè quadat cum nostro casu.

5 Quod attinet ad secundum quæsitum de expensis factis in emptione calicis, & vestis sacræ. Respondetur primò, quod si testator in testamento vltra pecuniam dandam capellano, reliquit aliam pecuniam, seu redditus pro sumptibus capellaniæ, ex illis redditibus, vel pecunia erat emendus calix, vel vestis

ſacra, vt patet, non ex ſtipendio aſſignato Capellano. Si verò talis pecunia ſeparata non eſt relicta, & Capellanus habebat facilè Eccleſiam, in qua inueniret calicem, & veſtem ſacram ad celebrandum, non potuit hæres emere calicem, & veſtem ex pecunia aſſignata Capellano illo inuito; quia in hoc læſionem daret Capellano, minuendo ſtipendium illius, pro emptione rei, quæ non erat neceſſaria ad celebrationem Miſſarum. Si autem hæres non deficiente calice, vel veſte ſacra, voluit ad maiorem ornatum emere calicem, & veſtem meliorem, credo quod ſuis ſumptibus propriis id debet facere, & quod non ſunt illi ſoluendæ tales expenſæ ex ſtipendio capellani. Probatur clarè, quia tales tunc expenſæ non fuerunt neceſſariæ, vt ſuppono, quia aliàs non deerat calix, & veſtis ſacra. Imò nec fuerunt expenſæ vtiles, ſed voluntariæ ad ornatum. Conſtat verò apud Doctores communiter, quod dominus rei non tenetur ad ſoluendas expenſas voluntarias, quas alius fecit in re ſua, ſe inſcio, & nihil mandante. De quo inter alios videatur Rabello *tom. de oblig. iuſtit. 1. p. lib. 2. de reſt. q.* 8. vbi explicat quæ ſint expenſæ neceſſariæ, quæ vtiles, & quæ voluntariæ.

6 Si tandem neque teſtator reliquit redditus pro ſumptibus capellaniæ, neque veſtem ſacram, neque calicem; neque Capellanus habet Eccleſiam paratam vbi hæc duo gratis inueniat, & eo non obſtante acceptat capellaniam: in tali caſu tenetur ſuis ſumptibus emere calicem, & veſtem ſacram ex ſtipendio ſibi relicto: declaratur exemplo à ſimili. Nam ſi ego conduxi fabrum lignarium pro certo ſtipendio, vt mihi domum conſtrueret vltra ſtipendium pactum, non teneor ego dare fabro inſtrumenta, quibus ille
debet

debet laborare. Sic etiam dici debet de Capellano acceptante capellaniam ſub tali eleemoſyna ſui laboris cui non tenetur dans capellaniam dare neceſſaria ad Miſſam celebrandam, vt quotidie fit in eo qui commendat, v. g. viginti Miſſas Sacerdoti, cui non dat calicem, veſtem, &c.

7 Quæres, an Capellanus in hoc caſu emens calicem, & veſtem ſacram, poſſit minuere numerum Miſſarum dicendarum pro rata illius pecuniæ, quam inſumpſit in emptione calicis, & veſtis? Reſpondeo non poſſe id facere, quia is ſciens, & libens acceptauit capellaniam cum illo defectu calicis, & veſtis, & proinde ſe obligauit ad omnes Miſſas illo defectu non obſtante. Aduertit tamen Bonacina *tomo 2. diſput.3. de contract. quæſt.17. puncto 9. §.9. & §. Quintò ſequitur.* Quod redditus deputati pro celebratione Miſſarum poſſunt ab Epiſcopo cùm neceſſitas vrget, conuerti in emptionem veſtium ſacrarum, quæ ſunt neceſſariæ ad Miſſæ celebrationem, & citat ad hoc Riccium: & proinde ſi hoc vix Epiſcopo conceditur per diſpenſationem, non poterit id efficere Sacerdos ordinarius. Et ex hoc patet ſolutio ad ſecundum argumentum poſitum in num.1. pro ſecundo quæſito.

CASVS LII.

De commutatione cuiuſdam legati pij relicti in quodam teſtamento.

QVidam vir valde diues Olyſippone fecit teſtamentum, in quo primò inſtituit maioratum

pro ſucceſſoribus : & vltra redditus maioratus reliquit tria millia, & quingenta ducatorum perpetuorum in redditibus annuis, de quibus inſtituit, vt fieret monaſterium, in quo reciperentur quadraginta mulieres honeſtæ, ſine dote, & ibi alerentur, & profiterentur : cum his declarationibus, & conditionibus. Prima, quod monaſterium foret ſubiectum quoad regimen Prælato ordinario, non verò vlli Prælato regulari. Secunda, quod electio feminarum intrantium fieret per executores ſui teſtamenti, quos deſtinauit; & per mortem illorum fieret electio intrantium per ſucceſſionem maioratus cum Archiepiſcopo, vel cum capitulo ſede vacante. Item inſtituit quod ſingulis annis maritarentur certæ virgines cum certa dote.

Poſt mortem illius Rex Catholicus conſiderans quod Olyſippone eſſent multa monaſteria Monialium cum exceſſu, & pro alia parte conſiderans quod Hoſpitale publicum pro infirmis ſæcularibus curandis habeat pauciſſimos redditus pro curandis tot infirmis tam populoſæ vrbis; & quod ſit vnum tantum Hoſpitale in tam ampla vrbe, & ſitum, ſeu ædificatum eſt in loco anguſto, & parum ſano, iuſſit Rex impediri ædificationem dicti Monaſterij relicti à dicto teſtatore, & prætendit obtinere à Papa diſpenſationem & commutationem talis legati, vt de redditibus relictis pro fabrica, & ſuſtentatione dicti Monaſterij, transferatur Hoſpitale infirmorum ſæcularium ad alium locum ſaniorem, & habeant infirmi ſufficientem victum, & remedium ad ſui curationem.

Quæſitum fuit vtrùm Papa poſſit in hoc diſpenſare, vt redditus relicti pro dicto Monaſterio ædificando,

cando, applicentur in perpetuum pro curatione infirmorum dicti Hospitalis publici:& proinde, an peccet Rex Catholicus petendo hanc dispensationem à Sum. Pontifice?

1 Et pro parte negatiua, quod non possit Papa commutare hoc legatum, nec dispensare in illo testamento, videtur facere capitulum *vltima voluntas* 13. q. 2. vbi Papa Gregorius dicit, quod vltima defuncti voluntas modis omnibus conseruanda est. Facit etiam Authentic. *de nupt.* §. *disponat.col.*4. vbi dicitur, quod vltima testatoris voluntas pro lege habenda est. Faciunt etiam aliqui textus iuris ciuilis, quos citat Sarmiento 4.*p de reddit. Ecclesiast. cap.*3.*num.*1. in quibus dicitur, quod neque Princeps sæcularis potest mutare voluntates contrahentium: & quod Princeps facit iniuriam illi cui aufert ius, quod illi in aliqua re competit. Cum quo concordat dictum commune Iuristarum, ac Theologorum, quod scilicet Papa non censetur concedere aliquod priuilegium, vt dispensationem cum præiudicio tertij: at si Papa dispenset in hoc testamento, resultabit præiudicium tertij, vel multorum. Fiet enim præiudicium executoribus huius testamenti, qui priuantur iure recipiendi ad Ordinem, illas feminas admittendas. Et eodem iure priuantur successores maioratus, quibus conceditur idem ius recipiendi illas post executores testamenti. Denique fit præiudicium tot feminis pauperibus, quæ recipi deberent in tali Monasterio; & proinde videtur quod cum tanto præiudicio tertij non possit Papa concedere talem dispensationem.

2 His non obstantibus dico primò D. Papam posse in hoc dispensare, vt redditus prædicti relicti pro futuro Monasterio applicentur in perpetuum pro cu-

randis infirmis publici Hospitalis. Hæc conclusio est certissima in iure, & communis Doctorum. Habetur expresè in Clementina *quia contingit*, *de Relig. domibus.* vbi Papa, postquàm dixit, quod res per fideles Catholicos destinatæ ad certum vsum, non possunt ad alium vsum conuerti, subdit statim: *Saluâ Sedis Apostolicæ authoritate.* Quo nihil clarius dici potuit. Et cùm hoc sit decretum expressum Papæ, nullus Catholicus Doctor poterit contrarium defendere. Videatur inter alios Nauar. *lib.3. consiliorum, tit. de voto consilio 31. num.1.* Rodriguez *tom.2. qq. quæst.125. art.9.* Zerola *in praxi Episcop.1.p. verbo, legatum, §. Ad secundum.* Sarmiento *citato cap.3. num.1. & 2.* qui omnes sunt recentiores, & graues, & citant eandem Clementinam, *quia contingit.* Probatur hoc insuper rationibus. Prima sit. Nam Papa potest irritare, vel dispensare, vel commutare votum alicuius Catholici, cùm votum obliget vouentum de iure naturali, ac diuino, quod votum ipse vouens non potest commutare, nec dispensare per se ipsum, quæ ambo sunt certissima in Theologia: ergo per argumentum à maiori ad minus, potest Papa dispensare, vel commutare voluntatem testatoris super aliquod legatum pium, cùm voluntas testatoris non fuerit votum, sed ipse testator dum viueret, poterat illam mutare in aliam dispositionem. Facit ad hoc expressus textus in cap. *Per venerabilem, qui filij sint legitimi*, vbi Papa expresè dicit, quod qui potest quod est maius, potest etiam id quod est minus, vbi glossa verbo, *in minori*, citat alios textus pro eodem intento. Secundò probatur, nam res est valde congrua, & necessaria ad regimen boni communis, & consolationem Ecclesiæ, vt Papa supremus Ecclesiæ pastor, ac dispensator

Dei

Dei in operibus piis, habeat potestatem commutandi certa legata pia in alia legata magis pia, & magis necessaria ad bonum commune. Nam potest contingere quod aliquis testator sub colore causæ piæ relinquat legatum alicui Ecclesiæ, quod illi non est necessarium, vel est parum necessarium: quale esset si quis certæ Ecclesiæ relinqueret pecuniam, ex qua sex calices emerentur: & in illa Ecclesia existerent calices sufficienter, & deessent vestes sacræ ad Missarum celebrationem: quis negabit posse Papam in tali legato dispensare pro bono illius Ecclesiæ, præcipiendo, vt non calices, sed vestes sacræ emerentur? Ideo enim est pastor, & dispensator in Ecclesia Dei, vt Ecclesiæ necessitatibus prouideat: maximè quando testator talis rei ignorantiam haberet tempore quo legatum instituit. Imò & in tali casu deficientibus vestibus, id posset Episcopus dispensare, vt diximus suprà ex Bonacina in fine casus præcedentis. Semper autem credendum est voluntatem testatoris fuisse se conformare Papæ voluntati disponentis pro bono communi. Secundò probatur, nam Episcopus in sua diœcesi potest commutare legata pia in alia legata magis pia, vt probabo efficaciter in mox sequentibus: ergo Papa in tota Ecclesia id poterit facere, cùm maiorem iurisdictionem habeat Papa in tota Ecclesia, quam habet Episcopus in propria diœcesi, vt omnes tenentur fateri.

3 Tertiò principaliter probatur eadem conclusio, posse scilicet Papam hoc legatum, & quodcunque aliud mutare in aliud magis pium, probatur inquam à iam facto ad possibile, id est, Papa iam sæpe fecit hanc commutationem legatorum; ergo potest eam facere, non enim credendum est quod Papa errauit

sic

ſic facinndo. Hoc modo argumentandi vtuntur Nauar. & Sanchez ad probandum, quod poſſit Papa hodie diſpenſare in matrimonio rato non conſummato. Arguunt enim ſic : Iam aliqui Sum. Pontifices in hoc diſpenſarunt, vt narrant hiſtoriæ; ergo Papa id poteſt diſpenſare : nam aliàs cogemur dicere illos præteritos Sum. Pontifices erraſſe in re tam graui, & pertinente ad ſalutem animarum, quod eſſet temerarium dicere. Reſtat probandum antecedens quod ſcilicet iam in hoc Papa diſpenſauit, & in eadem omnino materia : ſit exemplum primum, & clarum in eodem Hoſpitali regio iſtius Olyſipponis. Reges enim Portugalliæ obtinuerunt Bullam ſeruatam, & practicatam in eodem Hoſpitali Regio, per quam Papa concedit dicto Hoſpitali, quod Miſſæ relictæ à quibuſuis teſtatoribus, pro quibuſcunque animabus, ſi intra certum tempus in Bulla præſcriptum, dictæ non fuerint, officiales Hoſpitalis colligant, & recuperent eleemoſynam pecuniariam relictam pro talibus Miſſis non dictis, & talem pecuniam inſumant in curandis infirmis dicti Hoſpitalis, abſque eo quod tales Miſſæ amplius dicantur. Non poteſt ad hoc clarius, & efficacius exemplum deſiderari. In quo Papa legatum tam pium, quale eſt Miſſarum celebratio, commutat in aliud opus, quod reputat magis pium, vel ſaltem magis neceſſarium, qualis eſt tot infirmorum, & miſerabilium curatio. Neque in hoc Papa defraudat animas, pro quibus imperatæ ſunt illæ Miſſæ, aliquo ſuffragio ſpirituali neceſſario : primò, quia cùm illæ Miſſæ ſint inſtitutæ à tempore ſatis antiquo, probabile eſt quod tales animæ iam illis Miſſis non indigent, eo quod iam ſint in gloria, vel fortè in inferno. Secundò, quod dato quod

illis

illis Missis indigerent, Papa illis applicat illam eleemosynam factam Hospitali ex illarum pecunia, quæ eleemosyna pro curandis infirmis est magnum suffragium pro animabus oblatum, de quo videatur Frater Ludouicus de Beia statim citandus in secunda conclusione. Secundum exemplum, quod aliqui Sum. Pontifices iam in simili casu dispensarunt, est hoc: Sixtus IV. & alij Summi Pontifices concesserunt Ordini P. N. Francisci, teste Rodriguez *citato loco art.9.* vt Prælati ipsius possent legata quæcumque pia sibi relicta à fidelibus ad certum vsum, possent illa conuertere in alium pium vsum, prout Prælatis videbitur. Et quamuis ibi Papa limitet, dicens, dummodo in hoc non detur scandalum hæredibus, vel testamentorum executoribus. Hæc limitatio per accidens est ad nostrum intentum, qui solum quærimus an Papa id possit facere, vel iam fecerit; & potuit Sixtus IV. illud concedere Minoritis absque illa limitatione, eo modo quo suprà diximus Papam in Bulla concessa prædicto Hospitali applicare illi Missas non dictas, absque illa limitatione, dummodo hæredes non scandalizentur. Maius enim scandalum possunt hæredes sumere in illo casu Missarum non dictarum, & non dicendarum, quàm ex ista concessione Sixti IV. Si verò obiicias, quod poterunt hæredes, & executores istius testatoris scandalizari ex mutatione istius legati. Respondeo de tali scandalo non esse curandum, quando per se ipsum concedit iudicans hoc esse vtilius, & congruentius, & fortè de hoc aliquid amplius infrà dicetur. Tertium exemplum sit. Constat in hoc Regno quod domina Maria filia Regis Portugalliæ Emmanuelis in suo testamento reliquit certa legata pia, vt collegia, & similia, declarando quod illa opera legata fierent,

fierent, & executioni traderentur, illo ordine prioritatis, quem assignauit in tali testamento. Quo non obstante per dispensationem Papæ, ille ordo non est seruatus: aliqua enim legata quæ prius fieri iussit nondum sunt facta: & alia sunt iam facta quæ posterius mandauerat. Quod si Papa mutauit testamentum filiæ Regis, multo magis poterit mutare testamentum, de quo agimus, quod non est factum à Rege, neque à persona insigni, & commutabitur in opus magis pium, & magis meritorium, quàm sit illud, quod ipse iubet fieri, vt ex dicendis patebit.

4 Dico secundò: non solum Papa, sed etiam Archiepiscopus Olysipponensis poterit mutare hoc legatum pro curandis infirmis dicti hospitalis nimis indigentibus. Et idem poterit quilibet Episcopus in sua diœcesi, conuertendo legatum pium. Hæc conclusio est ferè communis recentiorum, & antiquorum. Illam tenent Sarmtento, & Zerola suprà citati, cum aliis ab illis citatis. Eandem tenet Comitolus *lib.7. Respons. moral. q.9.* Riccius *tom.3. decisionum 3. p. decis.558. vers. secunda, & decis.* 1270. *limit.* 5. & 6. Ludoicus de Beia *in suis Resp. moral. 4. p. casu* 22. Barbosa in suis Remissionibus ad Tridentinum *ad sessionem* 22. *c.6. de reform.* vbi citat Syluest. & Comitolus *citata quæst.9.* citat Butrium dicentem posse hoc facere Episcopum cum causa, etiamsi testator prohibuisset talem mutationem fieri: & Zerola citato loco dicit, posse fieri talem mutationem legati non petito consensu hæredis. Et hi Doctores suprà citati citant alios Doctores antiquos, quos apud illos videre poteris. Denique nouissimè idem sentit Bonacina *tom.2. tit. de contractibus, disput.3. q.17. puncto 8. §.9. num.4. & seqq.* vbi ponit aliqua exempla vsu frequentia. Ad probandam hanc conclusionem

nem inseruiunt illæ tres rationes suprà adductæ, quibus probauimus posse id Papam dispensare in tota Ecclesia. Eædem enim etiam probant id posse facere Episcopum in sua diœcesi; vnam, vel alteram rationem affero in particulari pro Episcopo quod id facere possit, quas adducit Beia *loco citato*, §. *Probatur hæc sententia.* Prima est, quia hæc commutatio est in materia fauorabili, vtpote quæ redundat in vtilitatem animæ defuncti, & ideo potest in ea mens testatoris legantis latè interpretari, iuxta *cap. cum dilectus, de donat.* & proinde potest Episcopus satis præsumere, quod testator non contradixisset. Secunda, quia iuxta Tridentinum, Episcopi sunt executores piarum voluntatum quæ fiunt à defunctis, vt dicitur *sess.*22. *cap.*6. *&* 8. & ideo legatum defuncti poterit mutare in aliud æquale, vel in aliud melius pro anima defuncti. Nam qui melius facit, non aliud, sed idem facit, vt in cap. *Peruenit, il* 2. *de iureiurando.* & cap. *Scripturæ, de voto.* & per regulam iuris *in 6.* dicentem; *plus semper continet in se quod est minus.* Cùm verò constet per tot Doctores, & rationes, quod Episcopus possit mutare hoc legatum, illud etiam commutare poterit capitulum sede vacante. Nam capitulum sede vacante succedit Episcopo defuncto, & potest omnia quæ poterat Episcopus per iurisdictionem ordinariam: vt tenet Sanchez citans multos Doctores *lib.*2. *Decalogi, cap.*11.*num.*4. *& lib.*8. *de matrim. disput.* 2. *num.*10. *& seq.* Hæc verò potestas commutandi ista legata competit Episcopo via ordinaria, vt patet; non verò ex commissione speciali Papæ.

5 Vnum tantum restat inquirere, & probare, an scilicet in hoc casu detur causa sufficiens ob quam Episcopus possit licitè, & validè dispensare? Cùm

enim

enim constet apud omnes Doctores, quod dispensatio nec licitè, nec validè possit fieri, nisi detur causa sufficiens ad dispensandum, videre restat, vtrùm in hoc casu tam graui detur causa sufficiens vt omittatur constructio Monasterij feminarum pauperum, & quod non maritentur tot virgines pauperes sicut disponit testamentum? Vt enim Doctores aduertunt, ad hoc vt causa dicatur sufficiens ad dispensandum, debet esse illud opus in quod fit commutatio, vel æquale, vel melius, quàm sit illud quod commutatur.
6 Ad hoc respondeo dari in hoc casu causam iustissimam, imò & clarissimam, vt possit dispensari, quod redditus isti annuales relicti pro monasterio ædificando, & maritandis puellis insumantur in curandis infirmis. Primò id probo, quia hospitale Olysipponense pro infirmis curandis est vnum tantum in vrbe tam populosa: licet enim sint aliæ domunculæ, in quibus curantur aliquot infirmi, hæ domunculæ sunt duo tantùm, & vix decem infirmi in singulis curantur. Hospitale verò Regium, de quo loquimur, vnum tantum est, & habet paucos redditus annuales. Hospitia pro infirmis sunt pauca, & angusta, ita vt ob paucitatem lectorum, & cubiculorum, non possint in hospitali recipi aliquot ægroti, qui miserè moriuntur extra illud. Addo quod hospitale constructum est in loco humili, humido, & non sano, neque habet vicinum spatium, ad quod possit extendi. Ad cuius rei confirmationem dico, quod Romæ sunt quinque hospitalia publica (ad minus) & perampla, quorum præcipuum est hospitale sancti Spiritus in Saxia, quod habet redditus annuales duplo maiores, quàm hospitale Regium Olysipponense: cùm tamen populus Romanus quoad numerum vicinorum multò minor

nor sit quam populus Olysipponensis. Secunda causa consideranda, ex parte ipsius Hospitalis in quod conuertendum est legatum, est curatio tot infirmorum miserabilium, quibus facienda est hæc eleemosyna corporalis, imò & spiritualis, qualis est administratio sacramentorum illis in illo exhibita. Quanti autem meriti sit hæc eleemosyna illis miserabilibus exhibita, & quod Deo hoc magis acceptum sit, quàm ædificare Monasterium, vel maritare aliquas virgines, potest probari primò ex eo quod dixit Christus Dominus Matthæi c.9. *Misericordiam volo, non sacrificium.* Maior autem est misericordia curare infirmos pauperes morientes, quàm recipere mulieres ad Monasterium, vel ad matrimonium. In quo loco Matthæi clarè Christus D. innuit, quod aliquando iuxta necessitatem pauperum, plus sibi placita est eleemosyna, & curatio pauperum infirmorum, quam sit sacrificium Missæ. Secundò probatur ex eo quod multi Sancti fecerunt, vendentes calices, & vasa sacra Ecclesiæ, pro subleuandis pauperibus, & redimendis captiuis. Hoc imprimis docuit D. Gregorius Papa *lib. 6. epistolarum, cap.177. epistola ad Fortunatum Episcopum*, in qua Papa illi concedit facultatem ad alienanda vasa sacra suæ Ecclesiæ pro redemptione captiuorum suæ Ecclesiæ, & verba Papæ sunt hæc : *Nostrum consensum præbere curauimus, & in distrahendis vasis sacris, vobis licentiam indulgemus.* Et addit ibi sanctus Pontifex : *Quod in hac re, & legum, & canonum decreta consentiunt.* Idem fecit S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis, de quo refert Surius 4. *die Februarii*, quod vendidit vasa sacra Ecclesiæ pro captiuis redimendis. Idem fecit sanctus Laurentius, qui thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus non ægrotis, sed

ſanis, qui per plateas ambulabant: & in noſtro caſu ſuccurritur pauperibus ægrotis, qui aliquando in ægritudine patiuntur maiorem neceſſitatem, quàm captiui ſani apud Turcas. Eleganter, ac piè ſatis hac de re dixit Ambroſius *lib.2. officiorum, cap.28.* vbi ſic ait: quid enim diceres? *Timui ne Templo Dei ornatus deeſſet? Reſponderet: Aurum ſacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum redemptio captiuorum eſt: & verè illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas à morte.* Et paulò pòſt addit ſanctus Doctor hæc verba: *Nemo enim poteſt dicere; cur pauper viuit? Nemo poteſt queri quod captiui redempti ſunt?* &c. Nec minus eleganter Chryſoſtomus *homilia 52. ſuper Mathæum*, loquens de modo quo debemus Deum venerari, ſic dicit: *Tu etiam ita eum honora*, (id eſt Deum) *vt ipſe vult. Expone diuitias tuas pauperibus: non eſt opus vaſis, ſed animis aureis: & ante omnia miſericordiæ, & benignitati eſt incumbendum.* Et paulò infrà ſic ait: *Nemo enim quia templa magnifica non condiderit vnquam accuſatus eſt. At verò gehenna, & ſupplicia Dæmonum imminent, niſi quis diligenter illa peragere velit.* Sic ibi. Ecce quam ſit Deo accepta eleemoſyna facta pauperibus, maximè ægrotis, vt iuxta verba Chryſoſtomi vltimò citata, ſit hoc opus Deo magis acceptum quàm Templi magnifici ædificatio. Iam verò ædificatio noui Monaſterij quòd prætenditur, non eſt opus adeò neceſſarium bono communi populi Olyſipponenſis, in quo ſunt multa monaſteria Monialium, & virorum in tanta multitudine, vt ferè ſæculares moleſtè ferant tot Monaſteria priuilegiata. Et Summi Pontifices, maximè Clemens VIII. in quadam Bulla circa monaſteriorum ædificationem, taxam, & modum aſ-

ſignauerit

ſignauerit pro Monaſteriorum multitudine vitanda.
7 Reſtat reſpondere argumentis in principio pro parte contraria adductis. Ad primum igitur fundatum ex capitulo *vltima voluntas*, & ad textum Authentic. vbi dicitur quod vltima voluntas ſeruanda eſt omnino, ſicut lex; Reſpondetur, ſeruandam eſſe vltimam voluntatem quaſi eſſet lex, hoc intelligitur ſeruandam eſſe à ſubditis ordinariis, qui non poſſunt diſpenſare in teſtamento, ſed ſunt meri executores: hi enim ad vnguem debent ſeruare verba teſtamenti. Secus verò dicendum de Sum. Pontifice, qui eſt ſupremus paſtor & diſpenſator Eccleſiæ, qui eſt ſupra omnes leges humanas, & proinde poteſt diſpenſare in teſtamento pro bono communi, vel pro bono meliori, iuxta ſuprà dicta; & poteſtatem habet ex iuſta cauſa commutare legatum pium in aliud magis pium. Et idem dicetur de Epiſcopo, qui iuxta Concil. Trid. ſuprà citatum, eſt executor piarum voluntatum: maximè quando ex iſta commutatione legati non fit præiudicium defuncto, ſed redundat potius in ipſius vtilitatem. Et hoc in rigore non eſt mutare voluntatem defuncti, ſed eſt illam perficere, vt ſuprà diximus ex cap. *Peruenit*, & cap. *Scriptura*, de voto. Et ad id quod in particulari dicit lex Auth. quod ſcilicet voluntas teſtatoris, eſt lex. Reſpondeo adhuc cum Sà *in Aphoriſm.*verbo *Lex,num.*1. quod quando lex facta eſt inutilis, ipſa per ſe abrogatur, vel debet abrogari, quia lex fertur in vtilitatem publicam. Lex verò iſtius legati de quo agimus, eſt minus vtilis Reipublicæ, quàm ſit curatio tot infirmorum miſerabilium. Ad hos etiam textus reſpondet Ludouicus de Beia loco ſuprà citato, ſic eſſe intelligendos, quod Papa, qui eſt ſupra omnia

iura in foro animæ, potest illa iura mutare pro bobo animæ, etiam absque causa: & quod Episcopus ex epiikeia legis potest eadem iura mutare cum causa pro maiori bono animæ. Ad alios textus citatos à Sarmiento dicentes, quod Princeps non concedit priuilegium cum præiudicio tertij, nec aufert ius acquisitum alicui parti, respondetur, quod si Papa, vel Episcopus in hoc dispensauerint, nullam facient iniuriam hæredibus, vel feminis quæ possent postea ingredi tale Monasterium, quia nondum existunt in rerum natura, neque illis aufertur aliquid quod iam actu acquisierint. Illud verò dictum, quod Princeps non aufert alicui ius quæsitum, vel quod non concedit gratiam cum præiudicio tertij: intelligitur quod non aufert ab aliquo id quod iam in re acquisierat, nec facit præiudicium alicui in re iam acquisita. Sic explicat Suarez *tom. de legibus, lib.*8. *cap.*17. *num.*9. innuens quod potest Princeps in sua concessione auferre alicui ius ad rem, seu ius quod habet vt illi in posterum aliquid acquiratur. Et exemplum clarum est in Prælato Ecclesiæ, qui non potest per se solum alienare bona Ecclesiæ, nisi cum debita solemnitate præscriptâ à iure. Si verò suæ Ecclesiæ relinquatur legatum magnum ad quod iam sua Ecclesia habet ius ad rem, potest Prælatus per se solum illud legatum repudiare, quia nondum in re acquisitum est suæ Ecclesiæ: & sic licet non possit nocere suæ Ecclesiæ in bonis iam in re acquisitis, potest illi nocere in rebus acquirendis, ad quæ habet ius ad rem. Sic tradit Sanchez *lib.* 7. *Decalogi*, *cap.*6. *à num.* 2. *& seqq.* & in hoc nostro casu feminæ, quæ in posterum possent intrare tale Monasterium, & hæredes, & executores testamenti nondum habent ius

quæsitum

quæsitum in re, imò vtplurimùm nondum existunt in rerum natura, nec potiti sunt prædictis officiis. Et parum interest si illis fiat aliquod præiudicium in officio acquirendo, maximè cum hoc illis adimatur pro bono communi, & pro maiori vtilitate illius defuncti. Addo quod hoc legatum non est relictum certis, ac determinatis personis, sed personis incertis, vt patet, & in genere. Legatum verò sic relictum incertis personis facilius commutatur ab Episcopo, teste Riccio 4. *p. Decisionum, decis.* 1270. *vers. limitatione* 4. vbi se ipsum citat in decisione 556.

Ex dictis satis responsum manet secundo dubio principali posito in principio, an scilicet Rex peccauerit impediendo executionem dicti testamenti, & petendo à Papa dispensationem legati? Respondetur enim, non solùm non peccasse, imo piè, & prudenter egisse petendo à Papa, quod ipse potest facere, & quod vergit clarè in bonum commune Reipublicæ.

Appendix ad casum præcedentem de mutatione prædicti legati.

POstquam præcedentem responsionem ad casum præcedentem dedi, vidit illam quidam Religiosus grauis, & doctus, qui plus adhærens textibus ciuilibus, ac Iuristis, quàm Theologis, aut rationibus, impugnauit hanc meam responsionem sequentibus argumentis: quibus respondebo non gratiâ contentionis, vel defensionis mei honoris, sed vt magis confirmetur à me dictum pro casu præsenti in re tam graui, & bono communi necessaria; & pro aliis casibus similibus, qui quotidie possunt occurrere.

1 Igitur prædictus Doctor contra me arguit, non posse Papam in prædicto testamento dispensare: primò, quia Papa non potest obligare hæredem vt det Hospitali illud quod testator non debebat, nec iussit dare: pro quo citat l. *in Authent. de hæred.* §.*hinc nobis*. At obligare hæredem ad dandum id quod neque lex, neque testator obligat, est vim inferre, & nulla lex permittit quod alicui vis inferatur. Et confirmat hoc argumento, quia aliud est commutare vnum legatum in aliud opus pium: & aliud est obligare hæredem, vt soluat illud quod testator non iubet soluere: & ponit exemplum, dicens, quod si testator mandaret hæredi vt daret certæ Ecclesiæ vnum calicem iam factum, non poterit Prælatus obligare hæredem vt det Ecclesiæ valorem illius calicis in pecunia, vel rem aliam calici æquiualentem.

2 Quia si dicatur posse hoc Papam facere de potentia absoluta, id non potest Papa facere: nam secundum aliquos Iuristas, quos citat, quod fit de potentia absoluta est tyrannis, pro quo citat leges, & textus. At de Papa non est credendum quod vim inferat, vel tyrannidem exerceat, dans de potentia absoluta Hospitali id quod testator dari non iussit.

3 Quia hæredes huius defuncti habent iam quæsitũ ius in prouidendis locis futuri Monasterij admittendo fœminas ad tales locos, ad quos possent recipere proprias filias, & sorores suas, & consanguineas, quod est magnum interesse. Et Princeps non potest præiudicare bono alicuius tertij, iuxta legem *Filius is. ff. de condit.* & alios textus, & Doctores.

4 Quia Papa non potest sine causa mutare piam voluntatem testatoris. Et in hoc casu dicit non dari causam sufficientem ad dispensandum in hoc testamento.

mento. Nam causa maior non debet considerari ex parte rei, in quam debet mutari legatum (quæ est curatio infirmorum) sed solum ex parte voluntatis testatoris, considerando scilicet id quod esset melius ipsi testatori, pro quo citat Bartolum, & alios.

5 Quia licet Papa possit mutare vnum legatum in aliud opus pium quando testator in tali legato habuit respectum solum ad salutem animæ propriæ, ibi sistendo: non tamen potest illud legatum mutare si testator habuit etiam respectum ad honorem, & famam sui proprij nominis, & descendentium: & ad hoc citat l. *legatum*, *ff. de vsu*, *& vsufr.* In hoc verò casu testator non respexit solum ad salutem animæ in ædificando Monasterio; sed respexit etiam ad proprium honorem, & suorum descendentium, cùm ex eo ædificio, & ex iure patronatus super idem Monasterium sibi, & suis descendentibus accrescat fama, & gloria magna.

6 Quia ad hoc vt Papa possit mutare legatum in aliud opus magis pium, dicit dari tantum duas causas; prima, quod sit necessitas publica: secunda, quod legatum non possit executioni mandari. At in hoc casu, dicit necessitatem Hospitalis non esse necessitatem publicam Reipublicæ, vel sui status. Secundò, quia Monasterium potest commodè ædificari, neque ad hoc datur vllum impedimentum. Ad hoc etiam addit quod quando Doctores dicunt, quod Princeps potest sine causa mutare legata, loquuntur de potentia absoluta: Author verò iste iam suprà dixit, potestatem absolutam æquiparari tyrannidi.

7 Quia non potest Hospitale recipere redditus annuales, qui sunt applicati Monasterio futuro, sub prætextu legatorum, quæ executioni non sunt man-

data; ex vi Bullæ, quam ſupra diximus habere prædictum Hoſpitale: nam monaſterium comparatur poſthumo, & facit fructus ſuos, & ſic ſemper illi reſeruantur fructus futuri.

Vltimò, quia ſi hoc legatum mutaretur, daretur occaſio vt aliquæ perſonæ nollent relinquere legata pia in ſuis teſtamentis, timentes quod poſt ſuam mortem poſſint à Papa mutari, vel ab Epiſcopo in alia opera, quæ illi non intenderunt: quæ occaſio vitanda eſt tanquam Eccleſiæ parum vtilis.

Hæc ſunt argumenta, quibus prædictus Author meam reſponſionem impugnauit, ſequens potius vt dixi, textus ciuiles, & Iuriſtas, quàm ius canonicum, & Doctores Theologos, quos citaui ſuprà in hoc caſu *num.* 2. & quia hic Author in ſuis argumentis, maximè in primo, & vltimo innuit abſolutè non poſſe Papam diſpenſare in teſtamento, & in hoc legato; miror, & neſcio quid debeat reſpondere ad Clementinam, *quia contingit, de Religioſ. domibus*, citatam in citato *numero* 1. vbi Papa expreſsè dicit, Sedem Apoſtolicam id poſſe facere: niſi fortè iſte Author ſequi potiùs velit leges ciuiles, quas fortè non intellexit, quàm ſequi leges Pontificias, qualis eſt iſta lex Clementinæ citatæ. Et quoniam in hoc caſu iam ſuprà attuli efficacia argumenta, & tot Doctores dicentes id poſſe facere Papam, non amplius hîc immorabor in adducendis argumentis ad probandum quod poſſit Papa id facere: ſolum reſpondebo ad futilia argumenta iſtius Authoris; nàm ex iis quæ dixero in ſolutione illorum, magis confirmata manebit noſtra ſententia.

Solutio

Solutio argumentorum supra positorum.

9 AD primum argumentum dico, quod si Papa hoc legatum per dispensationem commutauerit applicando redditus relictos vt insumantur in Hospitali pro infirmis curandis, obligat Papa, & obligare potest indirectè saltem hæredem, vt det Hospitali, id quod testator illi dari non iussit. Declaratur claro exemplo. Posuit Petrus in manu Ioannis rem quandam tanquam pignus depositum, dicens Ioanni, quod illi non daret nisi Francisco. Iudex ad instantiam cuiusdam probantis rem ad se pertinere, per sententiam mandauit Ioanni vt rem traderet Ferdinando. Clarum est quod res tradenda est Ferdinando, cui iudex reddi iubet, cui Petrus non mandauit reddi. Idem euenit in hoc casu: Iussit testator hos redditus reddi Monasterio futuro: Papa qui potest illos per dispensationem applicare pro Hospitali, mandat illos reddi Hospitali; clarum est quod tenetur hæres illos reddere Hospitali, & quod Papa hoc illi potest pæcipere. Aliàs sequeretur, quod nunquam Papa posset facere commutationem alicuius legati, quod est clarè contra citatam Clementinam. Probatur sequela: nam quotiescunque Papa dispensat in aliquo legato relicto pro aliqua re certa, & applicat illud legatum, v.g. alicui Ecclesiæ, testator non declarauit, neque iussit, vt legatum daretur tali Ecclesiæ, sed illi operi quod declarauit: & tamen hæres tenens rem illam legatam tenetur tradere rem Ecclesiæ, cui mandat Papa, alias nunquam Papa posset in aliquo legato dispensare, quod est contra praxim Ecclesiæ,

& contra iſtum Authorem in ſuis argumentis qui admittit commutationem legatorum faciendam per Papam, ſine iſta obiectione poſita in iſto argumento. Et confirmatur, ſeu magis declaratur. Nam hæres non retinet hos redditus tanquam ſuos, vt patet, ſed tanquam executor & depoſitarius. At iudex poteſt iubere executorem teſtamenti, vel depoſitarium vt tale quid faciat, vel non faciat. Et declaro adhuc exemplo claro quod Papa poſſit, vel Princeps obligare hæredem, vt det illud, quod teſtator non declarauit, neque mandauit. Nam ſi teſtator debebat Petro decem ducatos, quos Petrus oblitus non declarauit, nec mandauit ſolui in teſtamento, & Petrus poſt mortem teſtatoris probauit illos ſibi deberi: clarum eſt quod tenetur hæres illos reddere Petro licet teſtator id non declarauerit, nec præceperit: ergo falſum eſt in genere, dicere quod hæres non tenetur ſoluere id quod teſtator nec declarauit, nec iuſſit. Tunc ſic; Iſti redditus poſt diſpenſationem, & applicationem Papæ potentis applicare, debentur Hoſpitali: ergo hæres tenetur illos reddere Hoſpitali, licet hæres id neque declarauerit, neque præceperit. Quod verò attinet ad legem quam citat in confirmationem, in qua dicitur quod nulli inferenda eſt vis ſeu violentia. Reſpondetur primò, quod Papa iubens per diſpenſationem vt hi redditus applicentur Hoſpitali, nullam vim, nec violentiam facit hæredi, cùm tales redditus non ſint ipſius hæredis, ſed ſint ſubiecti diſpoſitioni Papæ diſpenſantis. Fieret quidem iniuria hæredi, ſi illi redditus eſſent ſui, & eos illi auferret. Cùm verò non ſint ſui, non facit Papa illi vim, neque iniuriam iubendo per diſpenſationem vt Hoſpitali tradantur. Reſpondeo ſecundò, quod

vtens

vtens iure suo nulli facit iniuriam, teste Nauarro *ad cap. Cum contingat in 7. causa nullitatis, num.*8. pro quo citat *cap. Cum Ecclesia, de electione*, & legem *Iniuriarum*, §. 1. *ff. de iniucijs.* At Papa vtens dispensatione, & applicans hos redditus Hospitali, vtitur iure suo, sicut potest; ergo nullam hæredi vim facit, neque iniuriam.

10 Ad confirmationem istius argumenti primi, quatenus dicit, aliud esse commutare legatum in opus aliud pium, aliud verò obligare hæredem ad soluendum illud quod testator non præcepit; respondeo, quod licet hæc duo sint duæ res aliquo modo differentes, vna tamen, id est, obligare hæredem ad soluendum, est dependens ab alia, id est à dispensatione, illíque subordinata. Nam dispensante Papa, sicut potest, vt redditus isti applicentur Hospitali, consecutiuè potest obligare hæredem, qui est solum quasi depositarius, vt tales redditus reddat Hospitali. Aliàs sicut suprà argumentabamur, frustrà haberet Papa hanc potestatem dispensandi, si non haberet potestatem exequendæ suæ dispensationis per traditionem redditũum eidem Hospitali. Confirmatur amplius hæc responsio: nam qui potest præcipere antecedens, potest etiam præcipere consequens sine quo illud antecedens stare non potest. Sed Papa potest hoc antecedens, id est dispensare in hoc legato, vt probaui suprà tot rationibus, & Doctoribus: ergo Papa potest consequens quod hinc sequitur, videlicet mandare hæredi vt tradat illos redditus Hospitali, sine qua traditione frustranea foret Papæ dispensatio. Ad exemplum verò quod affert de calice, quem testator præcepit dari Ecclesiæ cum declaratione ibi positâ; dico etiam posse Prælatum in tali casu obli-

gare

gare hæredem, vt pro calice det Ecclesiæ pecuniam, quæ erat insumenda in emendo calice, si Ecclesia non indigebat calice, sed indigebat pecuniâ: concurrunt enim in hoc casu rationes sufficientes ad dispensandum, & proinde dispensante Prælato, potest, ac debet hæres stare dispositioni Prælati dispensantis, vt satis manet probatum in præcedentibus. Et obligando hæredem, vt det pecuniam, & non calicem, nullam illi vim facit, neque iniuriam: imò liberat illum à labore iubendi fieri calicem, quem calicem potest Prælatus commutare in aliud opus Ecclesiæ vtilius.

11 Ad secundum argumentum, in quo dicit, quod si Papa aliquid concederet de potentia absoluta, talis concessio esset tyrannis; dico primò hanc propositionem esse duram, & proinde dignam censurâ. Nam Summi Pontifices passim concedunt multa cum ista clausula, *motu proprio, & plenitudine potestatis*: quæ verba æquiualent potentiæ absolutæ: & tamen nemo illos arguit de tyrannide. Secundò, quia Papa est supra omne ius canonicum, & ciuile, quando est ius purè positiuum, & potest in vtroque dispensare pro bono animarum, & super tale ius nouas regulas inducere, vt tenet communis opinio teste Mascardo *tom.3. concl.1377. num. vltimo*, vbi citat multos Doctores in solutione tertij argumenti. Ergo si potest Papa supra ius commune aliquid addere, vel dispensare, tale suum factum non erit tyrannis, sed factum licitum, cùm vtatur iure suo. Tertiò, dicta propositio, quod factum de potentia absoluta sit tyrannis, haberet aliquam apparentiam, quando tale factum Principis contra, vel præter ius, esset factum, vel opus iniquum. Sed commutare legatum in opus magis

gis pium(quale est istud)non est opus malum, sed bonum, & pium: imò neque est contra ius commune, sed illi conforme, cùm id clarè sit diffinitum in Clementina citata *cum contingat*, de Relig. domibus. Ergo Papa hoc concedendo, etiam de potestate absoluta, non exercet tyrannidem, sed potius actum bonum, & opus misericordiæ erga pauperes miserabiles curandos.

12 Ad tertium argumentum, quatenus dicit, hæredes, & executores istius testamenti habere iam ius acquisitum ad recipiendas in futuro Monasterio suas sorores, filias, & consanguineas; & quod Papa non potest auferre ius quæsitum tertio, iam ad hoc responsum est suprà *num.*7. in responsione ad primum argumentum, post medium, vbi cum Sanchez *lib.* 7. *Decalogi, cap.*6. *num.* 2. diximus quomodo Princeps possit auferre alicui ius suum, non quæsitum iam in re, sed ius ad rem. Hi verò hæredes, & executores nondum habent illud ius præsentandi acquisitum in re, sed ad rem futuram: nondum enim sunt in possessione patronatus, vt in simili probat Azor *tom.*3.*lib.*1. *cap.* 12. *quæst.* 8. At Papa potest tollere ius ad rem & in re quod habent laici ad præsentationem beneficiorum, vt tenet communis opinio, teste Reginaldo *tom.*2. *lib.*30. *tract.*3. *cap.*16. *sect.* 4. *num.* 226. vbi citat Couar. & Lambertinum. Et causam assignat, quia ius patronatus est de iure canonico; Papa verò potest derogare toti iuri canonico: ergo Papa potest derogare isti iuri ad rem, quod habent isti patroni in præsentando: maximè cùm ista illorum præsentatio feminarum pro ingressu futuri Monasterij, non sit præsentatio ad beneficium Ecclesiasticum. Secundò respondetur, quod Papa ex iusta causa potest alicui auferre

auferre ius suum, etiam acquisitum, & non præcedentibus culpis. Videatur glossa *in cap. per principalem 9. q. 3. vers. ad nos*, vbi citat quandam legem iuris ciuilis, & duo capita iuris canonici, in quibus dicitur, quod Papa potest auferre à Clerico beneficium iam acquisitum: & quod Imperator possit alicui domino auferre seruum suum ex iusta causa. Idem tenet Azor *tom. 2. lib. 4. cap. vltimo, §. vigesimumquartum*, citans alios textus, & hoc dicunt existente iusta causa. At in hoc interuenit tam iusta causa, qualis est curatio tot pauperum miserabilium & ægrotorum. Tertiò probo exemplo clarissimo, quod possit Papa alicui auferre ius suum iam acquisitum in re. Constat quod decimæ de iure diuino, & naturali debentur Episcopis, & beneficiariis, ad propriam sustentationem, vt probat Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 34. §. In ijs igitur*; & sic Episcopi habent ius in re vt sibi Catholici soluant decimas. Et hoc non obstante multi Pontifices concesserunt aliquibus Religiosis, vt de suis campis, & proprietatibus non soluerent decimas Episcopis, vt patet ex compendio Mendicantium verbo *Decima.* In quo Sum. Pontifices fecerunt præiudicium tertio, id est Episcopis, auferendo ab illis ius quod iam habebant quæsitum in decimis. Ergo à fortiori, poterit Papa in hoc casu auferre hæredi, & executoribus testamenti auferre ius ad rem, quod habent pro futura præsentatione fœminarum, maximè interueniente causâ tam piâ hospitalis: maximè cùm hoc ius illis non competat de iure naturali, nec diuino, sicut Episcopis competit ius ad decimas, & in decimis.

13 Quartum argumentum dicit in hoc casu non dari causam sufficientem, vt Papa dispenset: quia inquit,

quit, hîc non est attendenda causa ex parte maioris necessitatis ipsius hospitalis: sed ex parte maioris necessitatis ex parte testatoris. Respondeo, hoc gratis, & sine fundamento dici. Nam Doctores dicentes posse Papam commutare legata, non dicunt quod id fiat attentâ voluntate testatoris, sed quod sit opus melius. Et probatur, quia si attendenda esset solùm voluntas testatoris, nunquam Papa posset commutare aliquod legatum; semper enim credendum est, quod testator voluerit vt suum legatum detur executioni sub forma à se præscripta in testamento. Secundò, quia voluntas defuncti præsumenda est quod sit ista, & fuerit ista, quod suum legatum conuertatur in melius pro bono animæ suæ, idque Papa voluerit applicare, qui est Dominus vltimarum voluntatum: sicut tenet Beia 4.*p.Resp. Moral. casu* 22. §. *Probatur hæc sententia, & §.sequenti*, vbi citat vnam legem iuris ciuilis, & aliam iuris canonici, ex quibus colligitur posse Papam mutare legatum in aliud opus pium, etiamsi nulla detur causa iusta, dummodo commutet in rem meliorem: & quod sic commutans interpretatur voluntatem testatoris legantis. Et citat ad hoc Hugon. Angelum, Imolam Rog. qui præponderant Bartolo citato in oppositum, si Bartolus id dicit.

14 Ad quintum argumentum dico, quod licet testator in hoc legato non solum respexerit ad salutem animæ suæ, sed etiam ad propriam famam, & honorem suum, & suorum descendentium, hoc non obstante poterit Papa illud commutare. Probo, quia licet testator habuerit respectum ad has duas res, animam, & famam: præsumendum est, quod principale quod prætendit, fuit salus animæ: fama verò prætensa fuit accessorium, & secundarium: præsumi enim debet, quod

homo

homo Catholicus moriens plus curat de anima, quàm de fama. Cùm igitur principale intentum fuerit ſalus animæ, & fama fuerit quid acceſſorium: dico, quod cùm Papa poſſit mutare legatum quoad intentum principale animæ, poterit etiam illud mutare quoad acceſſorium famæ. Probatur clarè per Regulam 42. *de Regul. iuris in 6.* vbi dicitur, quod deſtructo principali, deſtruitur acceſſorium. Et potens in maius, poteſt in minus. Addo quod in iſta mutatione legati, & omiſſione ædificationis Monaſterij, non perdit teſtator famam prætenſam in ædificio Monaſterij, nam eadem fama & honor illi accreſcit ex reparatione hoſpitalis, & curatione perpetua tot infirmorum miſerabilium.

15 Sextum argumentum contendit quod in mutatione legati duo debent attendi; primum neceſſitas publica: ſecundum impoſſibilitas exequendi legatum. Ad primum ergo quod dicit, in hoc caſu non dari neceſſitatem publicam, pro qua mutetur legatum. Dico curationem infirmorum pauperum totius Olyſipponenſis, imò & peregrinorum ad illam confluentium eſſe neceſſitatem pluſquam publicam, & ferè extremam in hac materia. Quæro enim: Num magis indiget Olyſippo hoc nouo monaſterio Monialium, in qua iam ſunt tot illarum monaſteria, quàm indigeat hoſpitali publico ad curandos tot pauperes miſerabiles? Videantur ad hoc illa quæ dixi in hoc eodem caſu ante hanc appendicem ex D. Ambroſio, Gregorio, & Chryſoſtomo, qui adeò commendant curam pauperum, pluſquam vaſa ſacra, *&c.* Quoad ſecundum quod dicit, non poſſe mutari legatum quando illud poteſt commodè dari executioni, hoc autem poteſt commodè impleri. Dico primò, nullum

lum Doctorem Theologum hanc causam, vel rationem assignare: & quod quoties Sum. Pontifices, vel Episcopi commutarunt legata, ferè semper illa legata, quæ mutarunt, potuerunt facilè executioni mandari, eóque non ostante dicta legata commutarunt. Imò, si hæc ratio aliquid valeret, ferè nunquam Papa, vel Episcopus possent vllum legatum commutare: omnia enim legata relicta à testatoribus possunt vtplurimùm executioni commodè mandari, & nihilominus ea dicti Prælati commutant. Dico secundò, quod hoc Monasterium relictum in hoc legato non potest commodè, & facilè construi. Pro huius probatione, suppono ex Nauarro *commentario* 4. *de Regular. num.*71. §. *Quarto quod*, vbi citans l. *Nepos Proculo*, *ff. de verb. signif.* & cap. *Faciat* 22. *q.*2. ait, quod illud dicimur nos posse, quod commodè possumus: & ponit multa exempla. Quo supposito, dico hoc Monasterium fieri non posse, quia commodè fieri non potest. Assigno duas causas, prima est, quia præcipit vt executores sui testamenti, vel hæredes simul cum Episcopo eligant fœminas ingressuras in Monasterium, & prius ad hoc nominat executores, & hæredes, quàm Episcopum. Hoc autem est contra ordinem, & contra praxim Ecclesiæ: nam patroni officium solum est præsentare Prælato, & Prælatus potest repellere præsentatum à patrono, si non sit dignus: non potest verò patronus eligere, sed solùm præsentare. At in hoc testamento datur patrono potestas non solùm ad præsentandum, sed etiam ad eligendum. Imò ex hac dispositione testamenti colligitur, quod poterunt executores testamenti cogere Episcopum vt recipiat vnam feminam inuito eodem Episcopo. Probatur, quia cùm talis femina sit reci-

pienda per ſuffragia executorum, & Epiſcopi: poterit contingere, quod ſi ſint tres executores teſtamenti, & hi omnes dent ſuffragium pro certa femina, quam Epiſcopus non vult recipere ad nouitiatum, cogetur Epiſcopus inuitus illam recipere ad nouitiatum: quod eſt inauditum in Theologia, & ſacris Canonibus, vt ſcilicet recipiatur Nouitius ad habitum contra voluntatem Prælati ordinarij, idque cum ſolis ſuffragiis ſæcularium. Secunda cauſa, ob quam Monaſterium commodè fieri non poteſt, eſt quia adimit Epiſcopo poteſtatem, & iuriſdictionem recipiendi vnam Monialem ſine conſenſu patroni, vel patronorum, quod eſt onus graue, nunquam viſum, neque poſitum in vſu. Scio quod aliqui domini temporales habent ius patronatus, vt poſſint præſentare in aliquo monaſterio Monialium duas, vel tres recipiendas ad habitum: quas tamen, ſi non ſint dignæ, poteſt Prouincialis repellere. Quod verò patronus omnes ingreſſuras præſentet, & eligat, res eſt inaudita. Addo quod in mea Prouincia Algarbiorum Rex Catholicus eſt patronus aliquorum grauium conuentuum Monialium à Regibus fundatorum, & tamen Rex patronus neque vnam præſentat in aliquo illorum monaſteriorum, ſed totum negotium recipiendi Moniales liberè relinquit Prouincialibus. Idem fecit D.Maria Infans filia Regis Emmanuelis Portugalliæ, quæ à fundamentis Eboræ ædificauit monaſterium Monialium iſtius Prouinciæ, & reliquit executores ſui teſtamenti, qui hodie durant: & tamen nullum locum ſibi, vel executoribus reliquit, vt poſſent vnam ſolam feminã in illo monaſterio præſentare, ſed totum Prælatis commiſit. Credendum eſt enim quod maiorem zelum, & minus intereſſe habebunt Prælati Religioſi

in

in recipiendis nouitiis, quàm sint habituri sæculares, qui amicorum,& consanguineorum voluntati obsequi solent, & propriis obligationibus satisfacere consuescunt. Cùm ergo constet ex dictis, quod ex libertate præsentandi, & eligendi his patronis commissa possit accrescere grauamen, & damnum Ordinario in receptione Monialium, sequitur quod commodè tale monasterium fieri nequit, & quod talis libertas patronis non sit danda. Facit ad hoc quod tradit Reginald. *tom.2.lib.*30.*tract.*3.*num.*232. vbi cum Lambertino, & Syluest.dicit, quod si patronus imponat conditionem, quæ sit grauamen immoderatum, vel intolerabile, vel contra rectam rationem,non obligare talem conditionem. Illa verò forma recipiendi Nouitias assignata ab isto testatore,est intolerabilis, & contra rectam rationem, & contra omnem consuetudinem, vt probaui.

16 Ad septimum argumentum dico, quod redditus residui huius legati hodie extantes, si Papa dispensauerit, dari debent hospitali, quia per talem dispensationem debentur hospitali, vt patet ex suprà dictis. Ad exemplum quod ponit quòd monasterium comparatur posthumo, cui reseruantur redditus hæreditatis patris defuncti. Respondeo, quod comparatio nullo modo tenet. Probo; quia filio posthumo debentur redditus paterni de iure naturali, atque etiam diuino, cùm pater de iure naturali,ac diuino teneatur alimenta dare filio. At isti redditus testatoris non debentur isti monasterio de iure naturali, nec diuino,sed ex pura liberalitate testatoris, eos dantis illi monasterio: & sic est casus nimis diuersus. Secundò, quia hi redditus nondum sunt in possessione monasterij, sed sunt in manu hæredis, tanquam in manu depositarij,idque dependenter à voluntate Papæ potentis illos applicare

ad alium vſum magis pium. Et ſi Papa illos de facto applicauerit, talis applicatio erit ſicut mandatum, quo Papa præcipit hæredi vt tales redditus tradat pro expenſis hoſpitalis. Probatur hoc præſenti exemplo. Antequam prædictum hoſpitale haberet Bullam, quam habet, vt poſſit colligere pecunias aſſignatas pro eleemoſyna Miſſarum non dictarum in termino certo, ſicut ſuprà diximus habere hoſpitale, vt illas inſumat in curandis infirmis; ante, inquam, hanc Bullam multæ Eccleſiæ, & Monaſteria habebant ius ad has pecunias colligendas, eo quod tales Miſſæ ſibi eſſent relictæ, & ad illas habebant ius acquiſitum. Hoc tamen non obſtante, per eandem Bullam iubet Papa vt dictæ eleemoſynæ pecuniariæ talium Miſſarum tradantur ad expenſas dicti hoſpitalis, & non tradantur Eccleſiis, & Monaſteriis, quibus ſunt relictæ ex mandato teſtatorũ.

17 Ad vltimum argumentum dico, quod ex eo quod Papa hoc legatum mutet, in expenſas hoſpitalis, non datur occaſio fidelibus, vt nolint amplius relinquere legata pia in ſuis teſtamentis, timentes ne Papa poſtea illa commutet. Probatur per exemplum proximè adductum de Bulla conceſſa dicto hoſpitali, ad colligendas pecunias debitas pro Miſſis non dictis, ſicut colligit hoſpitale: eâ enim Bullâ non obſtante, quotidie fideles in ſuis teſtamentis iubent Miſſas perpetuas prò ſe dici. Probatur etiam alio exemplo iam ſuprà allato de priuilegio Sixti IV. conceſſo Minoribus, (quo gaudent omnes Mendicantes) per quod dictus Papa illis conceſſit vt poſſint legata ſibi relicta ad vnum vſum, conuertere ad alium vſum, modo in præcedentibus explicato. Et tamen per hanc conceſſionem non auertuntur ſæculares à relinquendis quotidie legatis piis dandis monaſteriis Minorum, & aliorũ Religioſorum.

Idque

Idque maximè cùm ſciant quod per talem mutationem legatorum ipſi non defraudantur ſuffragiis in purgatorio, cùm Papa illis applicet illud opus pium, in quod legatum ſuum commutat, quod opus aliquando eſt melius, quàm fuerat legatum ab illis relictum.

CASVS LIII.

De quodam delicto facto intra Eccleſiam.

QVidam vir intra Eccleſiam exiſtens feria quinta in Cœna Domini, dum Sacerdos actu miniſtraret fidelibus ſanctiſſimam Euchariſtiam, euaginauit gladium contra alium quendam, qui ſimul eduxit gladium de vagina, & factus eſt tumultus grandis in Eccleſia, cum alia circumſtantia nimis aggrauante. Non eſt tamen alicui inflictum vulnus, neque mors. Vnus tamen ex illis, qui gladium eduxerunt de vagina, confugit ad Eccleſiam, ſeu monaſterium. Quæſitum fuit primò quam pœnam incurrerit per eductionem gladij. Secundò, an ipſe gauderet immunitate Eccleſiæ, vt ab ipſa non poſſet extrahi per miniſtros iuſtitiæ?

1 Quod attinet ad primum, non inueni legem Eccleſiaſticam, quæ huic particulari delicto euaginandi gladium in Eccleſia non ſecutâ morte, vel vulnere, particularem pœnam imponat. Lex tamen Portugalliæ *lib.5. Ordin. tit.*40. ob ſolam eductionem gladij in Eccleſia, vel in proceſſione, in qua defertur ſacroſancta Euchariſtia, ponit pœnam exilij ad Braſilos in perpetuum, etiamſi nec vulneret, neque occidat.

2 Quod attinet ad ſecundum, eſt communis ſententia Doctorum, quod delinquens intra Eccleſiam non

gaudet immunitate Eccleſiæ. Habetur expreſsè in cap. vltimo, de immunitate Eccleſiæ. At ſi verba illius textus bene conſiderentur, ibi Papa ſolum priuat immunitate Eccleſiæ illos qui intra Eccleſiam mutilauerint, vel occiderint. Euaginare autem gladium ſolummodo, non eſt occidere vel mutilare: & ideo ex hoc capite non videtur iſte euaginator priuandus immunitate Eccleſiæ.

3 Dubitat ergo Suarez *tomo* 1. *de Relig. lib.3. de Reuerentiâ debita locis ſacris, cap.*11. *num.6.* an delinquentes in Eccleſia, & non mutilantes neque occidentes gaudeant illius immunitate. Et videtur quod debeant gaudere. Nam cùm lex illius capitis finalis ſit pœnalis, & non exprimat, neque arceat ab immunitate Eccleſiæ niſi ſolos mutilantes, vel occidentes intra illam, videtur reſtringenda ad hos ſolos, non verò ad alios in Eccleſia delinquentes, qui non mutilant, neque occidunt. Sed tamen Suarez *citato num. 6.* cum Syluestro, Panormitano, & Nauarro, tenet eâdem immunitate priuari omnes qui grauia delicta commiſerint intra Eccleſiam, etiamſi non occidant, neque mutilent, quam dicit eſſe opinionem communem Nauarrus *in ſumma, cap.*25. *num.*20. Probat illam Suarez ex ipſo textu citati capitis: nam in principio ſic inquit: *Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes*, &c. Quibus verbis Papa in communi comprehendit omnes exceſſus factos in Eccleſia: homicidium verò, & mutilationem, dicit Suarez poni exempli gratiâ.

4 Hoc non obſtante Bonacina *tomo.* 2. *diſput.*3. *circa primum Decalogi præceptum, quæſt.*7. *puncto* 6. §.2. *num.*11. cum Farinacio, & Peregrino, quos citat, defendit quod delinquens in Eccleſia ſi non occidat, vel mutilet,

gaudet immunitate illius. Probat præcipuè, quia in Bulla Gregorij XIV. edita in particulari circa immunitatem Ecclesiæ, solùm priuantur tali immunitate, occidentes aut mutilantes in illa: priuatio autem immunitatis non est extendenda ad casus non expressos in tali Bulla. Et ait Bonacina prædictam Bullam Gregorij XIV. circa immunitatem Ecclesiæ, fuisse editam conformiter ad citatum cap. vltimum, de immunitate Ecclesiæ, citato à Suarez. Ad fundamentum Suarez responderi potest, in citato capitulo non poni homicidium, & mutilationem solùm, vt exempla, sed vt totam materiam, de qua lex illa fertur, & ideo illa sola duo specificantur. Si enim ibi illa duo ponerentur solum vt exempla, adderet Papa post homicidium, & mutilationem, *& alia huiusmodi.* Quod tamen Papa non addidit, sed absolutè illa duo tantùm posuit. Et probari adhuc potest, quia si per illa, *suorum excessuum*, posita in illo capitulo, intelligerentur omnes alij excessus facti in Ecclesia, vt vult Pater Suarez, etiam fornicatio, vel furtum ordinarium paruum factum in Ecclesia priuaret immunitate, quod non videtur dicendum.

5 Ex sua illa opinione colligit Bonacina *citato §. aliquot corollaria*; primum est, quod percutiens gladio in Ecclesia, ita vt vulneret, & sanguis effluat, non priuatur immunitate Ecclesiæ, quia vulnerare solum, non est mutilare propriè, nec membrum aliquod abscindere. Colligit secundò, abscindentem digitum, etiamsi sit pollex, vel index, vel abscindentem auriculam exteriorem, non dici mutilatorem: quia hæc non sunt membra. Colligit tertiò, illum qui mutilauit in vna Ecclesia, & postea confugit ad aliam Ecclesiam, non esse tutum in secunda Ecclesia, sed ab illa

esse extrahendum, quia adhuc verum est hunc perpetrasse delictum in Ecclesia: pro quo citat septem Doctores. Colligit quartò, non priuari immunitate Ecclesiæ illum qui existens intra Ecclesiā hominem occidit existentem extra Ecclesiam, exploso videlicet archebusio. Nam hoc delictum in rigore non est factum in Ecclesia, sed extra Ecclesiam. Idem dicendum est de illo qui euaginauit gladium intra Ecclesiam, & exiens ab Ecclesia insecutus est aliquem, & illum occidit: talis enim non dicitur delictum fecisse in Ecclesia.

6 Adhuc potest circa hunc casum notari, quod si quis intra Ecclesiam mutilauerit, vel occiderit, sed id fecerit inuasus ab alio, qui volebat illum occidere, ipse ad sui defensionem naturalem mutilauit, vel occidit, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, credo quod iste non priuabitur immunitate Ecclesiæ. Probo, quia priuatio immunitatis Ecclesiæ est pœna, imò pœna grauissima, vt patet: pœna autem non debetur vbi non est culpa, iuxta illam regulam iuris, dicentem: *Rem quæ culpa caret, in damnum vocare non licet.* Et illam aliam, de reg. iuris in 6. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* At iste sic mutilans in Ecclesia non peccauit, cùm id fecerit inuasus, & aliter non posset suam vitam tueri: ergo non est puniendus pœnâ graui immunitatis Ecclesiæ. Et applicando hæc ad primam partem istius casus suprà positam de pœna positá à lege istius Regni de exilio perpetuo; dico quod si iste qui sic euaginauit gladium in Ecclesia, id fecit inuasus iniustè, & necessitate coactus, euadet pœnam illam exilij, quia cùm in eo non peccauerit, non potest puniri, iuxta duas regulas proximè traditas. Idem dico si gladium euaginauit ad defendendum innocentem intra Ecclesiam inuasum: & idem dico de euaginante gladium

gladium solum vt separaret ab inuicem duos rixantes ne se percuterent vel occiderent, talis enim separatio res licita, & sancta est, & proinde cùm in illa non sit peccatum, non est punienda pœna priuationis immunitatis Ecclesiæ, nec pœna legis Lusitanæ de perpetuo exilio ad Brasyllos.

CASVS LIV.

Quid debeat restituere homicida hæredibus defuncti?

CAsus iste quotidianus est, & non facilè resolutus in praxi, propter diuersas circumstantias concurrentes in homicidiis. Casus igitur sic figuratur. Petrus occidit, vel vulnerauit Franciscum iniustè; vnde contigit vt Franciscus, vel faceret expensas in curando vulnere, vel moreretur ex illo. Quæritur quid teneatur Petrus restituere Francisco curato à vulnere, vel hæredibus illius si ex vulnere mortuus est? & notanter posui in titulo, de homicida, qui occidit iniustè: nam si occidit iustè inuasorem, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, nihil debet hæredibus defuncti, quia non fuit causa iniusta damni. Imò potiùs teste Molina *tomo* 4. *disp*. 81. & Petro Nauar. *lib*. 2. *cap*. 3. *n*. 62. & aliis. hæredes occisi inuasoris tenentur restituere inuaso occidente iustè, expensas, quas fecit in lite. Et ego meis oculis vidi Olysippone virum, qui occidit inuasorem suum, prius ab inuasore fugiendo, & illum obtestando sæpius vt à se recederet, & cùm amplius fugere nõ posset, neque haberet quò fugeret, inuasorem occidit. Qui inuasus delatus ad iudicium sæculare, habuit aliqua

suffragia iudicum pro se dicentium,quod hæredes defuncti soluerent expensas litis occisori. Omisso ergo illo qui occidit sic iustè cum tali moderamine: quia casus quotidianus est, & variæ circumstantiæ in homicidio iniusto quotidie concurrunt, vt possim satisfacere dubiis frequentioribus, ponam hîc per summam principales conclusiones,quas ex præcipuis Doctoribus potui colligere.

1 Prima ergo sit: Prouocantes se ad pugnam, vel ad duellum, ad nullam tenentur restitutionem si se occidant. Ratio est,quia sic se prouocantes, censentur cedere iuri suo. Hæc est communis Doctorum, Molinæ *tom.4.de iustit.disput.*82. Lessij *lib.2.cap.9.dub.*21. Azor. *3.p.lib.5.cap.3.q.*7. & aliorum.

2 Conclusio secunda. Homicida,qui se defendendo occidit inuasorem, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, tenetur ad aliquam restitutionem, sed non ad integram. Quod teneatur ad aliquam restitutionem patet,quia fuit causa iniusta damni,cùm excesserit moderamen defensionis. Quod verò non teneatur ad integram restitutionem, probatur primò,quia,qui prior alium inuadit, videtur cedere iuri suo, & ex consequenti inuasus non tenetur ad restitutionem omnium damnorum. Secundò, quia difficillimum est,vt inuasus temperet dolorem, quin tantisper excedat moderamen: ergo æquitas videtur suadere vt non obligetur sic inuasus ad omnimodam restitutionem,sed standum tunc erit prudentis arbitrio,qui consideret qualitatem excessus in se defendendo. Videatur Azor 3.*p. cit.cap.*3.*q.*8. Lessius *cit. loco dubio* 2. Syluest. *verbo, Restitutio* 3.*q.*2. & alij.

3 Quæris: An inuasus qui occidit inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, si tamen ipse inuasus

prius

prius dedit causam inuasionis, v. g. quia prius contumeliam, vel conuitium dixit inuadenti; an in tali casu teneatur ad restitutionem? Respondetur, quod si seruauit moderamen inculpatæ tutelæ, non tenetur ad restitutionem. Ita sentit Petrus Nauar. *citato suprà loco*, & Molina *citata disp.* 81. Rodrig. 1. *p. sum. cap.* 136. *n.* 2. quidquid in contrarium dicat Nauar. *in sum. c.* 15. *n.* 7. & Bonacina *tom.* 2. *disp.* 2. *de Restit. in particulari, q. vlt. sect.* 2. *puncto* 1. *n.* 5. Idem sentit cum Petro de Nauarra non teneri scilicet ad restitutioné, quia qui afficit alium contumeliis, non amittit ius propriæ vitæ defendendæ: ergo iustè se potest defendere occidendo inuasorem cum moderamine, quem per contumelias prouocauit.

4 Tertia conclusio. Homicida qui propter suum delictum pœnâ mortis punitus est, non deobligatur à restitutione damni dati per suum homicidium, iuxta mox explicanda. Hæc est ferè communis recentiorum, pro qua Bonacina *loco citato*, citat Petr. Nauar. Lessium, Azor, Vasquez, Rabello, Molinam, Arragonium, & alios. Ratio est, quia ex iustitia commutatiua restituendum est id quod fuit ablatum: sed homicida per mortem illatam à Rege non restituit ablatum occiso, & hæredibus: ergo tenetur ad restitutionem damni, quod intulit occiso, & hæredibus, pro cuius confirmatione, seu declaratione, benè aduertit Bonacina *cit. n.* 14. quod homicida tenetur ad duplicem restitutionem faciendam: altera est quæ fit Reipublicæ, quæ passa est iniuriam: altera quæ fit hæredibus occisi pro damno illato. Per pœnam igitur mortis illatam à iustitia satisfit Reipublicæ, nó verò hæredibus occisi. Hinc licet aduertere quantam obligationem habeant confessarij, qui hos homicidas comitantur ad patibulum, admonendi illos vt iubeant restituere damna per suos

hæredes,

hæredes, si habent vnde restituant; vel saltem ab hæredibus occisi impetrent remissionem debiti.

5 Circa hanc verò remissionem debiti, noto sequentia in summa. Primò quod si læsus, vel hæredes remittant omne debitum, liberatur homicida, percussórque vulnerans ab omni restitutione, & in hoc non est dubium, quando hæredes remittunt. Neque item est dubium quando ipse occisus ante suam mortem dixit se remittere occisori omne debitum. Nam tunc hæredes non possunt aliquid exigere ab homicida. Nam hæredes habebant ius exigendi per viam occisi in cuiuś bona succedunt. Si ergo occisus ante mortem remittat omne debitum, iam hæredes non habent ius ad illud exigendum. Dixi, si occisus remittat omne debitum, quia, si ante mortem dixit se remittere delictum, seu iniuriam, tunc non videtur remittere damna illata, ad quæ hæredes ius habent.

6 Occidens, seu vulnerans alium per homicidium casuale, non est propriè homicida, nec proinde tenetur ad restitutionem: sic Doctores citati communiter. Ratio est, quia ille propriè dicitur homicida, qui committit homicidium voluntarium: & ex cõsequenti non inducit obligationem restituendi, cùm obligatio restituendi consurgat ex actione iniusta voluntaria. Ex hac conclusione colligit Bonacina *citata q. vlt. punct. 2. num. 4. & seqq.* aliqua corollaria scitu digna ad praxim confessorum. Primum est, illum qui alicui inflixit vulnus leue, non lethale, ex quo vulneratus obiit ex sola sua negligentia, ob malum regimen in cibis, *&c.* iste talis non tenetur restituere damna secuta ex morte, sed ad solas expensas vulneris illati obligatur. Probatur, quia tunc occisio respectu vulnerantis est casualis, nec reputatur voluntariè intenta. Præterea quia

illa

illa vulneratio non fuit causa mortis, sed malum regimen occisi, vel omissio adhibendi medicinas, vt suppono. Colligit secundò, illum, qui dans operam rei licitæ, vel illicitæ, fecit debitam diligentiam ne inde sequeretur homicidium, non teneri ad restitutionem: secus si quis accessit ad domum fœminæ coniugatæ, cum qua commisit adulterium factâ priùs diligentiâ de absentia mariti, cum certitudine morali quod non erat venturus: & postea venit, & adulterum cum vxore inueniens voluit occidere; si ipse adulter pro vitæ defensione maritum occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tenetur restituere, quia cùm in illa occisione non peccauerit, ad restitutionem nõ tenetur. Ita communiter Doctores, & patet ex supradictis. Sic Bonacina *cit. loco n.6.* addit cum Lessio hoc verum esse, etiamsi antequam accederet ad adulteram, suspicatus sit hæc incõmoda euentura: quamuis enim peccauerit peccato adulterij, non tamen est reus homicidij, cùm occiderit pro tuenda sua vita, quam aliter tueri non poterat. Qui casus in terminis mihi olim propositus est, in quodam viro satis nobili, qui accessit ad domum cuiusdam fœminæ non coniugatæ, cum qua habuit copulam carnalem, & statim intrauit domum quidam frater dictæ puellæ, qui euaginato gladio voluit virum nobilem occidere: qui ob vitæ defensionem occidit fratrem puellæ cum moderamine inculpatæ tutelæ: & proinde mansit liber à restitutione ex parte homicidij.

7 Occidens alium pro suarum rerum temporalium defensione, quas non potest aliter defendere nisi occidendo illum, qui vult illas iniustè eripere, non tenetur ad restitutionem si seruauit moderamen inculpatæ tutelæ. Ita Comitolus *lib.4. Respons. moralium quæst.*10. *n.*17. citans Antonin. Syluest. Caietan. Nauar. & alios

dicens

dicens esse opinionem communem. Probatur, quia tunc non committitur culpa. Nam bona ista temporalia sunt nobis necessaria ad vitam, imò, & ad virtutem, & proinde pro iusta illorum defensione possumus inuasorem occidere. Imò addit Comitolus *citato loco n.*18. quod licitè potest quis occidere seruato moderamine tutelæ illum qui iniustè inuadit suum amicum, consanguineum, vel affinem: & dicit esse opinionem communem: & proinde si talem licet impunè occidere, non dabitur obligatio restituendi, per supradicta.

8 Quid verò restituendum sit pro homicidio, res est difficilis in particulari. Dicam id in quo communiter Doctores consentiunt. Primò consentiunt maiori ex parte Doctores, pro vita ablata, vel cicatrice relicta ex vulnere, non deberi restitutionem: nam vita hominis non est pretio æstimabilis, vt constat *ex l.vlt. ff. de ijs qui effuderunt*. Ex cicatrice verò relicta nullum, vel tantillum damnum resultat. Si verò abscissa sit manus, vel pes hominis viuentis ex labore suo, tenebitur vulnerans ad restitutionem lucri cessantis pro arbitrio boni viri. Aduertit Bonacina hoc lucrum cessans non esse restituendum rigorosè, attendendo ad totum illud quod occisus, aut vulneratus posset cõsequi in vita, sed quantum valebat spes lucri in homine occiso, vel mutilato, nam lucrum erat in spe, lucrum verò in spe minus valet quàm lucrum in re. Sunt etiam detrahendæ expensæ, quas occisus fecisset in acquirendo lucro. Et quia hoc difficillimum est ad vnguem æstimare, cõsulit Molina *cit. lib. disp.* 83. vt compositio fiat inter hæredes occisi, & homicidam. Et quamuis in principio huius numeri dixerim pro vita hominis quatenus talis est, nihil esse restituendum, quia non est pretio æstimabilis, hoc non tollit quin debeatur eidem occiso restitutio

tutio lucri cessantis, propter lucrum quod lucraturus erat per operas suas, & actiones corporales modo proximè dicto ad arbitrium boni viri: circa hanc verò æstimationem lucri cessantis duo aduerto. Primò cum Bonacina *citato puncto 1. n. 9.* hanc spem lucri non esse æstimandam ex ætate sexaginta annorum ad quam aliquis peruenire potest: sed iuxta viri prudentis arbitrium, consideratis omnibus circumstantiis præsentis ætatis, sanitatis, & virium quibus vlterius putabatur vitam producturus. Vnde infert illum qui occidit sexagenarium, sed adhuc vigorosum, teneri ad restitutionem lucri cessantis pro arbitrio boni viri. Secundò aduerto Nauar. *in Sum. c. 15. n. 22.* asserere, quod pro lucro cessante hominis occisi in legibus ciuilibus taxantur quinquaginta aurei. Sed tamen, vt benè notat Rabello 1. *p. lib.* 3. *q.* 13. in hoc non potest assignari certa taxa; quia variæ sunt operariorum differentiæ, quoad ætatem, vires, officia, industriam, *&c.* & proinde securius est semper facere compositionem inter partes. Adhuc noto quod licet occisus sit vir nobilis, qui non laboret manibus suis, adhuc in hoc casu debetur restitutio lucri cessantis ratione officij, & industriæ quam habebat, ob quæ poterat in vita lucrari ad arbitrium boni viri.

9 Constat item apud omnes, quod occiso, vel vulnerato restituendæ sunt expensæ omnes quas fecerunt in curando morbo, seu vulnere, & de hoc nemo dubitat, quia tales expensæ sunt damnum emergens, vt patet; lædens verò aliquem tenetur ad restituendum non solùm lucrum cessans, sed etiam damnum emergens, vt Doctores communiter dicunt. Si verò quæras, an homicida restituere debeat occiso expensas factas in funere, & exequiis? Respondet Nauar. *citat. n. 22.* & Bona-

cina

cina *citat. loco n.*11. nihil teneri restituere propter expensas funeris. Nam si occisus obiisset morte naturali, easdem expensas facere debebant hæredes, & proinde ex hac parte nullum homicida damnum intulit. Excipit tamen ibi Bonacina cum Rodriguez & Filliucio, nisi occisio fieret extra patriam occisi, propter quod maiores expensas faceret, quàm si moreretur in patria: tunc enim restituendum est illud plus quod in patria non insumeret in funere.

10 Constat item apud omnes, quod si occisus alebat parentes, filios aut consanguineos, tenetur homicida ad arbitrium boni viri illis restituere damnum, quod illis intulit, verè enim, ac directè suo homicidio causa illis fuit talis damni. Ita Rabello *citat. loco quæst.* 14. *n.*10. citans Scotum, Gabrielem, Nauarrum. Addit ibi Rabello, quod esto de facto, proxime dicti non alerentur, siue essent parentes, siue filij, siue vxor, si egeant, aut petant, homicida ad eorum sustentationem obligandus erit, eo quod ex suo homicidio secutum sit, vt non sit à quo alimenta percipiant, neque possint exigere. Idem tenet Reginaldus *tomo* 1. *lib.*10. *c.*22. *sect.*1. *n.*314. dicens hoc locum habere circa consanguineos, seu hæredes necessarios, quos occisus tenebatur alere, & non poterat per testamentum excludere ab hæreditate, quales sunt parentes, filij, & vxor quam alere debebat ratione dotis acceptæ, & consumptæ. Non verò de hæredibus non necessariis, quos poterat per testamentum ab hæreditate excludere. Hos enim non tenebatur alere: & proinde damnum his illatum per homicidium non est restituendum. Et ad hanc restitutionem faciendam talibus hæredibus necessariò alitis ab homicida, tenentur hæredes homicidæ, quando ipse nõ sit viuus. Sicut enim hi hæredes succedunt in bona homicidæ; ita

ita etiam succedunt in onera illius, iuxta illam Regulam iuris in sexto: *Qui sentit commodum, sentire debet & onus*, & è contra: quod clariùs probat Reginaldus *citato cap. sect. 2. num.* 320. dicens, hoc colligi ex *cap. final. de sepulturis*. Addit tamen *citat. n.* 14. Quod si illi hæredes necessarij defuncti habent vnde sustententur, neque ab occiso sustentabantur, his non tenetur homicida restituere, qui illis damnum vllum non intulit.

11 Concludit Reginaldus *citato loco num.* 315. quod si occisus debeat aliqua debita alicui creditori, non tenetur homicida restituere illa debita creditori, pro quo citat Sotum, & Molinam; probat, quia creditor non habet ius in debitorem, nisi quantum extendunt se bona quæ actu habet, vel verosimiliter habiturus erat, quæ vtraque ad hæredes transeunt: illa quidem ratione hæreditatis aditæ; hæc verò restitutione per homicidam ei factâ, illorum quæ occisus lucraturus erat probabiliter. Vnde solutio debitorum ipsius incumbit hæredibus, non verò homicidæ, nisi ea intentione occidisset, vt debiti restitutionem impediret: tunc enim tanquam peccans contra iustitiam damnum secutum teneretur restituere.

12 Adhuc aduerto quod si filiusfamilias aliquem hominem occiderit, non tenetur pater talis filij restituere aliquid pro tali homicido, si pater ad illud non concurrit iubendo, vel consulendo. Nam pater non tenetur resarcire damna illata à filio, ad quæ damna pater non fuit cooperatus, vt tenet Iulius Clarus *in praxi criminali, q.* 86. *n.* 4. & Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 9. *dub.* 17. *n.* 121. & innuit Reginaldus *tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 19. *sect.* 2. *n.* 252. dum ait, filium percussorem Clerici non teneri adire Romam pro absolutione quærenda, si pa-

ter dissentiat. Si verò hic talis filius sub patria potestate existens habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, tenebitur pater pro filio homicida restituere ex dictis bonis, si illorum vsumfructum habet. Et hinc colligo quod si iste filiusfamilias homicida exierit à patria potestate per matrimonium contractum, vel emancipationem, tenebitur ad faciendam restitutionem præteriti homicidij, si habuerit vnde restituat: illa enim obligatio restituendi, est onus personale, quod transit cum persona, & adhuc talis obligatio non est extincta. Eo nempe modo, quo, si aliquis in graui paupertate existens furtum committat, & pro tunc non potest restituere, si tamen venerit ad pinguiorem fortunam, tenetur restituere, vt omnes fatentur.

CASVS LV.

De quodam patre cogente filiam ad ingressum Monasterij.

EXtat in Concilio Tridentino *sess.25.c.18. de Regularibus*, decretum ne aliquis sub pœna excommunicationis cogat aliquam mulierem inuitam intrare Religionem. Verba quibus Concilium id prohibet sunt hæc: ***Si quomodocunque coëgerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem***, &c.

1 Hoc posito, quidam pater habebat filiam iam nubilem sine matre, cui filiæ timebat periculum castitatis, vel matrimonium se inscio contrahendum; coëgit illam per metum cadentem in virum constantem, vt monasterium Monialium ingrederetur, non vt fieret

Nouitia,

Nouitia, vel Monialis, sed solùm educationis gratiâ, quoadvsque congruè matrimonio locari posset.

Dubitatum fuit, an talis incurrerit excommunicationem citatam à Concilio Tridentino? Et quidem quod incurrerit, nimis suadent priora verba citata à Tridentino, ibi: *Ad ingrediendum monasterium.* Tria enim ibi prohibet Concilium. Primum est coactio ad ingrediendum monasterium. Secundum, coactio ad suscipiendum habitum Religionis. Tertium ad emittendam professionem: quæ omnia sunt distincta valde inter se, & proinde prohibitio videtur æqualiter attingere omnia illa tria. Et mihi quidem est opinio valde probabilis, quod incurrerit, quam tenet Suarez *tomo de censuris, disp* 23. *sect.* 7. *n.* 9. & Filliucius *tract.* 14. *cap.* 6. *quæsito* 5. *num.* 89. Probat Suarez eo argumento proximè tacto, quod Tridentinum illa tria distincta dinumeret: & præterea quia Tridentinum in illo primo membro non dicit, ingredi Religionem, sed ingredi monasterium, qui ingressus est valde diuersus ab ingressu Religionis. Secundò probat ex illis verbis ibi positis à Tridentino: *Nisi in casibus à iure permissis, vel expressis.* Nam ait Suarez iura aliquando cogunt, vel permittunt, quod in pœnam, vel cautionem femina cogatur intrare monasterium: nunquam verò, aut rarò illam cogunt ad suscipiendum habitum, vel ad professionem, propter quæ vt dixi est hæc opinio valde probabilis, & securior, quàm opposita, quæ talis est.

2 Oppositam sententiam, quod scilicet iste pater solùm cogens filiam ad ingressum monasterij solius educationis gratiâ, non incurrat pœnas Tridentini, tenet Rodriguez *tom.* 2. *summæ, seu* 2. *p. cap.* 8. *num.* 9. & Sanchez approbat *lib.* 4. *Decalogi, cap.* 4. *num.* 12. citans

Rodrig. loco prædicto. Sequitur etiam Bonacina *tom.1. disp.2. de excommunicatione, q.6. puncto 2. num.6.* & quidem nec Rodriguez nec Sanchez citatis locis aliquam rationem efficacem adducunt pro sua opinione, quæ sit fortior quàm illæ quas pro se affert Suarez citatus, ipse tamen Suarez postea *tom.3. de Religione, lib.5. de ingressu Religionis, cap.2.* se declarans, vel retractans ponit hanc conclusionem. Pater potest cogere filium (idem dicet de filia) ante annos pubertatis vt ingrediatur monasterium, offerendo ibi illum in obsequium Dei: si verò filius iam sit extra pubertatem, id non potest facere pater. Hanc conclusionem probat ibi Suarez fusè, & clarè. Secunda pars conclusionis, quod scilicet non possit pater ad id cogere filium post annos pubertatis; probatur quia quoad hunc statum eligendum iam filius sui iuris effectus est in electione illorum, quæ spectant ad animam, & proinde ad hoc cogi non potest à patre: & in hoc sensu dicit loqui Tridentinum *citato cap.18.* Secundam partem conclusionis probat, quod scilicet pater ad talem ingressum possit cogere filium ante pubertatis annum, quia talis ingressus non est de se malus, sed vtilis animæ filij, & de quo possunt multa bona sperari. Et *citato libro, cap.1. num.12* expresè dicit, & absolutè, licitum esse parentibus offerre filios educandos Religioni, ita vt quantum in ipsis est, in ea perpetuò perseuerent, & ad hoc citat duo capita iuris canonici. Rationem assignat, quia pater habet ius ad dominium in filium suum: ergo potest de illo disponere in omnem vsum, qui iniustitiam, vel turpitudinem non contineat: ergo multo magis in eum vsum ad cultum Dei ordinatum. In vtroque autem capite resoluit filium sic oblatum monasterio à patre, ante puber

pubertatis annos non posse exire à monasterio : posse verò exire post annos pubertatis. Et hoc ipsum ego non viso Suarez tenui *tomo 2. dubiorum regularium, verbo, clausura Monialium, num.* 8. *&* 9. & cum Sanchez ibi citato.

3 Et vt dicam quod sentio, Suarez *in* 3. *tomo* non sibi contradicit circa illa quæ dixit in tomo de censuris loco citato: nam in 3. tomo quando dicit patrem posse cogere filium ad ingressum Religionis, vel monasterij, loquitur de filio ante annos pubertatis, etiam cum intentione vt faciat professionem, de quo casu hîc non quærimus. Et in tomo de censuris loquitur de puro ingressu monasterij, sine intentione vt fiat professus, idque de filio post annos pubertatis, & hoc dicit non licere: qui est casus, de quo agimus, in quo decidendo dico, quod opinio Suarez est securior, & consulenda in praxi, ob rationes, quas adducit. Et proinde iuxta illam, non posse patrem cogere filiam post annos duodecim ad ingressum monasterij etiam solius educationis gratiâ.

4 Quia tamen Rodriguez, Sanchez, & Bonacina sunt Doctores graues, imò & classici huius temporis, non condemnabo illum, qui illos secutus fuerit, & dixerit non incurrere censuram positam à Tridentino illum patrem, qui filiam duodecim annorum vsque ad vigesimum coëgerit ingredi monasteriũ solius educationis, vel securitatis gratiâ. Et licet Bonacina, & Rodriguez non adducant pro se rationes efficaces, vnam adduco quæ attingitur à Bonacina, quæ talis est: Finis legis attendendus est potiùs quàm verba legis, vt habetur expresse in regula vltima *de regul. iuris in* 6. At finis illius decreti Tridentini vetantis coactionem feminarũ ad ingressum monasterij, & habitus susceptio-

nem, est consulere libertati feminarum, illarúmque saluti spirituali, ne scilicet professæ coactæ totam vitam ducant tristes, & ferè cum occasione peccandi, & desperandi per impatientiam: ergo cùm iste finis cesset in coactione filiæ ingressæ monasterium solius educationis, & securitatis gratiâ, cùm non cogatur ad habitum suscipiendum, neque ad professionem emittendam, sed possit exire quoties voluerit; cessabit proinde in hoc casu dispositio Tridentini, & censura ab eo posita cùm cesset finis sui decreti.

5 Supposui adhuc in præcedentibus posse hodie feminam intrare monasterium solius educationis gratiâ, vt possit exire quando voluerit. Sed paucis abhinc annis, vel mensibus audiui, extare nouam prohibitionem Pontificiam, ne amplius feminæ recipiantur in Conuentibus Monialium solius educationis gratiâ. Si autem ista prohibitio facta est per Bullam Pontificiam, ego non vidi illam publicari in hoc regno. Si verò id prohibitum fuit per declarationem DD. Cardinalium, ego non illam vidi authenticam. Hoc vnum scio, quod Bonacina Doctor grauissimus, & Italus, qui suam summam prælo dedit anno 1632. qui debuit de hac re notitiam habere, *in suo 1. tomo tit. de clausura, q. 4. puncto 4. n. 15.* postquam dixit licitum esse puellarum ingressum in monasteria Monialium educationis gratiâ, & citat graues Doctores recentiores; transcribit ibi tenorem cuiusdam declarationis Cardinalium factam circa hanc materiam, quæ talis est: *Ex sacra congregatione Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, amplitudinis tuæ nomine quæsitum est, an puellæ in monasterijs Monialium educationis gratiâ manere possint: ij verò sic censuerunt ad te scribendum. Iam dudum ab eadem congregatione statutum esse nullo Concilij decreto prohiberi quomi-*

nus puellæ in monasteriis Monialium educentur, si tamen,&c. Et subdit statim dicta declaratio aliquas conditiones quæ ad hoc debent interuenire; quæ conditiones non militant contra hunc casum. Quamuis autem Rodriguez *citato c.8.summæ concl.9.*citet vnam Bullam Pij V. & alteram Sixti V.prohibentes ne in monasteriis Monialium sint aliquæ feminæ, nisi cum titulo Nouitiæ, & cum intentione profitendi, non citat vbi sint tales Bullæ, neque illas vidi, nec citantur à Bonacina. Et præterea ipse Rodriguez post summam scriptam *in 1.tomo qq. q.46. art.*10. citat vndecim vel potius septemdecim declarationes Cardinalium circa hanc educationem puellarum in monasteriis Monialium, & nulla ex illis nobis contradicit. Imò in declaratione 13. ibi posita sic habetur: *Mulier quæ venit in suspicionem adulterij apud maritum, & ob id timet ne ab eo sibi vis aliqua inferatur, permitti debet vt ingrediatur monasterium Monialium.* Qui casus maior est quàm noster: licet iste secundus casus, neque sit in vsu, neque consulendus.

6 Occasione verò præcipui casus hic tractati de patre cogente filiam ad ingressum monasteriorum causâ educationis, potest quæri quomodo & quando pater, aut quis alius incurrat excommunicationem à Tridentino positam propter coactionem factam feminis ad ingrediendum in monasterium Monialium; si cogant ad suscipiendum habitum, vel ad professionem emittendam; & quantus, & qualis metus ad hoc requiratur? Respondeo in summa ex Bonacina *tom. 1. tit. de excommunicat. in communi, disput.2. q.6. puncto 2.num.1. & seqq.* metum leuem, & vim modicam excusare cogentem à censuris quando per talem metum leuem cogunt feminas ingredi monasteria ad susceptionem

habitus, vel professionem emittendam. Probatur, quia cùm lex ista pœnalis sit, strictè intelligenda est tantum de illo metu, de quo ratio habetur in iure. In iure autem non habetur ratio metus leuis *l. nec timorem, ff. de eo quod metus causa.* Tum quia pœna constituta contra eos qui metum inferunt incurritur solùm ob illum metum, qui sufficit ad reuocanda illa, quæ per metum fiunt. De quo optimè Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.*4. *num.*4. & Suarez *de censuris disput.*23. *sect.*4. *n.*11. Metus verò qui sufficit ad reuocandum iam factum, non est metus leuis, sed grauis. Quis autem sit metus grauis, seu cadens in virum constantem, disputat doctè more suo Sanchez *lib.*4. *de matrimonio tota disput.*5. Hinc colligit Bonacina citato proximè loco, *num.* 4. illum qui precibus, etiam importunis cogit, seu suadet feminæ, vt ingrediatur monasterium ad nouitiatum, vel ad professionem, non incurrere illam censuram: quia preces, etiam importunæ, non sunt metus, nisi fortè concurrant minæ. Colligit secundò ibidem *num.* 5. dictam censuram Tridentini non incurri ab eo, qui fœminam cogit habitum Religionis assumere incusso metu priuationis alicuius boni, ad quod femina aliàs non habet ius; tunc enim dicitur vis, aut metus inferri: sed negari id quod est in libera potestate donantis concedere, vel negare. Quale etiam erit si pater dicat filiæ, se aliàs illam non esse melioraturum in ea parte bonorum, quæ potest dare, vel auferre. Ad hoc etiam videri possunt illa quæ dixi 1. *tomo dubiorum regularium, verbo* Moniales, *num.*8. *&* 9.

CASVS

CASVS LVI.

De electione cuiusdam Abbatis dubiâ ex parte eligentis Prælati.

IN quadam Religione virorum habente curam Monialium, datur statutum, disponens quod quando visitator accesserit ad visitandum aliquam prouinciam, antequam incipiat visitare, moneat Prouincialẽ illius Prouinciæ, & Prouincialis prædictus visitandus tradat visitatori sigillum paruum sui officij. Estque consuetudo Religionis, vt Prouincialis cesset à suo regimine per ingressum visitatoris in suam Prouinciam. Iste visitator ingressus Prouinciam statim monuit Prouincialem de suo aduentu, monẽs quod sibi statim mitteret sigillum paruum officij ad incipiendã visitationem: Prouincialis distulit mittere sigillum, & non obstante monitione visitatoris, iuit ad Conuentum quemdam Monialium in quo vacauerat Abbatissa, & factâ electione, confirmauit quamdã Abbatissam, quæ fuit electa Canonicè.

Quæsitum fuit an prædicta electio fuerit valida: an verò nulla, ex defectu iurisdictionis iam cessantis in Prouinciali. Et quod fuerit valida, videtur probari ex ipso statuto Ordinis dicente, quod visitator non poterit exercere suum officium nisi prius habuerit sigillum paruum Prouinciæ: hoc autem sigillum Prouincialis illi nondum tradiderat; ideóque cum nondum posset visitator eligere illam Abbatissam, potuit eam eligere Prouincialis habens adhuc illud sigillum, maximè ne conuentus Monialium tanto tempore careret Abbatissa.

Responsio.

1 Quo non obstante, respondeo dictam electionem fuisse nullam, ex defectu iurisdictionis quæ iam cessauerat in prouinciali, secundum praxim prouinciæ: cùm iam haberet mandatum visitatoris petentis sigillum paruum, & ex consequenti inhibentis prouincialem, ne vlteriùs in suo regimine externo procederet. Probo primò, nam iurisdictio siue ordinaria, siue delegata reuocatur, vel suspenditur per Epistolam, siue per Nuncium intimantem iudici ordinario, vel delegato talem reuocationem, vel suspensionem iurisdictionis, sic tenet, & probat Sanchez *lib.3.de Matrim.disp.30.n.12.* & 13. pro quo citat Boërium, Rebuffum, Cucum; idem tenet Bonacina *tomo 2.disp.1.quæst.3.puncto* 8.§.3. citans Azor, & alios. Et probant, quia iurisdictio inferioris pendet à superiore, & à lege reuocantibus. At in hoc casu visitator, qui per statutum est superior prouincialis, per litteras missas ad Prouincialem, & petitionem sigilli parui, virtualiter intimauit illi suspensionem iurisdictionis; ergo Prouincialis à tali iurisdictione suspensus non potuit vltrà eligere, & confirmare illam Abbatissam: electio enim, & confirmatio Abbatissæ est actus iurisdictionis. Secundò non obstat, quod Prouincialis quando elegit Abbatissam habebat adhuc sigillum paruum, illúdque nondum habebat visitator. Nam adhuc id sigillum in manu prouincialis illi non conferebat iurisdictionem ad electionem, iam enim illud retinebat cum culpa propria nolens illud mittere ad visitatorem, qui illud petebat iuxta statutum: nemo autem ex sua culpa debet commodum reportare, vt dicitur *in cap.* Ad nostrum, *de empt. & vendit. & cap.* Tuæ, *de cleric. non residentibus,*

& est communis Iuristarum, teste Sanchez *lib. 2. de Matrim.disput.22.n.6.* & proinde culpa, seu mora Prouincialis in non mittendo sigillo ad visitatorem, non potuit patrocinari Prouinciali, neque illi dare iurisdictionem ad celebrandam interim electioně Abbatissæ.
2 Tertiò, si Prouincialis potuisset retinere sigillum, illud non remittendo ad visitatorem petentem, & interim facere quod liberet: sequeretur potuisse, vel posse Prouincialem retinere dictum sigillum per vnũ mensem non tradendo illud visitatori ingresso prouinciam, & exercere suum officium Prouincialis in præiudicium iurisdictionis visitatoris, & in retardationem visitationis, quæ omnia sunt absurda, & incõuenientia: absurdis autem obuiandum est, vt dicitur *cap.* Cùm inter priorem, *de exception.& cap.* Dudum, *de prabend.in 6.* Quartò idem probatur, quia quando alicui iudici delegato committitur iurisdictio ad aliquod negotium, talis iudex acquirit possessioně talis iurisdictionis vbi primum citationem partis fecit: sic decernit capitulum *Gratum*, de offic.delegati, vbi agens de iurisdictione commissa alicui iudici delegato, qui partem iam citauerat, ponit hæc verba: *Cum citatione factâ negotium sit, quasi cœptum.* Circa quod multa dicit Sanchez *lib.8.de Matrim.disp.28.n.10. vsque ad* 13. Sic etiam in hoc casu visitator est iudex delegatus, & in virtute suæ commissionis misit statim Epistolam ad Prouincialem monens illum de sua commissione ad visitandam prouinciam, quod in substantia fuit citare Prouincialem vt desisteret ab officio: per quam citationem visitator acquisiuit possessionem sui officij, & sic acquisitâ possessione sui officij, non poterat Prouincialis exercere actum externum suæ iurisdictionis, qualis est electio, & confirmatio Abbatissæ. Confirmantur hæc ex eo quod tradit

tradit Bonacina *tomo 2.disp.1.de legib.q.3. puncto* 8.§.1. *n.*22. vbi ait, quod in negotiis in quibus non requiritur citatio contentiosa, res censetur non integra, sed iam cœpta, quando Commissarius iam incepit primum actum respondentem citationi. Et in hoc casu missio illa epistolæ ad Prouincialẽ fuit actus primus respondens citationi. Neque obstat, quod Prouincialis nondum miserat visitatori sigillum paruum: hoc enim non erat impedimentum, quia visitator posset post missam epistolam exercere suum officium: aliàs si prouincialis sigillum non mitteret intra duos menses, non posset suum officium exercere. Vltimò probatur hoc ex praxi prouinciæ, & Ordinis istius, in quo vbi primùm visitator accedit ad aliquã Prouinciam visitandã, Prouincialis dictæ Prouinciæ personaliter adit visitatorem, & cessat à suo officio, sciens quia ipso facto cessat sua iurisdictio quoad forũ externum contentiosum.

3 Ad argumentum factum in principio? Respondetur nihil obstare quod visitator nondum haberet sigillum paruum, quod illi dari iubet statutum generale: licet enim illud non haberet, non poterat Prouincialis suum officium exercere, cùm iam per epistolam visitatoris acceptam sua iurisdictio esset suspensa, vt probatum est suprà, maximè argumento primo, & quarto? Respondetur secundò, quod non habere adhuc visitatorem dictum sigillum paruum, non fuit culpa visitatoris, sed ipsius Prouincialis nolentis mittere. Et ideo retinente Prouinciali dictum sigillum suâ culpâ, talis culpa non debet illi suffragari, vt dictum est in præcedentibus. Addo quod facta post iurisdictionem suspensam sunt nulla, vt inter alios probat Camillus Borrellus *tomo* 1. *suarum Decisionum, tit.*41.*n.*286. citans alios: iam verò ostẽdimus iurisdictionem Prouincialis mansisse

fisse suspensam. Quod verò attinet ad inconueniens tactum in primo argumento, quod scilicet esset damnum illius Conuentus Monialium si diutiùs careret Abbatissâ? Respondetur primò, quod talis vacatura non prorogabat iurisdictionem Prouincialis iam suspensam? Respondetur secundò, quod visitator breui tempore posset illum defectum supplere, vel accedendo personaliter ad dictam electionem faciendam: vel committendo alicui Religioso graui vt eandem electionem celebraret.

CASVS LVII.

De dispensatione in quodam statuto Prouinciali.

IN Prouincia cuiusdam Religionis extabat quoddam statutũ Prouinciale factum in capitulo per totam Prouinciam: quidam Prouincialis in certa occasione dispensauit in illo statuto, non habens specialem commissionem à capitulo prouinciali, vt posset in illo dispensare. Quæsitum est an prædicta dispensatio valida fuerit?

1 Primò, respondeo non posse Prouincialem dispensare in statuto prouinciali suæ Prouinciæ. Probatio istius conclusionis habetur clarè ex simili exemplo, quod posui, & probaui in meo *tomo* 1. *Dubiorum regularium*, verbo *Generalis*, *num*. 4. vbi probaui cum Miranda, & Corduba, Generalem Ordinis Minorum non posse dispensare in statuto generali totius Ordinis, nisi seruatâ formâ assignatâ ab eodem statuto generali, & quod dispensatio facta tali formâ non seruatâ

erit

erit nulla. Fundamentum meum ibi fuit, quia Generalis Ordinis est subditus, & inferior Capitulo generali: nam in c.8. nostræ regulæ dicit Pater noster Franciscus, quod Capitulum generale possit priuare officio Generalem, si inueniatur quod non sit idoneus ad officium. Si ergo Generalis est subditus Capituli generalis, nec potest dispensare in vno statuto generali, nisi speciali commissione sibi factâ à capitulo generali, & seruatâ formâ præscriptâ ab eodem Capitulo generali: eâdem ratione, vel potius maiori, Prouincialis erit subditus Capituli prouincialis, nec poterit dispensare in aliquo statuto prouinciali suæ prouinciæ, nisi sibi sit ab eodem Capitulo prouinciali specialis facultas concessa ad dispensandum: est enim communissimum dictum Iuristarũ, quod *vbi est eadem ratio, est etiam eadem iuris dispositio.* Est autem eadem ratio Generalis ad Capitulum generale, & Prouincialis ad Capitulum prouinciale. Secundò probatur hoc ex eo quod citato loco attuli ex Suarez *tomo de legib. lib. 6. cap.* 15. *num.* 7. vbi probat quod Archiepiscopus ligatur legibus Concilij prouincialis, & proinde in illis non posse dispensare nisi à prædicto Concilio prouinciali sibi specialiter fuerit commissum, & proinde dictum Concilium prouinciale est supra Archiepiscopum. quod optimè probat Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*17.*num.*36. citans Nauarrum dicentem posse Archiepiscopum excommunicari à Synodo, vel Concilio prouinciali. Et confirmatur, quod sit minor facultas prouincialis, quàm Capituli prouincialis: nam Capitulum prouinciale potest facere statutum, seu legem, quæ duret in perpetuum: Prouincialis verò non potest condere statutum, sed solum mandatum, quod duret tantùm suo triennio. Denique vt hoc semel, & clariùs innotescat in

re

re quotidiana, tum de Generalis, tum de Prouincialis potestate ad dispensandum in statuto generali, vel prouinciali, videatur frater Petrus Toscinianus *in sua historia Franciscana, lib.2. folio* 130. *pag.*2. vbi refert quamdam Bullam Gregorij XI. in qua Papa agens de iurisdictione Cardinalis protectoris supra Ordinem Minorum: cui Cardinali Pater noster Franciscus in regula dat tantam iurisdictionem, vt dicat, quod sit gubernator, corrector, & protector istius Religionis. Nihilominus Papa in illa Bulla ait, quod Cardinalis protector, *de cætero non præsumat quæcumque ordinata, statuta, siue disposita, ac ordinanda, & statuenda per generalia, & prouincialia, & custodialia capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, aut dispensare super ipsa*, &c. Si igitur Papa decernit, quod nec Cardinalis protector Ordinis, cui regula dat tantam iurisdictionē supra ipsam Religionem, possit dispensare in vno statuto Capituli Custodialis: clarum est, quod non poterit Prouincialis dispensare in statuto prouinciali eiusdem prouinciæ. Solus ergo Papa est supra Concilium generale Ecclesiæ ob rationem, quam Doctores Theologi assignant, præcipuè in materia de fide: cæteri verò Prælati sunt infra Capitulum generale suæ Religionis: & Prouinciales infra capitulum prouinciale suæ prouinciæ.

CASVS LVIII.

An possit Prælatus punire certum delictum secretum subditi.

QVidam Prælatus regularis, vel localis, vel prouincialis ex vi statuti illius Ordinis, associatus duobus

duobus Religiosis grauibus vsitans cubicula, seu cellas Religiosorum, in cella cuiusdam Religiosi inuenit litteras amoritias cuiusdam feminæ ad illum, & alias illius ad feminam. Inuenit præterea sclopum quemdam paruum, vulgo *pistolete*, quod genus armorum grauissimè punitur per leges istius Regni. Quæsitum fuit, an talis Prælatus potuerit illa delicta occulta in publico punire? Et videtur quod potuerit illa punire: nam in *cap. Ecce* 24. *q.* 3. dicitur, quod crimina vndecunque claruerint, punienda sunt. Hæc autem delicta iam claruerunt coram Prælato, & duobus testibus grauibus associantibus Prælatum: ergo poterunt puniri. Secundò, quia Christus Dominus in Euangelio dixit, *In ore duorum vel trium stare omne verbum.* Hoc autem delictum iam stat in ore trium. Et denique, quia finis illius statuti præcipientis vt cellæ fratrum singulis annis visitentur à Prælato, videtur esse, vt Prælati sic visitantes cubicula possint emendare, & corrigere id quod viderint esse necessarium ad bonum commune, & ad bonum particulare cuiusque Religiosi. Et videtur omnino hoc probari ex *cap.* 1. *de accusat. inquisit. in* 6. vbi Papa dicit posse puniri illum qui coram iudice confessus est delictum, quamuis alleget quod de tali delicto non erat diffamatus, vel quod sibi non fuerunt exhibita capitula inquisitionis. Et ad hoc ibi glossa verbo, *Confessus*, citat capitulum *Ecce* 24. *q.* 3. & alios textus. In hoc autem casu, illa inuentio litterarum, & armorum prohibitorum est in substantia confessio facta coram iudice, cùm reus illa negare non possit, neque tergiuersari: ergo poterit puniri.

1 Nihilominus tenendum est tanquam certissimum non potuisse, nec posse Prælatum hæc delicta sic occulta punire, saltem publicè. Probatur primò ex cap.

Qualiter,

Qualiter,& quando il 1.de accusat.in fine, vbi Papa dicit, quod pro reformãda Ecclesia exhibeatur iuramentum, & testes iurent quæ sciunt,vel credunt,& addit:*Exceptis occultis criminibus*.At hæc delicta sunt occulta:ergo non potest Prælatus illa punire. Valet consequentia; quia si testis sub iuramento rogatus non potest reuelare iudici delictum occultum;nec iudex poterit punire publicè delictum quod est occultum. Idem habetur *in cap.qualiter,& quando,eodem titulo de accusat*.vbi Papa assignans ordinẽ seruandum à Prælatis in inquisitione, & punitione delictorum, ponit hæc verba:*Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus,vt iam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit*,&c. Vide qualem infamiam,& clamorem requirat Papa ad hoc vt Prælatus possit de aliquo crimine inquirere, & punire. At iste Religiosus de quo agimus non est infamatus, vt suppono;ergo Prælatus non poterit illum publicè punire.Idem habetur,& clariùs *in cap.de accusat*.quod incipit , *Inquisitionis negotium* in §. vbi ponit hæc verba:*Ad hæc respondemus,nullum esse pro crimine super quo aliqua non laborat infamia,seu clamorosa insinuatio non præcesserit propter huiusmodi puniendum:quinimo super hoc depositiones contra ipsum recipi non debere.* Quo nihil clarius dici potuit. Et ibi glossa littera *B*, *C*, *D*, citat multos alios textus & proinde necesse non est aliquas rationes afferre, vel Doctores citare. Solùm aduerto prudenter nostram Religionem Minorum in statuto generali *c.6.de correct.delinquentium*,sic statuisse:Si quis fuerit conuictus de aliquo crimine per duos vel tres, vel quatuor testes;si tamen est omnino occultum inter cæteros Religiosos,tunc non publicè puniendus est.Et quamuis ibi statutum dicat quod talis reus secretò coram testibus puniendus est:hoc ego intelligo esse acci-

piendum prudenter, & cum limitatione. Prima est, quod non debet puniri secretò corã illis testibus, qui in processu testes non fuerunt, neque de delicto aliquid sciunt: quia hoc iam esset reum infamare coram illis de delicto nihil scientibus, quod non videtur esse licitum. Secũdò dici potest quod illa punitio secreta debet fieri coram testibus, videlicet illis testibus, qui sciunt de delicto, & in processu testes fuerunt. Sed tamen etiam in hoc datur inconueniens: nam exinde poterit reus concipere odium perpetuum eo quod cont^ra se fuerint testificati. Sed tamen dicendum est posse licitè hanc punitionem fieri coram aliis testibus qui non tulerunt testimoniũ in processu, neque de delicto sciebant. Nam Christus D. *Matth.* 18. agens de correctione fraterna, dixit, vt primo corriperetur delinquens secretò inter ipsum delinquentem, & ipsum corripientem. Si verò delinquens non acquiesceret, adhiberẽtur vnus, vel duo testes, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Et tamen illi duo testes denuò adhibendi, videtur quod deberent ignorare delictum. Neque in hoc læditur fama delinquentis iniustè, cùm hoc ordinetur ad bonum spirituale ipsius. Imò etiam ordinatur ad bonum temporale ipsius, quia sic correctus, & emendatus, non perseuerabit in peccato, vt veniat ad talẽ statum vt possit puniri publicè cum iactura honoris. In hac tamen punitione secreta coram testibus curandum omnino, & cauendum est, vt punitio sit talis, & tali modo inflicta, vt non veniat in cognitionem aliorum; tunc enim publicaretur crimen secretum, quod est contra mentem textuum suprà citatorum.

2 Ab hac tamen regula non puniendi publicè delictum secretum, excipitur quando delictum est atrox, & contra communitatem, qualis est hæresis, & crimen nefandum;

fandum;tunc enim etiam non præcedente infamiâ,potest de illo inquiri,& poterit puniri publicè si probetur.Ita Suarez *tom.4.de Religione,lib.10.cap.12.n.4.& 5.* & constat ex praxi rectissimi Tribunalis sanctæ Inquisitionis, in quo quotidie puniuntur delictum hæresis, & sodomiæ in publico non præcedente infamiâ publicâ,eo quod sint clarè contra bonum commune Reipublicæ,probat Suarez *n.5.citato.* Nam in hoc casu non interuenit solum punitio criminis occulti,sed etiam ac præcipuè defensio boni communis,quod bonum commune præponderat famæ delinquentis. Hanc eandem regulam extendit ibi Suarez ad sacrilegium fornicationis in persona Religiosa. Item extendit ad peccata quæ vergunt in aliquod graue damnum alicuius innocentis, cui aliâ viâ subueniri non potest : tunc enim etiam defensio innocentis præferenda est famæ hominis iniqui.Et hoc maximè locum habebit quando fuerit facta machinatio contra Prælatum. Denique addit Suarez idem dicendum esse quotiescunque sufficiens ratio intercedit ad contemnendam famam proximi propter aliud maius bonum, quod sæpe licere dicit constare ex D. Thoma 2. 2. *quæst.73. art.2.* & ex communi Doctorum sentẽtia.Et ex consequenti,vt ibidem ait Suarez *num.4.* in huiusmodi dilictis vergentibus contra bonum commune, si correctio fraterna non creditur profutura,tenetur testis aperire personas particulares : quia eadem ratio quæ probat posse iudicem in hoc casu inquirere, & punire,etiam non præcedente infamiâ,probat etiam in teste,quod interrogatus teneatur reuelare personam occultam si non sit spes emendæ, & instet periculum Reipublicæ.

3 Ad argumenta posita in principio quatenus videntur obstare doctrinæ traditæ,respondetur ; primò quidem,

dem, quoad caput *Ecce* 24. *q*. 3. dicens, *crimina vndecunque claruerint, punienda ſunt*, eſſe regulandum,& explicandum per alios textus citatos *num*. 1. qui dicunt non eſſe inquirendum, neque puniendum crimen occultum:nam,vt aiunt Iuriſtæ,*iura iuribus debent concordare*. Si ergo crimina claruerunt, ita vt ſint facta publica, ac de illis extet infamia, debent puniri. Si verò claruerint ex probatione ſecreta apud ſolum iudicem, & de crimine non ſit infamia, non debent puniri publicè iuxta tres textus citatos *num*. 1. niſi fortè ſit crimen contra communitatem, vt dictum eſt *num*.2. Delictum verò iſtius Religioſi, de quo agimus, non erat delictum contra communitatem. Ad ſecundum,dicendum,dictum illud Chriſti D.*in ore duorum,vel trium ſtare omne verbum*, veriſſimum eſſe,quod duo teſtes plenè probent quodcunque delictum: non tamen docuit ibi Chriſtus D.quod quoties delictum probaretur duobus teſtibus,poſſet puniri in publico, ſi delictum eſſet occultum,& non diffamatum. Nam Eccleſia in illis textibus declarauit,quod licet delictum poſſet probari in ſecreto, non tamen poſſit inquiri, nec puniri, ſi reus nō fuiſſet diffamatus,vt patet ex dictis *n*.2.Ad tertium dico,finem illius ſtatuti iubentis viſitari cubicula Religioſorum eſſe vt ſuperflua auferantur à Religioſis quoadvſum ſuperfluum, imò etiam vt corrigantur;ſed tamen vt corrigantur ſeruato ordine iuris, ne ſcilicet puniatur publicè delictum occultum, iuxta tot textus citatos *num*. 2.

4 Ad capitulum primum *de accuſat.in* 6.Dico primò, Papam non ibi dicere poſſe inquiri, vel puniri reum non diffamatum, ſed ſolum retuliſſe Papam id quod reus allegabat,dicens, ſe non eſſe diffamatum: in quo dicto reus mentiebatur:nam oportuit vt eſſet diffamatus.

tus.Ibi enim dicitur quod iudex antea cœperat inquirere in particulari de certis criminibus rei. At iudex non potuit nec debuit facere inquisitionem de certis criminibus, nisi talia crimina essent diffamata, iuxta textus *n*.2. citatos: mentitus ergo videtur ibi reus, dicens,se non fuisse diffamatum. Respondetur secundò, confessionem illam rei corã iudice in cap.citato fuisse sufficientem ad reum condemnandum:confessio enim facta iuridicè corã iudice sufficit ad condemnationem, vt omnes fatentur. In hoc autem nostro casu per litteras amatorias,& sclopum repertum in cubiculo istius Religiosi, non dicitur confiteri Religiosus talia delicta:adhuc enim poterit se aliquo modo defendere, dicendo quod sclopus ille non erat suus, sed cuiusdam amici sæcularis, qui illum deposuerat apud Religiosum, ne sæcularis cum sclopo inueniretur à Ministro iustitiæ sæcularis. Quod verò attinet ad litteras amatorias,posset qualemcunque aliam excusationem dare, vt quod littera epistolarum non esset sua,sed quod tales epistolæ essent sibi falsò adscriptæ ab aliquo inimico, & sic de cæteris. Itaque reus iste per hæc prohibita in suo cubiculo reperta, non censetur facere confessionem sui delicti, quod tamen verè, & in substantia erat occultum, & ob culpam Prælati factum est publicum.

CASVS LIX.

De restitutione cuiusdam vsuræ.

QVidam homo viuens ex mercatura,& habens pecuniam destinatam ad solam negotiationẽ, tem-

pore proximo ante messem, dedit agricolis pecunias sub titulo emptionis tritici futuri, sed tamen in tali emptione interuenit clara vsura ob conditiones positas, quas omitto. Quæsiuit à me an teneretur restituere, & quid deberet restituere. Et punctũ dubitationis fuit, vtrùm hic homo ex restitutione facienda posset detrahere, & sibi retinere portionem illam lucri cessantis, quod lucrum sibi cessauit ex eo quod pecuniam suam dedit agricolis, & cum illa pecunia posset interim lucrari, in alio contractu licito. Et videtur quod posset sibi retinere partem dicti lucri cessantis, ex eo quod omnes Doctores fatentur, posse mercatorem quando mutuat pecuniam, quam habebat destinatam ad negotiationem deducere in pactum, quod vltra capitale soluendum sit sibi lucrum illud cessans ex mutuatione talis pecuniæ: eadem enim ratio videtur currere in hoc nostro casu.

1 Hunc casum in terminis apud aliquem Doctorem non inueni. Lessius tamen *lib. 2. de mutuo, c. 20. dub. 12.* ponit hũc casum ferè similem: quærit enim ibi, vtrùm qui bona fide fecit contractum vsurarium, vel aliàs iniquum, quem si talem sciuisset, fecisset alium iustum, possit ratione lucri cessantis veritate compertâ tantum retinere, quantum contractu illo iusto lucraturus fuisset? Et quidem Lessius primò citat aliquos Doctores, quos non nominat, qui dicunt posse tunc hunc dantem pecunias retinere sibi illam partem pecuniæ respondentem lucro sibi cessanti ex tali donatione pecuniæ; & affert tres rationes, quas illi Doctores pro se afferunt, licèt ille illis absolutè non assentiat: quamuis in fine *num. 109.* idem Lessius resoluere videatur, quod iste taliter contrahens, implicitè videtur intendere iustum titulum, qui cupit iusto modo lucrari, & non aliter.

ter. Et proinde videtur Lessius aliqua ex parte inclinare in sententiam illorum quos suppresso nomine citat:qui dicunt posse tunc retineri illud lucrum cessans.

2 At Bonacina *tomo 2.tit.de contractibus, disput.3.q.3. puncto 15.n.9.* sequens Molinam ibi citatum, & Lessium loco proximè citato,asserit tale lucrum non posse retineri, nisi contrahentes expressissent velle se obligare omni meliori modo, quo possent. Rationem assignat Bonacina, quia acquisita contractu iniusto, & inualido,non possunt possideri ab aliquo : quæ autem accepta sunt in proposito casu,dicuntur acquisita contractu iniusto, & vsurario, cùm ille qui tradidit non liberè tradiderit, neque iusto titulo : ergo huiusmodi accepta non possunt retineri, nisi contrahentes expresserint velle se contrahere, vel obligare omni meliore modo quo possent.

3 Ex dictis ab his duobus tam grauibus Doctoribus huius temporis,ad casum propositum in principio, respondeo primò, quod si iste qui dedit pecuniam colonis ante messem habuit malã fidem,nullo modo potest sibi retinere illam partem lucri quod sibi cessauit.Probatur primò, quia Lessius, & Bonacina loquuntur expresè de illo,qui id fecit bonâ fide,& adhuc de illo id negant,multo magis negaturi de illo,qui id fecit malâ fide.Quod adhuc potest confirmari,quia fraus & dolus nemini debent patrocinari,nec debet aliquis ex peccato suo commodum reportare,cap.*Audiuimus*,de collusione detegenda : vbi glossa in ver. *spoliare*, citat alios textus,maximè *l.1.ff. de dolo*, vbi dicitur quod malitia alicuius non debet illi esse lucrosa, *& l.3.§.2.ff. de don. inter virum, & vxorem*, vbi dicitur, quod ex eo quod quis deliquit, non debet esse melioris conditionis.

4 Etiam dico secundò, quod licet iste sic daps pecu-

niam agricolis habuerit bonam fidem, cùm tamen contractus à parte rei fuerit clarè vsurarius, vt supponitur, & dicitur in informatione, etiam si habuerit bonam fidem, postea compertâ veritate non potest sibi retinere illam partem lucri cessantis. Hæc est opinio Lessij, & Bonacinæ citatis locis, ambo enim in hoc concordant. Lessius illā probat duobus exemplis. Primum est. Nam qui emit rem minus iusto, & cum bona fide, postea tamen intellectâ veritate tenetur complere pretium, nec potest confugere ad alium contractum, quem cum alio iniuisset, & quo plus lucratus fuisset, quia venditor non consensit in illum alium titulum: non enim mens illius fuit rem suam vendere minoris iusto propter interesse emptoris. Secundum exemplum est: Siquis bona fide vendidit rem supra iustum, postea compertâ veritate tenetur restituere excessum; nec potest confugere ad lucrū cessans. Quia emptor non consentit in illum titulum: non enim intendit compensare interesse venditoris, sed tantùm emere rem illam iusto pretio. Eodem modo in nostro casu, agricolæ illi, quibus hic mercator dedit pecunias anticipatas, non intenderunt vendere triticum suum nisi iusto pretio, & non intenderunt compensare interesse mercatoris. Et è contrà iuxta primum exemplum Lessij, si iste mercator emit triticum ab agricolis minus iusto, postea compertâ veritate tenetur id resarcire, neque potest confugere ad alium contractum quem cum alio posset facere: maximè cùm non fecerit cum agricolis pactum de lucro cessante. Ratio autem Bonacinæ suprà tacta, quod scilicet acquisita ex contractu vsurario, & iniusto, non possunt retinere, ampliatur ab eodem Bonacina *eadem q.3. puncto* 14. *n.1.* vbi dicit cum multis citatis, quod vsurarius nunquam acquirit dominiū eorum, quæ per

vsuras

vsuras accepit. Vt ibi probat tum ex iure ciuili, tum quia is qui patitur vsuram,& soluit aliquid sub vsura, nonintendit tradere aliquid vsurario vltra sortem capitalis, vel iusti pretij:& proinde vsurarius tenetur restituere id quod accepit vltra sortem, seu vltra iustum pretium.

5 Ad argumentum oppositũ in principio,siue exemplum de mercatore mutuante pecuniam, quam habebat paratam ad negotiationem, dicendum est esse casum nimis diuersum ab isto nostro. Nam ibi mercator mutuans illam pecuniam,prius facit pactum cum mutuatario de sibi soluendo lucro cessante,in quo mutuatarius consentit. Et in nostro casu iste dans pecunias illis agricolis,non fecit pactum de lucro cessante, sed absolutè fecit contractum vsurarium emens triticum minoris iusto ratione anticipatæ solutionis. Et retorquendo exemplum adductum de mercatore mutuante, dico, quod si ille mercator ex pecunia parata ad negotiationem mutuaret, non faciens pactum cum mutuatario de soluendo lucro cessante, sed nihil declarans, pecuniam dedit mutuo, non tenebitur mutuatarius postea soluere mercatori lucrum quod illi cessarit: quia mutuatarius non intendit se obligare ad illud lucrum cessans non declaratum à mercatore, sed credidit se gratis mutuo accipere. Eodem modo licet mercator in nostro casu emeret triticum ab agricolis de pecunia parata ad negotiationem, non ideo potest retinere lucrum cessans ex tali pecunia, quia de eo pactum non fecit cum illis: neque illi intenderunt se obligare ad soluendum tale lucrum cessans.

CASVS LX.

De reſtitutione cuiuſdam, qui iurauit falſum in iudicio, & alios ad id induxit.

QVidam homo querelam fecit coram iudice, & ſub iuramento coram illo dixit quod Petrus furatus ſibi fuerat quemdam equum: & hic idem induxit, ſeu ſuaſit aliis duobus hominibus vt ferrent teſtimonium coram iudice, quod ille Petrus furatus fuerat rem aliam ſimilem notabilem, propter quod Petrus carceri publico traditus eſt. Sed declaratur quod nullus ex his tribus ſciebat certò quod Petrus talia furta commiſiſſet, ſed ſolum de illo habebāt indicia aliqua. At omnes in ſuo teſtimonio affirmatiuè dixerunt ſe ſcire quod Petrus tale furtum commiſerit; & is qui induxit illos, dixit in iuramento ſe certò id ſcire.

Iſte qui induxit duos ad iurandum falsò, poſitus in morbo periculoſo quæſiuit quid ſibi faciendum eſſet ad animæ ſalutem?

1 Et quidem ante omnia dubitari poteſt, an hoc iuramentum fuerit iuramentum falſum: videtur enim quod non fuerit falſum, ſequentibus exemplis. Primò, quia iudicans aliquod malum de proximo, ſi habet indicia ad ſic iudicandum, non dicitur habere iudicium temerarium, vt omnes Doctores fatentur, quia habet fundamentum ad ſic iudicandum: ergo cùm iſti habuerint indicia, quod Petrus tale furtum committeret, non ſunt dicendi quod iurauerint temerariè, & falsò. Secundò, quando aliqua opinio habet pro ſe rationes probabiles, talis opinio non dicitur falſa abſolutè,

solutè, sed potest teneri, vt omnes Doctores concedunt: ergo à simili, cùm hi iurantes habuerint pro se indicia ad sic iurandum, non est dicendum quod falsò iurauerint, habuerunt enim pro se indicia, quæ indicia sunt sicut rationes probabiles ad firmandam, & sequendam suam opinionem.

2 Hoc non obstante dico prædictos iurantes iurasse falsò: cùm enim dixerint in iuramento se certò scire Petrum commisisse furtum, quod certò non sciebant, sed per indicia, mentiti sunt, dicentes esse certum quod non erat certum: nam cognitum per sola indicia non dicitur certum, sed probabile. Dicentes ergo esse certum, id quod erat incertum, iam dixerunt mendacium, & proinde iurarunt mendacium, & ex consequenti iurarunt falsum. Hæc doctrina, seu illatio traditur expressè à Sanchez *lib. 3. Decalogi, cap. 4. n. 8.* vbi agens de iuramento falso, ponit verba sequentia: *Idem dicendum est, si quis rem sibi dubiam, vt certam iuret, quod periculo periurij exponatur, imò re vera falsum iurat: quia mentitur, asserens tanquam rem certam, de qua est dubius. Secus si rem illam asserat tanquam dubiam, vt dicendo, Suspicor ita esse.* Sic optimè Sanchez citato loco ad nostrum intentum. Ad exempla de iudicio temerario, & de opinione probabili, dicendum est non esse similia, vel saltem non probare contra nos. Nam iudicans de proximo per indicia probabilia non dicit mendacium, neque affirmat certo rem aliquam dubiam, sed credit probabiliter rem sic se habere. Si enim ita certò crederet malum de proximo, vt affirmaret sub iuramento rem ita se habere, iam falsò iuraret, quia affirmaret rem esse certam, quæ est incerta. At in casu nostro iste iurans in iudicio propter indicia affirmauit vt rem certam, illam quæ à parte rei erat incerta.

incerta. Eodem modo respondetur ad exemplum de opinione probabili. Nam sequens opinionem probabilem non iurat, neque iurare potest opinionem, quam sequitur esse certam: eo enim ipso quod opinio est, iurari non potest quod sit certa. At homo de quo loquimur suam opinionem, seu potius credulitatem iurauit absolutè esse certam, & proinde iurauit mendacium.

3 Supposito ergo quod isti iurauerint falsò, & reus contra quem iurarunt est incarceratus cum periculo vitæ, & honoris: quæritur ad quid teneantur isti sic falsò iurantes, qui illum reum in tale periculum suo iuramento coniecerunt? Ad hoc respondeo per sequentes conclusiones collectas ex Sayro *in Claui Regia lib.*12. *cap.*19. *num.* 8. & Reginaldo *tomo* 2. *lib.*24. *num.*163.& Bonacina *tomo* 2.*tit.de* 8. *Decalogi præcepto, disput.*10.*q.*3. *puncto* 3. *num.*15. qui sunt ex grauioribus Doctoribus huius temporis.

4 *Prima conclusio.* Si isti sic iurantes credunt ad arbitrium viri prudentis quod retractando suum testimonium coram iudice, nihil proficiet sua retractatio, quia iudex eo non obstante in causa procedet ob probationes iam receptas, in tali casu non tenentur coram iudice dictum retractare. Probant illi tres Doctores, quia nemo tenetur ad actum frustraneum, vt omnes Theologi, ac Iuristæ fatentur. Talis autem retractatio est futura frustranea, vt supponimus: ergo ad illam non obligantur. Ad hoc autem consulendi sunt Doctores iuris ciuilis, & Aduocati periti, qui dicant, an retractatio testimonij sit profutura. Si enim dicant non profuturam, quiescere possunt iuxta hanc conclusionem. Si dicant profuturam, tenentur ad faciendum id quod mox dico in sequentibus.

5 *Secunda conclusio.* Si iste, qui sic iurauit falsò, & induxit ad iurandum falsum, credit suam retractationem apud iudicem profuturam, ne reus condemnetur, tenetur dictum suum retractare: semper enim sub peccato mortali tenetur periculo in quod reum sua culpa coniecit, obuiare. Sic tenent citati tres Doctores cum aliis quos illi citant. Sed aduertunt, quod vt iste sic obligatus possit vitare periculum mortis sibi inferendæ à iudice propter testimonium falsum, quod confitetur coram iudice, poterit iste talis ponere se in loco tuto, verbi gratia, in monasterio, vel extra Regnum: & inde in scriptis mittere iudici retractationem iuramenti falsi taliter quod fidem faciat in iudicio, & sic satisfaciet suæ obligationi. Et quod hoc facere teneatur, constat, quia semper tenetur facere restitutionem eo modo quo potest.

6 *Tertia conclusio.* Si iste qui sic falsò iurauit, & induxit ad iurandum, credit suam retractationem profuturam, & se non potest ponere in loco tuto, neque extra Regnum, tenetur se præsentare iudici & coram illo suum testimoniũ retractare, etiamsi sciat se esse carcerandum cum periculo propriæ vitæ. Hæc asseritur à tribus citatis Doctoribus, & est communis aliorum, maximè Caietani, Soti, Nauarri, & Petri de Nauarra, Cordub. Aragon, Ludouici Lopez, Toledo, & Rodrig. qui citantur ab illis tribus Authoribus. Si verò aliquis contra hanc communem opinionem obiiciat, illud commune dictum Doctorum, videlicet quod ego magis teneor defendere vitam meam propriam, quàm vitam alterius: & sic iste sciens se ob suam retractationem esse morte plectendũ, poterit potius vitæ propriæ consulere omittendo retractationem, quàm illam facere pro conseruanda vita Rei: si, inquam, sic obiicias.

cias. Respondet Reginaldus loco citato,& alij,dictum illud commune Doctorum intelligendum esse,cæteris paribus, & quando vterque est in gradu æquali innocentiæ, tunc enim plus debeo mihi, quàm alteri succurrere. At quando vnus est innocens,& alter nocens, succurrendum est prius vitæ innocentis, & omittenda est vita nocentis. In hoc verò nostro casu ille, qui iurauit falsò,est nocens,vt clarè patet;& carceratus,contra quem iurauit, est innocens,vt suppono;ac proinde succurrendum est potius vitæ carcerati innocentis, quam vitæ falsò iurantis,& nocentis. Aliud exemplum ponit Reginaldus citato loco, in aggressore,qui inuadit innocentem,vt illum occidat: in quo casu qui iniustè inuaditur, potest occidere aggressorem;non verò è contra, sed tenetur desistere ab aggressione. Et ego persistens in eodem exemplo aggressoris,addo quod si quis in tali rixa de foris accurrat ad separandos rixantes,& non possit illos separare,plus debet iuuare innocentem inuasum, quàm nocentem inuadentem: quod clarè,& efficaciter applicari potest ad casum præsenté.

7 Contra hanc tamen veram doctrinam poterit aliquis adducere hæc tria exempla ad illius impugnationem. Primum sit. Is,qui commisit crimen dignũ morte, vt hæresis, sodomiæ, & similium, non tenetur se ipsum accusare,nec de se ipso denũciare coram iudice, vel Inquisitoribus cum periculo vitæ,vel famæ,vt omnes Doctores dicunt, quia nemo tenetur esse executor contra se ipsum. Secundum exemplum sit:Is qui commisit delictum graue propter quod bona illius per leges ciuiles,& canonicas sunt adiudicata fisco,nõ tenetur sua bona per se ipsum deferre fisco,antequam iudex per sententiam particularẽ talia bona auferat ab eo,vt communis tenet opinio,idque ob eandem causam pro-

ximè

ximè allatam. Tertium exemplum esse potest in materia denunciationis : Iubet iudex Ecclesiasticus pœnâ excommunicationis,quod sciens de tali crimine vadat denunciare intra certum terminum : si ego scio de tali crimine,& nihilominus timeo moraliter quod ex tali mea denunciatione incurram periculum vitæ,vel alterius similis, non teneor denunciare cum tanto periculo:quod videtur posse ad casum nostrum applicari, vt dicamus non teneri hunc se retractare cum tanto periculo. Addi potest & hoc exemplũ quod videtur vrgere. Nam in materia de restitutione , dicunt communiter Doctores , quod nemo tenetur restituere alienum cum periculo vitæ , & honoris:at in hoc casu, si iste iurans falsò restituat per retractationem,incurrit clarum periculum vitæ & honoris:ergo non tenetur se retractare.

8 His non obstantibus,ad primum exemplum dico, esse casum dissimilem:non enim datur præceptum naturale, quod obliget me, vt me accusem, cum periculo vitæ meæ , & ideo non teneor me ipsum accusare , vel præsentare iudici sub peccato mortali.At in nostro casu datur præceptum naturale,& diuinum non lædendi proximũ,& reddendum illum illæsum à malo pendenti,cuius ego causa fui. Et ideo in hoc teneor me præsentare,non verò in illo.Ad secundum exemplum dico, quod bona damnãda ad fiscum non debentur fisco nisi post sententiam declaratoriam criminis , & ideo ante sententiã non obligatur delinquens ea deferre fisco. At delinquẽs,de quo agimus,ex præcepto naturali diuino tenetur statim restituere huic reo damnũ iam illatum, & proximè inferendum. Quod verò non possit nisi cum tanto suo periculo id facere, sibi imputet,qui suâ culpâ reum in tantum periculum coniecit.Ad tertium exemplum dico, casum esse dissimilem:nam in denun-

ciatione

ciatione facienda cum periculo vitæ, concurrunt duo præcepta, vnũ positiuum Ecclesiæ iubentis denunciare: aliud naturale de vita propria, seu honore tuendo: & tunc præualet præceptum naturale de vita conseruanda, propter quod præceptum fortius, omittitur præceptum positiuum Ecclesiæ iubentis denunciare, quod est præceptum minus. In nostro verò casu non concurrit aliquod præceptum positiuum, sed præceptum naturale non lædendi, ac restituẽdi, & succurrendi innocenti: & hinc patet solutio ad quartum exemplum, dicens, non teneri aliquem restituere alienũ cum periculo vitæ propriæ. Respondetur enim primò id intelligi de re, quæ iam est ablata: sed de re auferenda in posterum, teneor potius subire mortem, & infamiam, quam rem suam à proximo auferre. At in hoc casu adhuc de futuro pendet vita, & fama proximi, quam auferã nisi faciam retractationem, & proinde teneor illam facere. Respondetur secundò ex supradictis, quod licet præceptum naturale conseruandæ vitæ videatur me excusare à restitutione quam facere non possum sine tali periculo: at in nostro casu concurrunt duo præcepta naturalia, vnum seruandæ vitæ istius rei, qui est innocens; aliud seruandæ vitæ iurantis falsò qui est nocens: & præceptum primum seruandi vitam innocentis, est fortius, & præualere debet huic præcepto secundo minori de tuenda vita nocentis.

9 *Quarta conclusio.* Iste sic iurans, & inducens alios ad iurandum falsò, tenetur sub peccato mortale admonere illos, quos induxit ad sic iurandum vt retractent suum testimonium coram iudice, seruatis regulis suprà positis. Hanc tenet expresſè Sayro *citato loco n.9.* & ratio est clara, nam cùm iste sic inducẽs causa fuerit vt illi illud damnum reo inferrent, tenetur tale damnum impedire dum

dum potest: at potest sic monendo: ergo ad hoc tenetur. Et addit Sayro, quod si isti sic inducti ad iurandum noluerint se retractare, tenetur ille qui induxit illos manifestare iudici, etiam cum mortis periculo. Dato verò quod nullus retractet suum testimonium, & reus condemnatus sit, omnes restituere tenentur in solidum, iuxta communem Doctorum sententiam.

10 Quæres vltimò: quid si isti sic iurantes habuerunt indicia vehementia de tali furto, quæ indicia facerent violentam præsumptionem: & illi persuasi ex tali vehementi, & violenta præsumptione se certò scire Petrum commisisse furtum, & sic iurantes crederent se non iurare falsum? Respondeo tunc illos non teneri vel ad retractationem, vel ad restitutionem. Nam qui aliquid scit ex violenta præsumptione, poterit iurare se id certò scire. Probo hoc, quia etiam in criminalibus potest iudex ferre sententiam condemnatoriam, præcedente solâ violentâ præsumptione, vt Doctores, & praxis obseruat, & clarè colligitur ex cap. *Afferto gladium*, cum rubrica ibidem de præsumptione. At iudex non potest ferre sententiam, nisi super re certa; & hoc verius erit, si cum ista violenta præsumptione iuncta fuit bona fides ipsius iurantis. Et hoc colligitur ex Reginaldo citato loco *num.* 169. & Sayro *num.* 11. Si verò indicia quæ isti habuerunt de furto fuerunt leuia, & ordinaria, habent locum omnia à nobis supradicta.

***

CASVS LXI.

De acceptione duorum officiorum incompatibilium.

QVidam Religiosus grauis in quadam Prouincia in Portugallia existens Diffinitor Prouinciæ, electus est in Prælatum generalem illius Religionis existentis in India: ad quam Indiam erat nauigaturus in proximo mense Martio sequenti. Acceptauit officium Prælati in Indiam, & virtute illius acceptationis exercuit aliquos actus iurisdictionis pertinentes ad illud officium. Et quando acceptauit prælaturam Indiæ protestatus est, quod si naues Indiæ illo anno non irent, vel post egressum à portu redirent, ille suum officium Diffinitoris in Prouincia non renunciabat, neque illud debebat deponere. Casu contigit, quod naues in illo anno in Indiam non irent.

Quæsitum est, an iste Religiosus in Regno manens per annum sequentem fungi posset officio Diffinitoris in Prouincia, retẽtâ prælaturâ Indiæ. An verò officium Diffinitoris vacauerit ipso facto vbi primùm acceptauit prælaturam Indiæ, quæ videtur incompatiibilis cum tali officio Diffinitoris? Et ante omnia suppono quod in ista Religione datur statutum generale decernens, quod nullus Religiosus possit esse simul Prælatus localis, vt Prior, vel Guardianus, & simul Diffinitor.

1 Quod ergo prædictus pater per acceptionem prælaturæ Indiæ, non amiserit officium Diffinitoris, sed quod potuerit dictum officium Diffinitoris exercere tempore toto quo mansit in Regno ante exitum nauium ad Indiã: videtur probari primò: Quia iste quando

do acceptauit prælaturam Indiæ,protestatus est se non depositurum officium Diffinitoris donec naues cum effectu nauigarent non reuersuræ. At protestatio conseruat ius protestantis, vt habetur *in l.si debitor,* §.1.*ff. quibus modis pignus, vel hypotheca solu.* Secundò, quia si contractui apponitur conditio licita, & conditio non ponitur in actu,talis cōtractus non obligat,sed rescinditur,vt praxis obseruat,& tradunt communiter Theologi, & Iuristæ. At quando iste Religiosus acceptauit prælaturam Indiæ apposuit conditionem,si naues exirent:& hæc conditio non est sortita effectū, quia naues non exierunt: ergo non amisit officium Diffinitoris. Tertiò, quia licet per adeptionem secundi beneficij amittatur primum beneficium *cap.de multa,de præbend. & dignit.*hoc intelligitur quando de secundo beneficio habetur pacifica possessio,vt Doctores explicant ad citatum capitulū.Secundò intelligitur quando primum, & secundum habent annexam curam animarum, vt clarè dicitur *in cit. cap.de multa:*at iste Religiosus nondum habebat pacificam possessionem prælaturæ in India cum naues non exierint:& præterea officium Diffinitoris non habet curam animarum, vt patet, sed respondet beneficio simplici. At beneficiū primum,si est simplex,non amittitur per adeptionem secundi beneficij curati, vt tenet expresse Panormit.*in cit.cap.de multa:*ergo officium Diffinitoris respōdens beneficio simplici,non vacauit in hoc Religioso per adeptionem secundi officij curati in India.

2 Hoc non obstante, ego censeo oppositum, vacasse scilicet officium Diffinitoris in hoc Religioso vbi primùm acceptauit prælaturā Indiæ, & exercuit aliquem actum iurisdictionis circa prælaturam Indiæ. Moueor præcipuè ex statuto generali citato istius Religionis,

quod circa Diffinitores sic decernit; quando aliquis existens Prælatus localis promouẽdus, & subrogandus est in locum alicuius Diffinitoris defuncti, dicens quod subrogetur in locum Diffinitoris defuncti Guardianus Conuẽtus principalioris Prouinciæ:& ponit statutum hæc verba: *Subrogetur, dummodo Guardianatu se abdicet.* Si ergo statutum non permittit vt aliquis sit Diffinitor simul, & Guardianus in eadem Prouincia, quomodo permittet vt sit Diffinitor in Portugallia, & Prælatus generalis in India? Et non video quomodo ad hoc argumentum possit responderi saltem in ista Religione, in qua datur tale statutum. Secundò hoc etiam potest probari ex Concil. Trident. *sess.7.c.4.de reform.* vbi ponuntur hæc verba: *Quicumque de cætero plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficijs ipsis ipso iure priuatus existat.* Vbi noto, non loqui Concilium tantum de beneficiis duobus curatis, sed etiam de non curatis, si aliàs sunt incompatibilia, vt patet clarè ex verbis Concilij, vbi post illa verba, *Plura beneficia curata*, addit: *Aut aliàs incompatibilia.* At hæc duo officia Diffinitoris in Portugallia, & Prælati generalis in India, sunt clarè incompatibilia, cùm vnum requirat residentiã in Portugallia, aliud requirat residentiam in India, ergo sunt incompatibilia. Hoc modo explicat Azor *tom.2.lib.6. c.10.* §. *Ea igitur*, quomodo intelligatur duo beneficia esse incompatibilia: & dicit esse illa, quæ requirunt vt beneficiati ratione sui oneris, & muneris in suis Ecclesiis resideant: pro quo citat textus, & ponit exempla. Idem probatur ex *cap.* Gratia, *de Rescript. in* 6. vbi loquens Papa de impetrante duo beneficia, sic ait: *Vtrumque tamen (si talia sunt beneficia, quæ de iure nequeunt teneri) habere non potes, sed eligas ex eis, quod malueris retinere.*

nere. Si verò quæras, quando intelligendum sit vacare primum beneficium? Respondet Azor *citat. lib.6.c.*13. §.*Si quæras ex Concilio Trident.sess.*14.*c.*17.quod vbi primum impetratur secundum beneficium,amittitur primum. Tertiò probatur ex eo quod tradit Nauar. *cons.* 34.*de præbend.primæ impressionis*, vbi refert DD. Cardinales mensæ Concilij Tridentini, Romæ declarasse, quod beneficiũ simplex vacat per adeptionem Ecclesiæ Parochialis,& possessionem illius pacificam.Quartò probatur ex inconuenienti quod sequeretur dato opposito:si enim dicas,quod hoc officium Diffinitoris non vacat nisi postquam hic Religiosus pacificè in India suum officium possideat,vel quoad vsque cõstet naues egressas à portu non posse retrogradi; cùm hoc non possit constare nisi tempore longissimo, vt patet; inde sequeretur quod toto hoc tempore Prouincia posset,ac deberet carere Diffinitore,cuius officium per te non vacat, neque potest aliquis illi Diffinitori subrogari, cum per te non vacet, nec sit ab officio amotus, quod tamen est magnum inconueniens.

3 Contra hanc tamen resolutionem obiicitur efficaciter,quod Concil.Trident.*citato loco sess.*7.*c.*4.expresse prohibet quod non habeãtur, seu impetrentur duo beneficia Ecclesiastica simul: at officium Prælati regularis ordinarij non est beneficiũ Ecclesiasticum,vt suprà iam patuit in alio casu istius libri.Cùm de ratione beneficij Ecclesiastici sit,vt sit perpetuum; & quod recipiat certos fructus ad sui sustentationem propter suum officium:quæ duo non cõpetunt Prælato regulari,siue Prouinciali, siue locali: cum ergo prælatura regularis non sit beneficium Ecclesiasticum, & multo minus sit beneficium Ecclesiasticum officium Diffinitoris,sequitur quod Concilium Tridentinum de illis non loqui-

tur, cùm solum loquatur clarè de duobus beneficiis Ecclesiasticis, qualia non sunt prælatura regularis, & Diffinitor, vt diximus. Et eodem modo videntur alij textus suprà citati vetantes retineri duo beneficia Ecclesiastica, quod scilicet intelligēdi sunt solùm de duobus beneficiis Ecclesiasticis, quæ sunt verè beneficia Ecclesiastica: non verò sit extendenda hæc prohibitio ad officia regularium quæ non sunt beneficia Ecclesiastica: iuxta *regulam iuris in 6.* dicentem quod odia, id est, pœnæ, sunt restringenda.

4 Ad istius obiectionis responsionem præmitto, rem esse certissimā in iure, quod *vbi est eadem ratio, est etiam eadem iuris dispositio*, & quod de similibus seu æquipollentibus idem est iudicium. Habetur expressè cap. *inter catera, de rescript. in fine*, vbi Papa postquam respondit ad aliquas interrogationes in materia odiosa, & pœnali, ponit hæc verba: *Et idem in similibus obseruandum est.* Ad quæ verba glossa dicit: *Nota quod de similibus simile debet esse iudicium.* Idem habetur in cap. *Dudum. de elect. il 2. post medium cum gloss. ibidem, verbo, Idem de personatibus.* Et c. 2. *de translat. Episcop.* vbi glossa citat alium textum. At eadē est omnino ratio, vt non debeant retineri duo beneficia curata, atque vt non debeant retineri duo officia non curata sed incompatibilia: ergo neque hæc possunt licitè simul retineri. Probo minorem ex illis quæ doctè tradit Reginaldus *tom. 2. lib. 3. n. 276.* cū aliis, videlicet, quod ex pluralitate beneficiorum resultant hęc inconuenientia. Primò, quod alij benemeriti relinquantur absque beneficio, & vnus habeat plura beneficia. Secundò resultat quod habenti plura beneficia datur occasio ambitionis, & auaritiæ. Tertiò datur occasio & scandali, & indignationis in aliis qui relinquuntur. Et hæ tres causæ etiam reperiūtur, & mouent

in beneficiis,& officiis non curatis, vt constat:ergo & de illis idem erit iudicium atque de curatis.Nam iuxta l.*vlt.Cod.ad legem Falcid.*similis æquitatis ratio similia iura suadere videtur.Idem habetur eodem cap.*Dudum, il 2.de electione*,vbi Papa in textu,licet dicat quod officium personatus non est beneficium curatum:declarat tamen, quod illud quod ibi decernit de beneficiis curatis,etiam intelligitur in personatibus. Et hinc patet responsio ad obiectionem,ductam ex Tridentino: dicendum est enim quod licet Concilium loquatur solum de beneficiis Ecclesiasticis, illa tamen dispositio debet extendi etiam ad officia Ecclesiastica, in quibus reperitur eadem omnino ratio.

5 Neque item obstat,quod aliqui dixerunt,videlicet officium Diffinitoris in vna Prouincia nõ esse incompatibile, sed compatibile cum officio Prælati generalis Indiæ.Dant duo exempla.Primum:quia potest vnus Religiosus Diffinitor in vna Prouincia eligi Visitator, & Cõmissarius in alia Prouincia. Secundum,quia potest Diffinitor vnius Prouinciæ eligi in Cõmissarium pro capitulo generali,& ire Romam ad capitulum generale,& sic erit simul Diffinitor,& Cõmissarius. Non obstant exempla. Non primum, quia Diffinitor vnius Prouinciæ vadens visitare,parum temporis insumit,& finitâ visitatione statim redit ad Prouinciam:Prælatus verò iste Indiæ nec per quinque annos redire poterit. Idem dici potest ad secundum exemplum de Diffinitore, qui vadit ad capitulum generale loco Prouincialis, iste enim redit statim,nec potest facere tantam absentiam,quantam facere debet Prælatus Indiæ. Et hæc conclusio magis clara, & confirmata manebit ex solutione argumentorum, quæ adducta sunt in oppositum.

Solutio argumentorum.

6 Ad primum argumentum pro parte contraria adductum, respondeo, quod licet hic Religiosus quando acceptauit prælaturam Indiæ, fecerit illam protestationem dictam in argumento, talis protestatio illi non suffragatur ad hoc, vt non amiserit officium Diffinitoris: fuit enim protestatio contra legem canonicam disponentẽ quod impetrato secundo beneficio vacet primum; & quod duo officia incompatibilia simul, non retineãtur, quas leges suprà citauimus. At nemo potest protestari contra legem: sicut nemo potest appellare à lege, vt dicitur in cap. *Quia nos, de appellat.* Sic etiam protestari contra legem non licet: id enim esset impedire legem quin operetur suum effectum, quod inferior facere non potest. Et hoc adeò verũ, quod neque potest quis protestari contra consecutiuum legis. Sit exemplum: Ordinatur quis ad Ordines sacros: iste per consequentiam legis manet obligatus ad seruandam continentiam, etiamsi in receptione Ordinum, non admoneatur de continentia: si quis ergo Ordines sacros recipiens protestetur se nolle seruare continentiam, nunquid talis protestatio liberabit illum à seruanda continentia? Minimè profectò, quia protestatus est contra legẽ Ecclesiæ, & voluit quod lex Ecclesiæ non operetur suum effectum. Hoc exemplum in simili materia ponit Mascardus *tom. 3. de probat. concl.* 1243. *num.* 7. *&* 8. citans alios Doctores. Respondeo secundò ad idem primum argumentũ cum Mascardo *citatâ concl. n.* 4. vbi ait, quod protestatio nihil operatur, si ab illa receditur per actũ contrarium, quia facta derogant verbis: pro quo citat plures textus, & Doctores. At istè Religiosus postquam fecit dictam protestationem, fecit actum contrarium,

per

per quem recessit à dicta protestatione: actus verò contrarius fuit incipere exercere officium prælaturæ Indiæ per aliquos actus iurisdictionis, quod est officium contrarium, & incompatibile cum officio Diffinitoris, vt suprà ostendimus: & proinde per talem exercitationem officij recessit à protestatione prius facta.

7 Ad secundum argumentum dico, non valere exemplum adductum de conditione apposita in contractu: nam Prælatus generalis Ordinis, qui istũ Patrem creauit Prælatum generalem Indiæ, nullum cum ipso fecit contractum, sed absolutè illum elegit in Prælatum Indiæ sine vlla conditione appositâ. Secundò respondetur, quod licet acceptans prælaturam Indiæ exprimeret illam conditionem, de qua loquimur: adhuc illi non suffragaretur, quia apposuit conditionem contra legem Ecclesiæ prohibentis retineri duo beneficia incompatibilia: sed conditio posita contra legem nihil valet, quia talem conditionem apponens in substantia vult vt lex suum effectum non operetur. Quod idem constat ex illis quæ Doctores tradunt in materia de matrim. dum agunt de conditionibus appositis contra substantiam & leges matrimonij.

8 Ad tertium argumentum quoad primam partem, dico hunc Religiosum iam acquisiuisse possessionem pacificam suæ prælaturæ Indiæ; iam enim exercuerat in Portugallia actus pertinentes ad suam iurisdictionem, vt dare licentias in Ordine ad Indiæ nauigationem, dare absolutiones, & similia. Possessio autem officij acquiritur per vnum tantum actum iurisdictionis factum ab illo, qui habet officium, vt probat Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 28. à n. 8.* vbi probat cum multis, & grauibus Doctoribus, quod si Princeps, vel superior committit alicui aliquam iurisdictionem ad aliquod

 nego

negotium;is cui committitur iurisdictio,per solam citationem partis coram se, acquirit possessionem dicti officij:iam enim res non est integra, sed iurisdictio est perpetua. Imò addit Sanchez *n.*10.quod ad hanc iurisdictionem pacificè acquirendam sufficiet quod iste delegatus mandatum dederit, quod aliquis citaretur coram se,etiamsi citatio non fuisset intimata homini citato. Probatur hoc insuper ex eo quod tradit Mascardus *tom.*1.*de probat.concl.*83.*num.*35.vbi ait,quod vacat primum beneficium ex eo, quod Papa Romæ pro collatione secundi beneficij, dixit, *Fiat*: idque antequam Bulla conficiatur pro secundo beneficio:pro quo citat duos textus iuris canonici,& quatuor Doctores graues. At iste Religiosus acceptauit litteras suæ cōmissionis, & virtute illarum exercuit actus iurisdictionis. Ad secundam partem dicti tertij argumenti, in qua dicitur non vacare primum beneficium per acceptationem secundi beneficij, quando primum est beneficium simplex,secundum verò est curatum & quod officium Diffinitoris est beneficium simplex, & ideo non vacauit. Dico primò quod officium Diffinitoris non est purè beneficium simplex. Nam beneficium simplex nullam habet annexam iurisdictionem, vt patet. At officium Diffinitoris habet annexam aliquam iurisdictionem: fert enim sententias in rebus grauibus,etiam criminalibus, & ciuilibus in diffinitorio, ad quod requiritur iurisdictio. Secundò dico,quod licet officium Diffinitoris neque esset quidem beneficium simplex,cùm tamen requirat specialem residentiam in sua Prouincia, & incompatibilem cum residentia Indiæ,hoc sufficiebat ad vacaturam dicti officij Diffinitoris,iuxta supradicta de duobus officiis incompatibilibus. Tertiò dico,quod licet officium Diffinitoris respondeat benefi-
cio

cio simplici: iam suprà diximus cum Nauarro, ex declaratione Cardinalium, beneficium simplex vacare per adeptionem secundi beneficij curati. Declaratio verò Cardinalium præponderat Authoritati Panormitani in oppositum adducti in tertio argumento.

9 Neque obstat quod addit Mascardus *tom. 1. concl. 183. n. 2. & 3. & alijs sequentibus*, dari scilicet decisionem Rotæ Romanæ per quam deciditur, quod beneficium primum non vacat nisi post adeptionem secundi beneficij habitam pacificè per annum: pro quo citat Felinum, cum quo consentit Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 3. n.* 310. Non obstat, primò, quia Decisio Rotæ non facit legem, sicut tradit idem Mascardus *tom. 1. concl.* 484. *n.* 1. vbi inter alia, dicit; *Decisiones Rotæ, licet sint probabiles, non tamẽ possunt adduci ad Decisiones causarum.* Secundò dico, quod talis Decisio Rotæ non concordat cum Concilio Tridentino *citat. sess.* 7. dicẽte, quod beneficia incompatibilia ipso iure amittantur: amissio autem beneficij ipso iure non debet expectare annum, vt vult citata Decisio Rotæ. Tertiò dico, quod ex illa opinione, non amitti scilicet primum beneficium nisi post annum, sequeretur magna læsio primæ Ecclesiæ vel secundæ: quia cùm non dimitteretur primũ beneficium, non posset beneficiarius commodè seruire in duabus Ecclesiis, & ideo vna, vel ambæ dispendium paterentur per annum, quod est contra mentem Ecclesiæ. Quartò dico, quod ista opinio, posse scilicet clericũ per vnum annum retinere duo beneficia, maximè si fuerint pinguia, non consonat cum lege Ecclesiæ, quæ tanto rigore prohibet pluralitatem beneficiorum. Et ideo talis Decisio Rotæ nullo modo nos cogit ad illius sequelã.

10 Quæris: an si iste Diffinitor, qui hoc anno à portu Olysipponensi nõ exiuit, renunciauerit officio Prælati

lati generalis in India, poſſit redire ad officium Diſ-finitoris quod antea habebat in Prouincia,& hoc ſine noua electione, vel collatione dicti officij Diffinitoris? Reſpondeo negatiuè. Nam ſi in illo vacauit officium Diffinitoris per acceptationem prælaturæ Indiæ,& talis officij exercitium,vt ſuprà vidimus ex Tridentino, & aliis textibus; non poteſt per ſe redire ad antiquum officium dimiſſum ſine noua collatione potentis illud conferre. At probatur primò ex praxi Eccleſiæ, quia poſtquã Petrus,v.g. reſignauit beneficium in Ioannem,ſi Ioannes moriatur,non poteſt Petrus ſuâ propriâ authoritate regredi ad antiquum beneficium renunciatum niſi per ſpecialem Bullam Papæ,quæ ſolet aliquibus concedi, quando renunciant beneficium alteri, concedit illis aliquando, quod mortuo illo in quem renunciauerunt, poſſit renuncians regredi ad prius beneficium, quod vocant Renunciare cum regreſſu.de quo Azor *lib.7.cap.21.q.2.* ex quo clarè patet non poſſe quem redire propriâ authoritate ad beneficium primum amiſſum, vel dimiſſum. Idem probatur ex cap.*Cum noſtris,de conceſſ. prebend.* vbi refertur quod quidam Epiſcopus antequam eſſet Epiſcopus,habebat in quadam Eccleſia quoddam beneficium, quod dicitur præpoſitura:quæ cùm vacaſſet per conſecrationem ipſius in Epiſcopum, eóque non obſtante ille prætenderet illam poſſidere ſimul cum Epiſcopatu, canonici illam eidem iterum donarunt per nouam electionem. Caſus delatus eſt ad Papam,qui decreuit,neque ſic potuiſſe Epiſcopum redire ad dictam præpoſituram,quæ vacauerat abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. Idem tenet gloſſ.*in cap.Gratia,de reſcr.in 6.in verbo, Eligas*, vbi ait quod qui impetrauit ſecundum beneficium, poteſt eligere vnum ex illis,quod maluerit,illudque retinere,

ſicut

sicut Papa ibi concedit: sed hoc debet esse re integrâ: id est antequam possessionem acquirat, & exerceat secundum beneficium. Facit ad idem intentum quod tradit Nauar. *ad c. Si quando, de rescr.* in Actuario, quod fecit ad dictum cap. *n.* 28. vbi ait, quod ille qui renunciauit alicui beneficio, non potest redire ad illud sine noua collatione superioris. Et in hoc nostro casu iste pater, de quo agimus, saltem facto contrario renunciauit officio Diffinitoris per acceptationem prælaturæ incompatibilis. Et citat ibi Nauar. *c. quam periculosum* 7. *q.* 1. Denique iuuat ad hoc quod dicit Azor *citato lib.* 6. *c.* 13. *q.* 7. *tom.* 2. videlicet, quod ante Concilium Tridentinum per citatum cap. *Gratia*, de rescr. & alios textus, assequēti duo beneficia incompatibilia dabatur optio vt vnum eligeret, & alterum dimitteret. At post Tridentinum (ait Azor) primum vacat statim vt quis secundi possessionem fuerit assecutus. Et in facti contingentia vidi ego Olysippone quemdam Religiosum, qui erat Prior localis cuiusdam Conuentus certæ Religionis, & simul erat Prælatus cuiusdam monasterij Monialium distantis per duas leucas, quæ duo officia non videbantur incompatibilia; & tamen Prælatus illius Religionis coëgit illum renūciare alteri illorum.

CASVS LXII.

An sanctus Ioseph fuerit viduus ante desponsationem cum Deipara Matre?

QVidam concionator prædicaturus in die SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi, quæsiuit à me an posset in sermone dicere, quod S. Ioseph sponsus Deiparæ,

paræ,fuerit pater Apoſtoli Iacobi Minoris,& proinde verè fuerit duabus vicibus matrimonio copulatus, ſemel ante matrimonium cum Deipara matre, de quo primo matrimonio habuerit filium Iacobum Minorem Apoſtolum. Et oſtendit mihi Surium,qui 3. *tom. prima die Maij in vita iſtius Apoſtoli Iacobi*, expreſsè dicit ſanctum Ioſeph ſponſum Deiparæ fuiſſe patrem Iacobi Apoſtoli. Quod poſſet aliquo modo probari ex eo quod D.Paulus *ad Galat*.1.vocat Iacobum Apoſtolum Minorem,fratrem Domini:quod poſſet vtcumque ad hoc intentum explicari, quia ſcilicet Ioſeph erat pater naturalis Iacobi, & pater putatiuus Chriſti D. coram populo;& proinde cùm Ioſeph eſſet pater amborum modo proximè dicto, vocabant illum fratrem Chriſti D. Hæc verò,& ſimiles quæſtiones dependentes à ſacra Scriptura,non ſunt minus vtiles,& neceſſariæ quàm aliæ quæſtiones pertinentes ad caſus morales conſcientiæ,& proinde volui hanc quæſtionem hîc inſerere, maximè in laudem tanti Patriarchæ ſponſi Deiparæ; cui non parum laudis accreſcet ſi conſtiterit illum fuiſſe virginem, & cum Virgine virginum deſponſatum.

1 Quod igitur ſanctus Ioſeph ante matrimonium cum Deipara contractum, fuerit alio matrimonio copulatus, tenuit non ſolùm Metaphraſtes apud Surium citato loco,ſed quod maius eſt,tenuit id ipſum D.Epiphanius *hæreſi* 78.dicens quod S.Ioſeph ex prima vxore ante Deiparam habuit ſex filios, quatuor maſculos, & duas femellas. Idem de ſex filiis ſancti Ioſeph tenuit Hippolytus Portuenſis apud Nicephorum *lib*. 2. *c*.3. & quod aliam coniugem habuerit ante Deiparam dixerunt Origenes,Euſebius, Gregor. Nyſſenus,Chryſoſtomus, Hilarius,& Ambr.qui omnes propriis locis citantur

citantur à Baron.in Apparatu ad suos Annales *cap.*46.
2 Sed tamen hodie communis Catholicorum sententia defendit Beatissimum Iosephum neque filios habuisse, neque alteri feminæ nupsisse quàm Deiparæ, imò virginitatem semper per votum coluisse. Sic imprimis docuit D.Hieronymus *contra Heluidium propè finem*, sic dicens contra illum hæreticum: *Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam,vt ex virginali coniugio filius nasceretur.* Et paucis interiectis ait: *Relinquitur eum virginem mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.* Sic ille. Idem docuit August. *serm.*14.*de Natiuit.Domini*,sic dicens,& alloquens sanctum Ioseph: *Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata; sis autem & tu pater Christi cura castitatis,& honorificentia virginitatis*,&c.Et paulò pòst sic ait, *Gaude itaque Ioseph,nimiúmque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es à coniugio vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.* Idem tenuerunt post Augustinum, & Hieronymum omnes subsequentes Patres,& Doctores, quos fusè citat Baronius *in loco citato Apparatus cap.* 47. *ad marginem*, inter quos citat Petrum Damianum Doctorem grauissimum, qui *epist.* 11.*ad Nicolaum Papam, cap.* 4. ait: *Ecclesiæ fidem in eo esse, vt non modò Deipara, sed etiam putatiuus pater, atque nutritius virgo habeatur.* Ad quem locum Baronius affert hanc coniecturam,siue rationem.Nam si Christus in cruce moriturus matrem suam homini virgini commendauit,videlicet Apostolo Ioanni,de quo canit Ecclesia in suo die, quod Christus D. Matrem virginem virgini commendauit, idque cùm iam Deipara esset prouectioris ætatis, quomodo idem Christus D. non
traderet

traderet in matrimonium Matrem virginem, de qua nasciturus erat, homini etiam virgini, Iosepho videlicet? Hanç rationem siue coniecturam ampliat Cardinalis Toletus *super cap.* 1. *Lucæ Annot.* 55. sic dicens: Virgo commendata est Ioanni propter eius virginitatem: profectò non minus decebat Virginem virgini tradi in matrimonium, imò magis congruum id videbatur. Nam Ioanni data est in Matrem, qui titulus aufert omnem inhonestatis suspicionem. At Iosepho data in sponsam, qui titulus copulæ coniecturam admittit: maximè cùm matrimonij tempore, Beata virgo fuerit adolescens, non autem tempore passionis: vt igitur castitas omnino comprobaretur, Virgini virgo tradenda erat. Sic Toletus citato loco, & ibi citat alios Doctores. Denique non fuerit inutile ad hoc intentum referre breuiter historiam relatam à quodam Authore, qui scripsit librum de natiuitate Virginis, quam refert Barradas *in primo tomo Concordiæ lib.6.cap.7.§.Operæ etiam pretium.* quæ historia sic habet. Pontifex denunciabat publicè, vt Virgines, quæ in templo educabantur, & ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptiis operam darent. Cui mandato cùm cæteræ paruissent, sola Virgo hoc se facere non posse respondit: dicens se quidem, & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper se ipsam Domino virginitatem vouisse. Tunc Pontifex præcepit vt ad festiuitatem, quæ imminebat, omnes ex Hierosolymis, & vicinis locis primores adessent, quorum consilio sciri posset, quid de tam dubia re faciendum esset. Omnibus in commune placuit Dominum consulendum esse, & cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum de more accessit. Nec mora, cunctis audientibus de oraculo, & propitiatorij loco, vox facta

facta est; secundum Isaiæ vaticinium requirendum esse, cui illa Virgo disponsari, & commendari deberet. Secundum ergo vaticinium, cap. 11. *Egrediatur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; cunctos de domo, & familia Dauid nuptui habiles non coniugatos, virgas suas allaturos ad altare prædixit, & cuiuscunque virgula florem germinasset, & in eius cacumine spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse cui illa Virgo desponsari deberet. Erat autem Ioseph de familia Dauid grandæuus: cunctis verò virgas suas iuxta ordinem deferentibus, ipse solus suam subtraxit, vnde cùm nihil diuinæ voci consonum apparuisset, Pontifex iteratò Deum consulendum putauit: qui respondit solum illum ex iis, qui designati erant, virgam suam non attulisse, qui Virginem desponsare deberet. Proditus est itaque Ioseph: cùm enim virgam suam attulisset, & in cacumine eius columba de cœlo veniens consedisset, liquidò omnibus patuit ei Virginem desponsandam fore. Hactenus historia.

2 Quæ historia licet à Barradas citato loco dicatur quod non sit magni ponderis, hodie tamen tota illa descripta est recenter à Magistro Iosepho de Valdiuezo *in suo libro de sancto Ioseph*, metro Hispanico conscripta, prius in Castella, & postea in hac Olysippone impresso, & satis approbato: prosequitur dictus Author hanc historiam citato libro, toto cantu quarto. Nec videtur aliquid inconueniens contineri in illa historia, si enim *Num.* 17. per simile miraculum solius virgæ Aaronis florescentis inter duodecim virgas principum Israël, quæ non floruerunt, voluit Deus declarare sanctitatem, & innocentiam Aaronis contra murmur de illo excitatum in populo: quid mirum si simili miraculo voluerit ostendere sanctitatem, & castitatem

Beatiſſimi Ioſephi, qui erat futurus ſponſus Deiparæ matris ſuæ? Et per hæc quidem ſatis probatum manet intentum, videlicet iſtum nullum matrimonium contraxiſſe ante matrimonium contractum cum Deipara, neque filios vllos habuiſſe, ſed potius Virginem ſemper fuiſſe. Cuius ego Sancti laudes non prædico, ſed id relinquo prædicatoribus pro die illius. Hoc tantum dico, quod Suar. *tom. de Incarnatione, diſp.* 8. *ſect.* 2. dicit, non eſſe temerarium, neque improbabile, imò potius pium eſſe, & probabile aſſerere quod glorioſus S. Ioſeph excedit omnes alios Sanctos in gratia, & beatitudine, etiam Apoſtolos. Quamuis enim, inquit, aliquæ locutiones generales Doctorum videãtur præferre Apoſtolos cæteris omnibus Sanctis, poſſunt intelligi quod faciunt comparationem regulariter cum aliis Sanctis, & non excludere ſpeciale aliquod priuilegium. Præterea loqui videntur illi Doctores de Sanctis, qui fuerunt poſteriores Apoſtolis; Sanctus verò Ioſeph Apoſtolos anteceſſit. Denique aſſerit Suarez ex definitione Eccleſiæ, vel ex cultu Eccleſiæ non poſſe aliquid efficax adduci contra hanc conſiderationem; quamuis ipſe conſulat parcè in hoc loquendum eſſe, & non nimium hoc eſſe exaggerandum tanquam certum. Quia vbi deeſt ſcripturæ authoritas, aut Eccleſiæ traditio, nulla poteſt eſſe ſufficiẽs certitudo, præſertim in re, quæ pendet ex diuina electione, & prædeſtinatione: cuius conſilia ſunt inſcrutabilia, & myſteria abditiſſima.

3 Quod verò obiiciebatur in principio, ex 1. *cap. ad Galatas*, Iacobum Minorem dictum fuiſſe fratrem Domini, reſpondet D. Hieronym. apud Baronium citato Apparatu cap. 46. in hæc verba: *Nos autem fratres Domini, non filios Ioſeph, ſed conſobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, Matertera Domini* (*id eſt* tia de N. Senhora)

Senhora) *quæ esse dicitur mater Iacobi Minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos in alio loco Euangelij fratres Domini legimus appellatos: fratres autem consobrinos omnis Scriptura demonstrat.* Sic Hieronym. *in cap.* 12. *in fine.* Eo modo quo Abraham *Genes.* 20. dixit Saram vxorem suam, esse sororem suam: id est, consobrinam, filiam Aram, qui erat frater Thare patris Abraham, & sic consobrini dicebantur fratres. Qui plura videre voluerit de virginitate sanctissimi Ioseph, & de laudibus illius, adeat Canisium *tom. de B. Virgine lib.* 2. *cap.* 13. §. *Vbi quæstio*, vsque ad finem, vbi plura congerit.

CASVS LXIII.

An Beata Anna mater Deiparæ tres maritos habuerit?

SIquidem in laudẽ Beatissimi Ioseph pro vnico matrimonio illius, & virginitate eius casum apposuimus præcedentem à nobis quæsitum, non inutile iudicauimus præsentem etiam inserere in laudem Beatissimæ Annę matris Deiparæ, an scilicet habuerit tres maritos? non parum enim hoc ad illius laudem conducit. Igitur multi Doctores non contemnendi, & libri aliqui etiam recentiores id passim inculcant, quos non sine tædio audio legi, & citari, in quibus dicitur Beatissimam Annam tres maritos successiuè habuisse, & ex singulis singulas filias habuisse, quas omnes vocauit Marias. Doctores istius opinionis recenset Barradas *tom.* 1. *Concord. lib.* 6. *cap.* 15. §. *vulgata opinio*, qui præcipuè sunt D. Antonin. Magister histor. Petrus à Natalib. Ludolphus de vita Christi, Echius Gerson, Petrus Sutor.

& Baptista Mantuanus. Ibidem affert rationes pro illa sententia, quæ vtplurimùm fundantur in eo, quod in Euangelio Christus Dominus dicitur habere fratres,& Deipara mater dicitur habere sororem. Cui principali obiectioni responsum manet in fine præcedẽtis capitis, id est præcedentis casus, vbi diximus morem esse sacræ Scripturæ, vt cõsanguinei fratres,& sorores appellẽtur.

1 Ex Doctoribus verò citatis Echius tenet hanc opinionem de tribus matrimoniis B. Annæ sic veram esse, vt opposita sit error, & repugnet sacræ Scripturæ, Ecclesiæ,& Patribus. Probat illam Echius ex D. Ignatio *in Epistola* 1. *ad Ioannem*, vbi clarè dicit Mariam Salome esse filiam B. Annæ. Rationem efficacem pro hac sententia nõ inuenio: vnam tamen qualemcunque ponit Adricomius *in lib. descriptionis Terræ sanctæ, anno mũdi* 3945. videlicet, quia *Deuteron.* 25. præcipiebat lex vt si aliquis frater sine filiis moreretur, frater residuus acciperet in vxorem illam quæ fuerat vxor prioris fratris, vt suscitaret semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium appellaret nomine fratris defuncti, cúmque D. Anna neque ex primo, neque ex secundo marito filium masculum susciperet, nupsit tertio.

2 In hac quæstione primò dicendum est, opinionem dicentem B. Annam non habuisse tres maritos, nullo modo esse temerariam, vel vllum continere errorem, neque repugnare Ecclesiæ. Probatur, quia Ecclesia, neque in lectionibus Diuæ Annæ, neque alio in loco facit mentionem de tribus viris illius, neque de tribus filiabus illius. Quod item non aduersetur Scripturæ, patet, quia quidquid Scriptura asserit de fratribus Domini,& sororibus Deiparæ, verum esse poterit absque eo quod tres maritos,& tres filias habuerit, vt iá patuit ex casu præcedente. Ex Patribus verò antiquis nullus

meminit

meminit horum trium maritorum, & trium filiarum. Et quod non habuerit tres viros, neque tres filias, testatur Baronius *in dicto Apparatu ad Annales, c.50. in fine*, esse sententiam veterum, & recentiorũ Catholicorum. Coniecturæ pro hac opinione non desunt. Prima sit, quod non fuerit consuetudo apud Iudæos idem nomen imponi duobus fratribus, vel sororibus: & proinde minus debuit idem nomen Mariæ imponi tribus sororibus. Secundò, quia videtur inconueniens, & signum alicuius incontinentiæ, quod Anna per annos viginti sterilis, & post impetratam talem filiam Deiparam, & longæuæ ætatis, nuberet post mortem Ioachim secundâ, & tertia vice. Quod comprobari videtur ex eo quod dicit Cedrenus apud Canisium *lib.1. de Beata Virgine, cap.12. §. sed & Gregorio*, vbi ait quod D. Anna vixit annos vndeoctoginta, id est 79. & Ioachim vixit annos 80. quomodo ergo D. Anna potuit post mortem Ioachim duos habere maritos? Adde quod teste Benedicto Pereira *tom. 1. disputationum super Ioannem, disput. 3. procemij, §. At enim*, Beata Anna peperit Deiparam, cùm esset Anna sexaginta annorum, & ait hoc esse probatum in antiquis, & probatis historiis. Quomodo ergo potuit post 60. annos duo inire matrimonia? maximè cum ipsæ leges ciuiles mulieri secundò nubenti non nimis faueant, cùm in aliquibus regnis mulier secundò nubens, si erat tutrix filiorum, per secundas nuptias priuetur dicta tutela filiorum orphanorum: non quod sit peccatum secũdò nubere, sed quod supponitur non solicitè curaturam de filiis prioris matrimonij. Ego hanc coniecturam, seu considerationem affero, quam apud nullum inueni, quæ talis est: In libro Iudith *c.5.* refertur, quod cùm Iudith reuersa esset ex cæde Holofernis, cuius caput absciderat, populus ad illam accur-

rens, acclamauit in hunc modum: *Tu gloria Hierusalem,* &c. *Eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo & manus Domini confortauit te,* &c. Laudauit illam populus eo quod post virũ suum primum, nescierit virum secundum, & erat Iudith iuuenis, & formosa. Cur ergo laus ista desit B. Annæ, Matri Deiparæ, vt non possimus illi dicere, eo quod post virum tuum Ioachimum alterum nescieris, si per te post Ioachim cognouit duos? Nũquid nobilior est Iudith, quàm Anna in Ecclesia Dei? Nam si Iudith abscidit caput Holofernis, D. Anna peperit illam quæ contriuit caput Diaboli, iuxta illud *Genes.* 3. *Ipsa conteret caput tuum,* quod de Deipara cõmuniter explicãt Doctores. Adhuc pro cõplemento videatur Lorinus *tom. super actus Apostol. Ad cap. primum, versu* 14. §. *vtraque vera,* vbi quod B. Anna fuerit vniuira, id est semel tantum nupta, probat ex Epiphanio, Damasceno, Hieronymo, & Ambrosio, Euthymio, & Theophylacto: qui rationẽ assignant, nam decebat B. Annam tantâ prole, id est Deiparâ, miraculosè obtentâ contentam esse, vt legitur de feminis, quibus partus est diuinitùs annunciatus in Scriptura: quales fuerunt Rebecca *Genes.* 25. Sara *Genes.* 18. mater Sansonis, *Iudic.* 13. Et Elizabet, mater Baptistæ, quæ secundas nuptias non contraxerunt. Addit Lorinus quod secundæ nuptiæ, neque apud Iudæos, neque apud Gentiles laudabiles fuerunt, vt ipse refert se exposuisse in Historia Samaritanæ, imò potius laudari Iudith, & Annam prophetissam *Luc.* 2. eo quod secundas nuptias non cognouerint.

3 Videatur etiam Canisius *lib.* 1. *de B. Virgine cap.* 4. *paulò ante finem,* §. *Est autem,* vbi in substantia dicit, hoc multiplex Annæ coniugium vulgi opinione magis, quàm veterum authoritate niti, & quod recentiores

tantum

tantum habet suffragatores, qui Deiparæ Matrem non satis prudenter, ac solidè, tam malè castam proponunt. Sic Canisius expressis verbis ad nostrum intentum. Quod idem ibidem probat ex coniectura iam à nobis supra allata, quod parentes Deiparæ essent iam grandæuæ ætatis, & quod id ordinatum fuerit à Deo pro maiori miraculo: & quod, teste Epiphanio, Ioachim post ortum Deiparæ vixit annis duodecim: ac proinde incredibile sit Annam ferè decrepitam secundas, imò & tertias nuptias iniisse. Videatur etiam Suarez *tom. 2. de Incarnat. disp. 5. sect... §. Sed hac sententia.* Cum igitur hæc opinio de vnico B. Annæ Matrimonio tot ac tam grauibus, & recentioribus Doctoribus commendetur, ac tam claris coniecturis in æquitate fundatis fulciatur, & maximè cedat in laudem B. Annæ ad illius honestatem commendandam cum Iudith, Anna prophetissa, &c. Matronis legis veteris suprà recensitis indignũ prorsus iudico, quod eius multiplex matrimonium populo in sermonibus prædicetur.

4 Hinc patet quàm cauendum sit à prædicanda illa reuelatione, quam Pratum Spirituale Hispanâ linguâ scriptum, 2. *part. lib. 6. cap. 4. §. En tanto*, refert factam fuisse sorori Collectæ notabili Moniali & reformatrici Moniali Capucinarum sanctæ Claræ. Ibi enim refert, quod cùm dicta Collecta increparet Matrem suam, eo quod secunda vice matrimonium contraheret, vel contraxisset. Item quod eadem Collecta, parum deuota, & parum affecta esset erga Diuam Annam, eo quod tertiò nupta fuisset, refert Author Prati spiritualis, quod cùm dicta mater Collecta quadam nocte oraret, apparuit ei sanctissima Anna cum magno splendore, & portans secum omnem progeniem filiarum, & nepotum à se descendentium, inter quos prima

erat à dextris Deipara mater cum filio Christo D. Alia erat Maria Iacobi, quæ secum ducebat quatuor filios, Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioseph iustum. Tertia erat Maria Salome cum duobus filiis Apostolis Ioanne Euangelista, & Iacobo Maiore. Et post hæc B. Annam conuersam ad sororem Collectam, illi dixisse: Quamuis ego ter nuptias contraxerim, tamen Ecclesia triumphans, & militans, sic illustrata fuit meis filiis, & nepotibus sicut vides. Hanc inquam historiam, seu reuelationem, ego populo non prædicarem: tum quia illa in libris nostræ Religionis non contineatur, cùm in Chronicis Ordinis 3. *p.* eiusdem Collectæ vita exactissimè referatur. Tum quia si verum est, quod suprà diximus ex tot Doctoribus, & claris coniecturis, hæc historia de triplici matrimonio B. Annæ falsa est, vt vidimus. Si autem falsa est, seruit ad intentum, id quod Iob *cap.* 13. dixit amicis suis: *Nunquid Deus indiget vestro mendacio?* Sic Anna Beatissima ad sui laudem non indiget nostro mendacio: sufficit illi quod sit mater matris Filij Dei.

5 Ad obiectionem positam *num.* 1. de lege ex *Deuteron.* 25. obligante vt frater residuus suscitaret semen fratris sui defuncti sine filiis. Respondeo primo in loco citato Deuteron. non dici, quod id fiat, si frater defunctus moriatur sine filiis masculis: sed solùm dicitur, si absque liberis mortuus fuerit. Ille autem frater, qui tunc moreretur relinquens vnã tantùm filiam, nam diceretur mori sine filiis, iam enim habebat filiam hæredem, cui bona sua relinqueret, & per quam genealogiam suam propagaret, qui videtur esse finis prædictæ legis Deuteronomij. Cùm ergo iam Beata Anna, & Ioachim haberent filiam Deiparam, non est dictus Ioachim mori sine liberis, cùm filiam

hæredem

hæredem bonorum relinqueret. Hac de causa Canisius *citato lib.* 1. *de Beata Virgine cap.* 4. paulò ante finem, dicit Beatam Annam nullo præcepto legis post mortem Ioachim obligatam fuisse ad repetendas secundas nuptias. Secundò respondetur, quod si vera esset expositio illius legis in argumento citata, quod scilicet vidua relicta cum vna filia, tenebatur contrahere cum fratre sui mariti, donec ex eo haberet filium masculum, sequeretur teneri talem viduam expectare tertium, quartum, & quintum matrimonium cum fratribus viri sui prioris, si tot fratres extarent, & sic Beatam Annam potuisse expectare quatuor matrimonia, donec filium masculum haberet: quod videtur nimium, & indecorum. Tertiò respondetur ad dictam legem Deuteronomij, quod illi tres viri, quibus Beata Anna dicitur nupsisse, non erant omnes fratres germani inter se vt propter citatam legem Deuteronomij tenerentur duo illorum ad contrahendum matrimonium cum Beata Anna. Nam tres mariti assignati Beatæ Annæ fuerunt Ioachim, Cleophas, & Salome. At Cleophas non potuit esse frater germanus Ioachimi. Nã Cleophas erat frater germanus sancti Ioseph sponsi Deiparæ, teste Hegesippo apud Baronium *in Apparatu citato cap.* 50. non ergo potuit Cleophas esse maritus B. Annæ post mortem Ioachim, aliàs duo fratres contraherent matrimonium cum matre, & filia: Ioseph scilicet cum Deipara filia B. Annæ, & Cleophas frater Ioseph, cum eadem matre Deiparæ, quod non inuenio ab aliquo Doctore scriptum fuisse, scilicet Ioachim fratrem germanum Cleophæ: inde enim sequeretur, quod iuxta Hegesippum, Ioachim esset etiã germanus Iosephi generi sui, cùm Ioseph fuerit frater germanus Cleophæ, iuxta Baronium citato loco sequutum Hegesippum.

CASVS LXIV.

De professione Nouitiæ facta absque præuio examine Episcopi.

CONcilium Tridentinum *sess.25.c.17.de Regul.*præcipit vt nulla Abbatissa, seu præfecta Monialium admittat vllam Nouitiam ad professionem, nisi prius monito Episcopo, qui iubeat fieri examen de libertate Nouitiæ. Quod si Abbatissa Episcopo non monito Nouitiam ad professioné admiserit, possit per Episcopum suspendi ab officio. Quo posito, quædam Abbatissa admisit ad professionem quamdam Nouitiam irrequisito Episcopo, & absque prædicto examine. Quæritur an prædicta professio facta contra decretum Tridentini, valida fuerit? Et quod fuerit professio nulla, videtur probari ex illa Regula *de reg. iuris in 6.* dicente: *Quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi:* & ex l.*non dubium, cap. de legibus.* Hæc autem professio facta est contra ius Concilij Tridentini.

Ad hunc casum respondet Sanchez *lib. 5. Decalogi* prædictam professionem fuisse validam, non obstante prædicto decreto Tridentini. Vbi hanc solam rationem principalem assignat: quia licet Tridentinum prohibeat professionem fieri irrequisito Episcopo, non tamen ibi irritat professionem aliter factam, quidquid sit de peccato Abbatissæ. Eodem modo idem Sanchez *lib.3.de matrim. disp.5.* respondet ad similem obiectionem, videlicet: Iubet Concilium Trident. *sess.24. cap.10.de matrimon.* vt matrimonium non celebretur à Parocho, nisi præmissis tribus denunciationibus publicis in Ecclesia: quo non obstante, tenet Sanchez

cit.

cit. disput.5.n.3. quod si Parochus aliquos matrimonio iungat non præmissis tribus denunciationibus, matrimonium tamen erit validum, non obstante prædicto decreto Tridentini: quia, vt ait *in solutione ad 4. eiusdem disputationis*, textus citati, dicentes factum contra legem esse inualidum, sunt intelligendi quando lex statuit formam substantialem actus: secus quando ex ea colligitur solum præscribi modum vt rectè fiat. Nullam aliam ibi rationem assignat; quæ ratio, & illius Doctoris verba ampliorem postulant declarationem, pro hoc dubio quotidie contingente, an scilicet factum contra legem prohibentem sit validum. Vrget enim nimis regula illa generalis iuris *in 6.* dicens, quod factum contra ius debet pro infecto haberi.

1 Et quamuis ego teneam cum Sanchez *citato loco Decalogi*, hanc professionem, de qua quæritur, fuisse validam propter illa, quæ infra clariùs dicam; necessarium duxi hîc amplius explicare citatam regulam iuris *in 6.* dicentem, inualidum esse quidquid fit contra ius: & hanc regulam concordare cum alia regula Iuristarum dicente, quod multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent. Quæ secunda regula colligitur clarè ex *cap.*Dilectus *il 2. de preb.& dignit.* vbi dicitur, quod licet Papa mandauerit dari certam præbendam vni,& Capitulum talem præbendam dedit alteri, valida fuit collatio capituli contra mandatum Papæ. Igitur pro concordia duarum prædictarum regularum, & vt intelligatur quando factum contra Tridentinum, vel aliam legem Ecclesiæ sit validum, vel nullum, pono sequentes aduertentias.

2 Prima sit: quando, vt aliquis actus fiat, requiritur iurisdictio in agente, si talis iurisdictio desit in agente, actus est nullus. Exemplum sit: Præcipit Ec-

clesia

clesia vt nullus Confessor audiat confessiones sæcularium, nisi sit approbatus ab Episcopo: is qui sine tali approbatione confessiones audierit, dabit absolutionem nullam, quia caret iurisdictione ad absoluendum. Item præcipit Papa vt à casibus Bullæ Cœnæ nemo absoluat: ille qui absoluerit ab illis sine speciali priuilegio, faciet actum nullum, quia caret iurisdictione ad absoluendum. Idem dic de dispensante in aliquo, in quo non potest dispensare: dispensatio erit nulla etiamsi faciat bona fide, & per ignorantiam inuincibilem, quia caret iurisdictione.

3 Secunda sit: Quando lex prohibet aliquem actum, addendo, quod *secus factum sit irritum, nullum, nullius valoris*, & sic de similibus verbis annullantibus, actus factus in oppositum est nullus. Et de hac nemo dubitat, nec dubitare potest. Superior enim si sit supremus Princeps, sicut potest legem condere, ita etiam potest pro suæ legis obseruatione contraria quæque annullare, vt omnes concedunt. Dixi, si legislator sit supremus Princeps: quia si v.g. aliqua Religio faceret statutum quod professio taliter facta sit nulla: & hæc eadem professio taliter facta, per legem communem Ecclesiæ sit valida, non poterit Religio facere tale statutum contra legem communem Ecclesiæ, quia Religio est legislator inferior, & subdita Ecclesiæ.

4 Tota dubitatio est, si lex Ecclesiæ non annullet expresse factum in oppositum, sed ponat verba rigorosa indicantia annullationem, vt si dicat: *Nullatenus, nullo modo fiat*; non possit fieri, & sic de similibus verbis. Quæris, inquam, an per hæc verba indicantia nullitatem, intelligatur quod factũ contra legem sit nullum? & quod attinet ad verbum *nullatenus fiat*, Sanchez *lib.6. de Matrim. disput. 32. n.7.* citat multos Doctores dicen-

tes quod quando lex prohibet, dicens, *nullatenus fiat*, factum in oppositum dici nullum, *& eodem lib. disput.* 38. *num.* 2. dicit, quod quando lex prohibet sub his verbis, *Non possit*, vult inducere nullitatem actus. Sed melius meo iudicio Suarez *tom. de legib. lib.* 5. *cap.* 31. *à num.* 13. dicit per hoc verbum legis, *Non possit*, non induci nullitatem actus contrarij: sed solum indicari, quod oppositum non possit licitè, & rectè fieri.

5 Tertia aduertentia: Quando lex præscribit formam seruandã in actu faciendo, & simul dat denuò potestatem faciendi actum, quæ potestas antea non dabatur, talis forma est de substantia actus, & proinde eius formæ omissio reddit actum nullum: quando verò supponebatur iam potestas ad faciendum actum, & sola additur noua solemnitas, tunc forma præscripta est accidentalis, & eius omissio non annullat. Sic Suarez *citat. c.* 31. *de legib. num.* 9. vbi ponit exempla, quæ apud ipsum videri possunt.

6 Quarta aduertentia. Si lex prohibeat actum simpliciter, nullum verbum adhibens quod sonet annullationem actus, vel irritationem illius, talis actus est validus, quamuis sic agens contra legem, graue peccatum committat. Hæc est communis Theologorum, & Iuristarum sententia: & sumitur ex *glossa vltima, in c. de desponsat. impuberum*, & probatur ex praxi: quando enim Summi Pontifices, maximè in motibus propriis, volunt irritare actum prohibitum, statim id verbis irritantibus, & annullantibus declarant: vt in particulari fecit Sixtus V. in suis Bullis contra professionem criminosorum & illegitimorum: & alij Pontifices in aliis Bullis. Quando verò talia verba non adhibent, signũ est quod nolint irritare. Esset enim valde onerosum semper annullare omnes actus factos contra legem; & daretur

retur occasio magnæ confusionis, & inquietudinis, si crederemus annullari quemcunque actum factum contra legem, quando in illa non continentur verba clarè annullatiua actus.

7 Hinc in forma, respondetur clarè ad dubium de professione facta positum in principio: dico enim cum Sanchez *citato loco Decalogi*, dictã professionem fuisse validam, non obstante prohibitione Concilij Tridentini: quod sic deduco ex positis suprà aduertentiis. Nam primò Abbatissæ non defuit iurisdictio ad professionem admittendam, habebat enim illam ex officio. Secundò, Tridentinum licet mandet ne professio fiat, factam tamen non irritat, quod necessariò esset adhibendum pro tollenda confusione: sicut Tridentinum fecit, quando *cap.15. eiusdem sessionis, de Regular.* prohibuit ne professio Nouitij fieret ante annum decimum sextum completum, & annum integrum nouitiatus; addidit enim ibi sic: *Professio autem antea facta, sit nulla, nullámque inducat obligationem alicuius regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem*, &c. Quæ verba non adhibuit paulò pòst *in cap.* 17. loquens de prius monendo Episcopo, & prohibens fieri professionem eo non admonito: quod signum clarum est noluisse Concilium in hoc secundo casu professionem annullare, sicut fecerat suprà *cap.* 15. in casu ætatis anni 16. &c. Tertiò ibi Tridentinum *cap.*17 per illam prohibitionem, non assignauit Abbatissæ formam substantialem seruandã in actu professionis: hæc enim forma, & solemnitas antiqua est, & contenta in praxi, & in libris Ordinum. Solùm ergo fecit simplicem prohibitionem, ne professio fieret inconsulto Episcopo, vt actus rectè, & debitè fieret, id est, ne professio fieret per aliquem metum, ex quo posset annullari.

8 Volui

8 Volui adhuc pro maiori explicatione casus positi,& pro quiete aliquorum ponere hoc loco responsionem datam à Sanchez in casu ferè simili. Tradit ille *in lib.3. de Matrim. disput.32. num.2.* quod, si Episcopus interdicat Parocho ordinario, ne ipse assistat alicui matrimonio, neque det licentiam alteri Sacerdoti vt alicui matrimonio assistat nisi sit approbatus per Episcopum; & nihilominus vel per se aliquos matrimonio iungat, vel hanc licentiam alteri Sacerdoti extra mentem Episcopi concedat: tenet Sanchez prædictum matrimonium tali prohibitione non obstante fore validum, si Episcopus in sua prohibitione, vel statutum synodale non apponant verba annullantia, & irritantia actum in contrarium factum: idque probat Sanchez ibidem quinque argumentis claris, & efficacibus: quorum vnum est sumptum ex doctrina Adriani ibi citati, & dicentis prohibitionem superioris, ne Religiosus audiat confessiones, arguere Religiosum peccare audiendo, non tamen absolutionem esse irritam, si de Episcopi licentia confessiones excipiat. Et citat ibi Henriquez idem dicentem *in primo tomo, lib.6. cap.6. num. 6.* & dictus Henriquez citato loco in margine, seu glossa littera *Y.* multos Doctores ad hoc probandum adducit. Addit tamen prædictum Religiosum peccare grauiter eo quod non obediat Prælato in materia graui.

***

CASVS

CASVS LXV.

De quadam emphyteusi.

QVædam mulier vidua habebat emphyteusim cum potestate nominandi pro tribus viris,& illa erat prima vita. Hæc habebat neptem quandam ex sua filia legitima; & relictâ istâ nepte nominauit ad successionem dictæ emphyteusis post mortem, quemdam suum consanguineum in gradu valde remoto transuersali. In scriptura publica, quâ ipsum nominauit successorem emphyteusis, apposuit sequentes clausulas. Prima, quod illa nominans statim transferebat in ipsum nominatum omne ius, ac dominium vtile, & possessionem, quam habebat in ipsa emphyteusi, cum clausula constituti: & quod illa maneret solùm vt colona,& inquilina, ita vt illa maneret solum cum vsufructu reddituum emphyteuseos. Secunda clausula fuit, quod illa talem in ipso nominationem faciebat pro argumento dotis, erat enim ille iam coniugatus, ante sex, vel septem annos, & erat diues. Tertia clausula fuit, quod illum sic nominabat in emphyteusi propter bona opera, & obsequia, quæ ab illo acceperat, & volebat gratificare. Et sic adhibuit alias solitas clausulas.

E contra verò ipse nominatus fecit viduæ quandam scripturam, per quam se obligauit dare nepti eiusdem viduæ mille quingentos ducatos pro illa maritanda, vel vt monasterium intraret. Item se obligabat dare singulis annis quinquaginta ducatos cuidam filiæ eiusdem viduæ,iam moniali per modum pensionis. Item vltrà se obligabat soluere debita pecuniaria contracta per

per ipsam nominantem, si quæ manerent post mortem ipsius. Et præterea se obligauit ad soluendos fructus, & expensas faciendas in pompa funerali post mortem nominantis. In fine tamen addidit se ad illa omnia obligare sub conditione, si ipse post mortem ipsius nominantis maneret possessor pacificus in prædicta emphyteusi.

Post hæc omnia, & prædictis non obstantibus, prædicta vidua fecit aliam nominationem, per quam nominauit in dicta emphyteusi prædictam suam neptem filiam filiæ suæ, dicens in Scriptura, quod reuocabat priorem nominationem factam in priori consanguineo, & quod nominabat prædictam neptem cum omnibus clausulis solitis apponi.

Quæritur,

An potuerit hæc vidua in conscientia reuocare priorem nominationem factam in consanguineo cum supra dictis clausulis, & secundo loco nominare neptem? Et an secunda nominatio neptis fuerit valida in foro externo?

Et pro parte negatiua, quod non potuerit priorem nominationem reuocare, & ex consequenti, quod nominatio neptis fuerit inualida, videtur probari clarè per legem istius Regni *lib.4.Ordinat.tit.*37.§.2. vbi expressè deciditur, quod si habens emphyteusim cum potestate nominandi, nominauerit aliam personam post se successuram, & statim in personam sic nominatam transtulerit omne ius, ac dominium quod habebat in tali emphyteusi, reseruato sibi tantum vsufructu dictæ emphyteusis, iam non poterit vltrà nominare alteram personam. Hoc verò in terminis contigit in hoc casu: nam hæc vidua in priori nominatione, quam fecit in

consanguineo, dixit se ex nunc transferre in illum omne ius, ac dominium, quod habebat in tali emphyteusi, sibi reseruato solo vsufructu, ac proinde iam non potuit secundo loco neptem nominare. Secundò, quia in hoc casu interuenit contractus, quia consanguineus nominatus promisit, & obligauit se ad præstandam prædictam pecuniam nepti, ac filiæ moniali prædictæ viduæ, & ipsa vidua id liberè acceptauit: ergo fuit verus contractus: contractus autem obligat contrahentes in lumine naturali.

Responsio.

His non obstantibus censeo prædictam viduam potuisse in vtroque foro reuocare priorē nominationem factam in consanguineo, & validè, ac licitè nominare neptem successuram in dicta emphyteusi. Antequam adducā argumenta ad hoc probandum, suppono quod hæc vidua habebat licentiam nominandi in emphyteusi vsque ad suam mortem quem voluisset: & hanc licentiam illi concessit dominus directus emphyteusis, hospitale scilicet Olysipponēse, idque sub forma præscripta à lege istius Regni, *cit. lib. & tit.* 37. vbi dicitur, quod habens licentiā nominandi in emphyteusi vsque ad mortem, poterit vnam, vel alteram nominationem facere, & quot voluerit vsque ad mortem: & quod per vltimam nominationem censebuntur reuocatæ omnes præteritæ nominationes. Ita vt nullum habeant vigorem. Et hæc vidua vltimo loco nominauit neptem, ac proinde per hanc vltimam nominationem neptis, manebit reuocata prior nominatio facta in cōsanguineo.

Primum igitur argumentum pro supradicta nostra conclusione fit: Quia lex istius Regni *cit. lib.* 4. *tit.* 38. §. 2. decernit, quod si emphyteuta, seu habens emphyteusim,

teusim, vendiderit, vel alienauerit rem emphyteuticam absque expressa licentia domini directi, talis venditio, & alienatio sit omnino irrita. At constat, quod prima nominatio viduæ facta in priori consanguineo, nō fuit libera nominatio, sed fuit in rigore venditio emphyteusis: ergo talis nominatio fuit omnino irrita per citatam legem. Probatur minor, quod scilicet fuerit venditio: nam definitio venditionis & emptionis tradita à Scoto, & ab omnibus Theologis recepta, teste Comitolo *in Resp. moral. lib. 3. q. 18. n. 11.* est hæc: *Emptio & venditio est commutatio rei vtilis facto pretio.* Et in hoc casu seu priore nominatione, vidua dedit rem vtilem, id est, emphyteusim facto pretio cū scriptura, per quam nominatus consanguineus promisit se daturum filiæ, & nepti viduæ prędictas pecunias, & soluturum debita, & cætera iam dicta. Et hoc pretiū promisit pro nominatione de se facta à vidua, si nominatio sortiretur effectum pacificum, quod est clara emptio, & venditio. Neque obstat dicere, non fuisse vēditionem, quia res vendita, id est emphyteusis, nondum est plenè tradita consanguineo nominato viuente viduâ, neque consanguineus nominatus adhuc soluit pecunias promissis nepti, aut filiæ moniali. Non inquam obstat, quia emptio, & venditio solo consensu emptoris, & venditoris perficitur, vt probat Rabello *2. p. lib. 9. de contract. q. 1. sect. 1. n. 3.* dicens esse opinionē communem. Et idem tenet Bonacina *tom. 2. tit. de contract. disp. 3. q. 2. puncto* 1. *n.* 4. & alij. Et præterea vidua iam dederat nominato ius, & dominium quod habebat in emphyteusi, cum possessione, quæ omnia iam transtulerat in ipsum: & præterea ipse nominatus iam soluerat pro vidua aliqua debita pecuniaria: ac proinde iam interuenerat aliqua traditio rei venditæ ex parte viduæ, & aliqua solutio pretij pecu-

niatij ex parte consanguinei nominati. Et constat ex praxi quod multa validè venduntur facto pretio creditâ pecuniâ nondum solutâ, sed in posterum soluendâ.

Secundum argumentum, seu confirmatio prioris argumenti, sit, quòd prior nominatio consanguinei non fuit pura nominatio, seu liberalis donatio, sed fuit contractus venditionis palliatus. Probatur ex illis quæ tradit Mascard. *tom.*1 *de probat.concl.*44.*n.*9. vbi dicit satis probari contractum esse simulatum per argumentum sumptum à non verosimili; quia quod non est verisimile, quædam falsitatis species est. Pro quo citat Crauettam, Castr. & Baldum, Anchar. & Decium. At non est verisimile quod consanguineus primò nominatus in sua scriptura faceret donationem liberam pro tanta pecunia soluenda nepti, ac filiæ, & pro solutione debitorum, præcipuè cùm ille non esset dominus alicuius tituli, vel nimis diues, nec nimis liberalis. Cùm ergo ex parte ipsius nõ præsumatur quod sua promissio pecuniarum fuerit liberalis donatio, nec remuneratio purè gratuita, præsumitur clarè quod sua promissio fuit emptio, quâ voluit emere emphyteusim, & proinde talis emptio, & venditio fuit irrita per citatam legem istius Regni: & proinde talis prior nominatio fuit venditio simulata. Hoc ipsum confirmatur ex eo quod tradit idẽ Mascard. *eodem tom.*1.*concl.*154.*n.*32. vbi dicit, quod non præsumitur quis facere donationẽ immoderatam. & *n.*13. ad idem intentum citat multos *in eadem concl.* 154. Donatio verò quam iste Prior nominatus fecit viduæ pro nepte, & filia, & debitis soluendis, fuit donatio immoderata, attentâ qualitate personæ ipsius nominati: ac proinde non fuit donatio liberalis, sed emptio emphyteusis, & solutio pretij pro tali emptione.

Tertium argumentum hinc potest elici: cùm enim

constet

constet ex præcedentibus quod in hoc casu interuenit vera emptio, & venditio emphyteusis, idque inscio domino directo, ex alio capite fuit ista prima nominatio, seu venditio nulla, quia scilicet cùm fuerit venditio emphyteusis, non est solutũ laudemium domino directo, quæ est certa pensio soluenda domino directo quoties venditur emphyteusis. Et ob hanc causam dicit Iulius Clarus *lib.4.§.Emphyteusis,& §.Arbitror,*quod licet emphyteuta habeat potestatem nominandi absque expressa licentia domini directi, nihilominus in aliquibus casibus tenetur petere licentiam nominandi à domino directo. Inter quos casus istum annumerat, videlicet,quod nulla subsit fraus. Nam si emphyteuta effectualiter venderet in fraudem ipsius domini, talis emphyteuta esset priuandus emphyteusi. Idem tenet Bonacina *tomo 2. tit. de contract. disput.8. q.8. puncto 2. num.*24.citans alios,ac dicens non posse emphyteutam rem emphyteuticam, vel eius melioramenta alteri per venditionem tradere secundum ius vtile, absque consensu domini directi. Et addit quod aliàs emphyteuta incidet in commissum, iuxta legem vltimam,*C.de iure emphyt.*& iuxta capitulum,*Placuit,de locato,*& citat Syluest. Filliucium, & Manticam. Idem tenet Camillus Borellus *tomo 2.tit.*33*.de emphyt.num.*64. vbi postquam dixit,quod emphyteuta potest nominare sine licentia domini directi, ponit aliquas limitationes sui dicti; quarum vna est hæc, dummodo sub specie donationis non fiat venditio, ad excludendum fortè ius prælationis domini competentis. Et ad hoc citat Iulium Clarum.Et in hoc nostro casu in prima nominatione consanguinei interuenit clara vẽditio,vt manet probatum in præcedentibus. Neque obstat responsio,quam audiui dari à parte contraria, dicente hîc non interuenisse

emptionem,quia promissio pecuniarum facta à nominato, non fuit pretium adæquatum,& iustum pro emphyteusi, si enim hæc venderetur publicè, multo plus valeret. Non,inquam,obstat,quia non desinit esse venditio vera eo quod pro re vendita detur pretium inadæquatum. Nam multi homines vendunt vili pretio, & tamen verè vendunt. Et quando in hac venditione, emphyteusis venderetur infra mediū iusti pretij,etiam tunc vidua nominans,& vendens posset reuocare venditionem propter læsionem enormem, & alterum nominare.Denique in hoc casu constitit ex scriptura publici Notarij,quod vt prædicta vidua faceret priorem nominationem consanguinei, non est impetrata licentia à domino directo, videlicet hospitali, contra id quod statuit lex istius regni suprà citata, & docent Doctores suprà adducti.

Quartum argumentum est. Quia prior nominatus consanguineus post sui nominationem non obtinuit à domino directo confirmationē suæ nominationis:quæ confirmatio est omnino necessaria,sicut docet Camillus Borellus *in titulo citato,emphyteusis, n.6.* pro quo citat Alexādrum,Aretinum,Beroum,& alios,qui dicunt, quod non impetratâ istâ confirmatione emphyteuta cadit à suo iure. Quod dictum specialiter locum habebit,quādo emphyteuta in nominatione faceret venditionem,sicut probauimus in hoc casu contigisse:nam concurrente ibi venditione obligatus erat admonere dominum directum, vt recuperaret laudemium sibi debitum ex venditione emphyteusis.

Quintum argumentum.Fuit præterea ista prior nominatio consanguinei nulla, quia vidua in scriptura dixit se nominare illum consanguineum propter bona opera,& beneficia sibi ab eo collata:& tamen nullum bonum

bonum opus ab eo collatũ in speciali declarat. Constat autem quod quando aliquid alicui in testamento relinquitur propter bona opera,& beneficia ab eo accepta, imprimis debeat probari illa bona opera, quod sint paria rei donatæ. Sic tenet Mascard.*tom.*1.*de probat.concl.* 186.*n.*1. pro quo citat multos,& graues Doctores Iuristas, & in particulari citat Alexandrum dicentem donationem factam propter benemerita, nõ valere si non sit facta ad numerum,& æqualitatem benemeritorum. Et in hoc casu non constat de aliquo bono opere notabili facto à nominato consanguineo in obsequium viduæ nominantis. Et ideo illa clausula à vidua nominante posita, quod nominaret illũ propter bona opera ab illo recepta, fuit clausula palliata,& simulata. Sicut etiam videtur fuisse clausula simulata dicere viduam in sua scriptura, quod dicto consanguineo donabat illam emphyteusim, pro augmento dotis. Dos enim non assignatur nisi ad matrimonium contrahendum; & iste consanguineus iam multò antè erat matrimonio copulatus. Præterea dos non assignatur propriè viro nubenti, sed mulieri. Et denique prædictus consanguineus non erat pauper, sed diues sufficienter.

Sextò datur adhuc alia ratio ad probandum quod quando ista nominatio consanguinei non foret irrita, saltem fuit illicita in foro conscientiæ. Nam cùm hæc vidua haberet neptem ex filia sua, nepte omisśâ nominauit consanguineum in gradu tam remoto, & transuersali. Tenebatur enim nominare neptem à se descendentem, non verò remotum consanguineum transuersalem. Probatur hoc ex eo, quod dicunt Doctores in materia emphyteusis, videlicet quod si licentia nominandi finita est in tertia vita, descendentes ab vltimo emphyteuta proximiores habent ius vt obligent domi-

num directum, vt se descendentes admittat ad emphyteusim,& illam ipsis innouet pro tribus vitis. Et quod nolente directo domino ipsos descendentes admittere ad emphyteusim illá ipsis innouando,poterunt ab illo appellare. Sic expresè tenet Camillus Borellus *citato titulo,emphyteusis,num.265*. vbi ponit hæc verba: *Finitâ emphyteusi,potest alius de familia reuocationem emphyteusis petere in suam personam:& dominus tenetur eam concedere, aliàs fieret sibi iniuria, & posset ad superiorem appellare*;& citat ad hoc multos, & graues Doctores. Et idem Borellus *infra n.291*. sic ait: *Emphyteusi reuersa ob finitam generationem,si alteri velit dominus concedere, agnati illius præferendi erunt, qui primò illam ab Ecclesia obtinuerunt*. Idem tenet Rabello *lib.de oblig. iust.lib.10.de emphyteusi, quæst.18.n.26*.vbi dicit, quod finitâ emphyteusi tenetur dominus directus illam concedere descendentibus; & quod eo nolente possunt descendentes recurrere ad publicam potestatem. Idem asserit idem Rabello *citata quæst.num.4.& seqq*.vbi citat Caldas,Decium,Tiraquellum, Iulium Clarum, Valascum, & alios, vbi sic ait: *Dominus directus tenetur ad nominationem faciendam vltimi possessoris defuncti illius,siue descendentibus*, (subaudi, & loco illorum proximioribus agnatis) *siue emphyteusis sit sæcularis,siue Ecclesiastica*. Sic ille,& ibi cit. Caldas, ait Rabel. quod sic iudicatum fuit in supremo Tribunali Regio Olysipponensi. Cùm enim quædam Ducissa Bargantiæ Elizabeth esset directa domina cuiusdam emphyteusis, & mortuus esset tertius emphyteuta tertiæ vitæ,reuertente emphyteusi ad ipsam Ducissam, eâque nolēte amplius emphyteusim innouare;sed illam reseruante pro suis necessitatibus, descendentes vltimi possessoris litem mouerunt contra illam, & in prædicto supremo Tribunali lata est sententia contra Ducissam

cissam obligans illam vt dictam emphyteusim descendentibus prædictis innouaret. Iuuat ad hoc præcipuè quod tradit Thomas Sanchez *in suo libro consiliorum, siue opusc. moral.* vbi dicit, *lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 34. quod si emphyteuta habens licentiam nominandi, non nominauit in vita, & mortuus est non nominando, censetur nominare hæredem, qui illi succedet in secunda vitâ: illóque mortuo transit ius nominandi in eius hæredes. Et citat Alexandrum, Pinellum, Panormitanum, & alios. Hæc autem vidua in prima nominatione omisit neptem descendentem à se in secundo gradu, & ideo iuxta citatos Doctores, vel inualidè fecit, vel saltem illicitè, & nota in particulari, quod dixit Rabello secundo loco citato, videlicet quod emphyteusis primò innouanda est in descendentibus defuncti, & istis deficientibus innouandi sunt agnati, id est, transuersales. Ex quibus omnibus Doctoribus constat quod descendentes à possessore emphyteusis habent ius vt sibi potius concedatur emphyteusis, quàm extraneis, seu transuersalibus.

Sed contra secundam nominationem factam in nepte, quod non valuerit, insurgit validum argumentum. Nam si constat ex supradictis, quod Prior nominatio consanguinei fuit in substantia venditio, amisit vidua ipso facto emphyteusim per legem Regni suprà citatam *lib.* 4. *Ordinationis, tit.* 38. §. 2. quæ disponit quod emphyteuta, qui vendiderit emphyteusim inconsulto domino directo, ipso facto amittat omne ius quod habebat in emphyteusi: si ergo vidua per primam nominationem, quæ fuit venditio, amisit omne ius quod habebat in emphyteusi, iam non potuit dictam emphyteusim secundâ vice donare nepti, illam nominando, quia nemo dat quod non habet: & præterea, quia

donatio facta à non habente potestatem, est nulla, vt omnes concedunt.

Ad hoc argumentum respondetur solutione clarâ, & efficaci, quæ talis est. Demus enim quod vidua per primam nominationem, quæ fuit venditio, incurrerit pœnam legis ipso facto, & amiserit ius quod habebat in emphyteusi, adhuc tamen dictam emphyteusim poterat donare nepti, quia contra prædictá viduam nondam erat lata sententia declaratoria, per quam declararetur illam incurrisse pœnam legis, & amissionem emphyteusis. Est autem communis omnium sententia, quod licet quis committat crimen propter quod lex imponit certam pœnam ipso facto incurrendam (exceptâ excommunicatione) talis transgressor legis non se debet reputare tali pœnâ iam ligatum, donec speciali sententia declaretur à iudice, quod pœnam incurrerit. De hoc multa dicit, & multos Doctores citat Sanchez *lib.2. Decalogi, a num.6.* maximè *num.20.* vbi ait, quod licet lex imponat pœnam ipso iure, seu ipso facto, addens *absque vlla declaratione*; adhuc ad incurrendam talem pœnam est necessaria sententia iudicis declaratoria, quâ declaretur non pœna, sed crimen ob quod imposita est talis pœna. Idem tenet Bonacina *tomo 2. tit. de constitut. disput. 3. q. 8. puncto vltimo, num. 2.* vbi citat alios. Et est pulchrum exemplum quod tradit Bonacina *tom. 1. tit. de irregularitate, disp. 7. q. 1. puncto 4. num. 9.* citans ad hoc Sanchez, & quamdam decisionem Rotæ, cum quibus ait Bonacina, quod Clericus beneficiarius, qui commisit homicidium, propter quod fit irregularis, & incurrit ipso facto priuationem beneficij, non perdit de facto beneficium, donec per sententiam declaratoriam iudicis declaretur priuatus. Imò addit Bonacina, quod prædictus Clericus sic irregularis,

laris, ante sententiam declaratoriam iudicis, potest validè resignare beneficium in fauorem alicuius. Idem colligitur ex Zerola 1. *p. praxis, verbo, Priuatio*, §. *Ad primum.* Imò addit idem Zerola *eadem prima parte, verbo Renunciatio*, §. *sextum accusatus*, quod Clericus accusatus iam de delicto, potest validè renunciare beneficium antequam conclusum sit in causa: & citat pro se Boërium. Dato igitur quod dicta vidua per priorem nominationem consanguinei, quæ fuit venditio, incurrerit pœnam amissionis emphyteusis, cùm tamen de hoc nunquam fuerit accusata, neque contra illam lata fuerit sententia declaratoria, licitè, & validè potuit pœnitere, & facere secundam donationem, vel nominationem neptis. Secundò respondetur ad hoc argumentum, quod vt emphyteuta incurrat in pœnam commissi, & amissionem emphyteusis propter venditionem illius absque licentia domini directi, requiritur traditio realis rei emphyteuticæ, sicut docet Mantica *de tacitis & ambiguis conuention. lib. 25. tit. 2. num. 11. & lib. 22. tit. 28.* dicens, quod non sufficit ad hoc traditio rei per clausulam constituti. Et in hoc casu quando vidua primò nominauit consanguineum, quando dixit se in illum transferre omne ius, *&c.* non interuenit realis traditio rei emphyteuticæ. Et ex consequenti non incurrit pœnam commissi, neque mansit inhabilis ad nominandum secundâ vice: maximè quando emphyteuta reuocat priorem nominationem, vt vidua fecit antequam condemnaretur. Fauet quod tradit Mascardus *tomo 2. de probat. conclus. 609. num. 50.* vbi citatis textibus iuris ciuilis probat quod res vendita nondum tradita manet in bonis venditoris.

Ad primum argumentum initio positum quatenus citat legem Regni dicentem, non posse emphyteutam

secundo

secundo loco nominare postquam aliquem prius nominauit transferendo statim in illum omne ius, dominium, ac possessionem, quam habet in re emphyteutica, respondetur prædictam legem intelligi quando emphyteuta prius nominauit modo licito, non contrario ipsi legi. Hæc autem vidua in prima nominatione nominauit illicitè, nominauit enim vendendo, vt manet probatum in præcedentibus, quod contrariatur alteri legi Regni supra citatæ, & sic nominatio fuit nulla; & proinde potuit illa iterum nominare vsque ad mortem, iuxta aliam legem Regni citatam *lib.* 4. *Ordinat.tit.* 37. Imò in conscientia tenebatur prædicta vidua reuocare primam nominationem, & secundò nominare neptem descendentem, quam tenebatur prius nominare; & illâ nepte extante non potuit nominare consanguineum remotum transuersalem, sicut manet probatum in superioribus. Iuxta illud commune dictum: *In malè promissis rescinde fidem.* Et hinc manet responsum ad secundum argumentum initio positum, quo dicebatur non posse vnum contrahentem recedere à contractu, altero inuito; dicendum est enim id verum esse quando contractus fuit licitus, & legibus conformis: quando verò contractus est illicitus, & legi contrarius (vt fuit prima nominatio, seu venditio) non solùm potest alter contrahens recedere à contractu altero inuito, sed potius tenetur recedere, vt si v.g. contractus fuit vsurarius, tenetur recedere à contractu. Et in hoc casu prima nominatio consanguinei facta cum illis conditionibus quod nominatus daret nepti, & filiæ tot pecunias: & quod solueret debita, &c. fuit clara venditio emphyteusis reprobata à lege, & proinde à tali contractu tenebatur vidua recedere etiam inuito prius nominato.

Restat

Restat respondere ad quandam clausulam, quam posuit vidua in sua prima nominatione, quæ fuit hæc: *Dato autem casu, quod ista mea nominatio non sortiatur effectum, illique ego contradixerim, obligo me ad soluendam talem pecuniæ summam ipsi nominato.* Quæritur enim, an dato quod nominatio non est sortita effectum culpâ ipsius viduæ reuocantis nominationem, teneatur prædicta vidua soluere nominato prædictam pecuniam, ad quam soluendã se obligauit? Respondeo ad id viduam non teneri. Probo ex Sanch. *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 7. *n.* 17. vbi citat textus, & Doctores dicentes, quod quando contractus principalis non valet, nec pœna illi adiecta valebit: accessorium enim sequitur naturã principalis. In hoc autem casu contractus principalis, id est prima nominatio fuit nulla, eo quod interuenit venditio: ergo pœna illi adiecta, quæ dici potest pœna conuentionalis, cùm sit accessoria contractus, erit etiam nulla, & proinde viduam nõ obligabit. Addo ex eodem Sanchez *ibidem n.* 18. quod quando lex contractui resistit, nulla oritur naturalis obligatio, pro quo multa citat Sanch. *cit. loco n.* 16. præcedente. Et vt ibidem probat, mulier præsumitur ignorare suũ ius, & iura sibi competentia. Probatur secundò, nam vidua obligauit se ad solutionem talis pecuniæ in pœnam culpæ, quam putabat se committere contraueniendo primæ nominationi. At constat quod in reuocatione primæ nominationis non commisit culpam, cùm potius teneretur reuocare vt patet ex dictis, imò laudabiliter egit, cùm neptem nominauit: ergo cùm in hoc non interuenerit culpa, nõ incurrit pœnam: vbi enim culpa non est, pœna locum non habet, vt dicitur in Regula 23. *de reg. iuris in* 6. & Doctores iuris ciuilis in alia regula simili, quæ dicit: rem quæ culpâ caret in damnum vocare non

conue

conuenit:& cap.*Sicut dignum,de homicidio*,pro quo amplius videri potest Sanchez *lib.1.de matrim.disp.36.n.4.* Tertiò probatur, quia illa clausula apposita à vidua, fuit pœna conuentionalis,quæ solet apponi in contractibus,maximè in contractibus venditionis(qualis iste fuit)vel in contractibus mutui, in quibus emptor, seu mutuatarius se obligant ad talem pœnam,si non soluerint in termino assignato. At constat,quod venditio est illicita, & iniusta, si illi fuit pœna conuentionalis adiecta in pœnã morosæ solutionis,talis pœna non obligat,vt patet:ergo idem omnino dicendũ est in isto casu nominationis, vel venditionis illicitæ. Tertiò probatur,quia maior est obligatio iuramenti,quàm simplicis contractus, per quem homo obligatur homini,per iuramentum verò obligatur Deo. At constat quod iuramentum factũ de implendo contractu nullo,non obligat;vt si quis alteri iurauerit quod occidet Petrũ; imò peccabit si impleat tale iuramentum:ergo pœna apposita cõtractui nullo minus obligabit. Et proinde pœna soluendi talem pecuniam nominato adiecta per hanc viduam si contradiceret priori nominationi,cùm fuerit apposita contractui,seu nominationi illicitæ, illam minimè obligabit. Quartò probatur ex traditis à Rabello *tomo de obligat. inst. 2.p. lib.9. tit.de vsuris, q.9.n.4.* vbi loquens de pœna conuentionali solita poni in contractibus (qualis fuit ista)probat quod talis pœna non debetur,quando apponitur contractui,qui iuxta dictamen rectæ rationis nequit impleri,vel si contractus sit contra leges rationi naturali nitentes. Prima verò nominatio consanguinei fuit contractus venditionis factus contra legem Regni fundatam in ratione naturali, dictante quod dominus directus emphyteusis non fraudetur suo laudemio per venditionem occultam emphyteusis:

phyteusis : ergo pœna conuentionalis adiecta primæ nominationi illicitæ non obligabit viduã. Vltimò probatur, quia si hæc vidua quando primò nominauit, sciret talem nominationem taliter factam esse nullam, & contra legem, nullo modo talem pœnam conuentionalem apponeret, nec admitteret, vt patet: & proinde constat quod in tali pœna consensit ignorans : qui autem consentit ignorans, non verè consentit, vt probat glossa *in Clementina 1. de procuratoribus, in verbo, scienter*, adducens multos textus vtriusque iuris, quos ibi videre poteris. Et confirmatur, quia nemo per votum, iuramentum, vel promissionem obligatur vltra id ad quod non se obligaret, si aduerteret dum promisit, vt docet Innoc. Panorm. Hostiens. Sylu. Angelus, Armilla, & alij citati à Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 2. num. 6. & seqq.* sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS LXVI.

De quodam Parocho non comitante defunctos ad sepulchrum.

QVidam Parochus indignatus, quod multi ex suis Parochianis eligebant sepulturam in quodam Conuentu Ordinis Minorum, eo quod inde defraudabatur emolumentis funeralibus, imprimis ipse nolebat comitari defunctum quando deferebatur ad monasterij sepulturam. Deinde iussit sacristæ vt non pulsaret campanas Ecclesiæ, sicut fieri consueuit pro mortuis quando defunctus esset deferendus ad monasterium. De quo Parochiani valdè conquesti, & molestati sunt. Et proinde quæsitum est, an Parochus hoc licitè posset facere?

1 Respondi

1 Reſpondi hunc Parochum in multis peccaſſe, primò, quia ipſe ex officio tenetur ſuum Parochianũ comitari ad ſepulturam, eidémque ibi dicere orationes conſuetas dici ab Eccleſia tẽpore quo corpus ſepulturæ traditur: ſicut enim Parochus tenetur viuenti Parochiano ſacramenta miniſtrare, ita tenetur eidem Parochiano defuncto facere illa, quæ tota Eccleſia conſueuit, quale eſt defunctum comitari ad ſepulturam, ibidémque pro illo preces fundere. Quale etiam eſt laudabilis conſuetudo Eccleſiæ, vt pro defuncto viro ter, & pro fœmina bis campanæ pulſentur: de qua pulſatione defunctus reportat commodum, quia fideles ad talem pulſationem pro defuncto preces ad Deum fundũt: ad hoc enim Eccleſia campanas pulſari inſtituit in morte fideliũ, vt pro defuncto fiant orationes, teſte Durando *in Rationali diuinorum officior. lib. 1. c. de campanis.*

2 Secundò: Parochus iſte impedit priuilegia fratrum Minorum, quibus Innocentius IV. *in compendio Mendicantium, verbo* Sepultura §. 1. conceſſit vt in Eccleſiis illorum ſit libera ſepultura ita quod nullus valeat impedimentum præſtare, quominus poſſint omnes volentes ibidem liberè ſepeliri. At iſte Parochus ſuo illo facto, & mandato impedit ne liberè homines eligant ſepulturã in Eccleſiis Minorum: impedit, inquam, ſaltem indirectè, quia per duas illas moleſtias non aſſociandi, & non pulſandi campanas retrahit homines ab eligenda ſepultura in Eccleſiis Minorum. Nam impediens media ad finẽ, dicitur impedire talem finem: ſicut è contrà, concedens aliquem finem, dicitur concedere omnia media, per quæ poteſt acquiri talis finis. de quo Nauar. *in diſt. 5. de pœnit. in gloſſ. ſumma n. 28. & 29.* citans multos. Media autem ad finem ſepulturæ, ſunt aſſociare defunctum, & pro illo campanas pulſare.

3 Tertiò:

3 Tertiò : Parochus iste facit contra ius canonicum, de quo constat *in titulo de sepulturis*,quod electio sepulturæ est quid liberum , adeò vt filius pubes possit eligere sepulturam inuito patre , vt ex *cap. de vxore*, §. 2. *eodem titulo.* Item ex eodem *tit. de sepulturis, cap. Fraternitatem*, *iuncta ibi glossa*, verbo , *Ad noua, & minus religiosa loca* , constat quod eligere sepulturam in loco magis religioso , est laudabilius. At Ecclesia fratrum Minorum , & cæterorum Monasteriorum sunt loca magis religiosa cæteris paribus , quàm Ecclesiæ Clericorum : nam in Ecclesiis Religiosorum, deuotius , & frequentius fit officium diuinum in publico , & particulares orationes pro defunctis ex statuto Ordinis funduntur certis diebus,quod non sic fit vtplurimum in aliis Ecclesiis non regularibus : ergo cùm laudabilius sit eligere sepulturam in loco magis religioso , non potest hic Parochus hoc impedire, sicut impedit suo facto, & mandato contrariis. Si verò obiicias , hoc non esse impedire directè , sed indirectè. Respondeo sufficere si impediat indirectè. Nam quando lex aliquid prohibet ne fiat , non solùm prohibet oppositum fieri directè , sed etiam indirectè , vt habetur in lege , *non dubium* , *Cod. de legibus.* Cùm ergo iste Parochus saltem indirectè contradicat concessioni factæ Minoribus pro libera sepultura in illorum Ecclesiis , iuxta *citatum Compendium , verbo , Sepultura* , sequitur quod si monitus à conseruatore Ordinis non desistat , poterit ab eodem conseruatore declarati excommunicatus : iuxta concessionem Leonis X. factam Patribus Eremitis D. Augustini *in compendio Mendicantium , verbo , Priuilegia* , §. 21. vbi dictus Leo sic illis concessit : *Quod sæculares si contraire mari magno , vel cuiquam concessionum fratrum Eremi-*

tarum D. Augustini temerè ausi fuerint, pro excommunicatis publicentur. Si autem Clerici fuerint præter censuram supradictam dignitatibus, & beneficys priuati sint. Sic ibi. Quo priuilegio gaudent etiam fratres Minores, vt est notissimum.

4 Hoc idem probatur nouissimè ex quodam Quinternione declarationum DD. Cardinalium, qui missus fuit anno 1627. ad Nuncium Collectorem Hispaniæ pro omnibus Religionibus, & eidem D. Collectori iniunctum fuit à DD. Cardinalibus, vt in omnibus Regnis Hispaniæ publicaretur. In quo Quinternione impresso Madriti anno 1626. fol. 34. in fine, sic habetur: *Declarando, y mandando la dicha sacra Congregacion que los Paroches, y Clero secular en los entierros, y acompañamientos de los difuntos de los fieles, que se an de enterrar en las Iglesias de los Regulares, los lleuen hasta las puertas de las Iglesias de los dichos Regulares*, &c. Ecce quomodo Parocho imponitur obligatio associandi parochianum suum defunctum vsque ad portas Ecclesiæ Religiosorum, si apud ipsos elegit sepeliri.

5 Vltimò, occasione illius, quod suprà dixi hunc Parochum suo facto, & mandato impedire ne homines eligant sepulturam in loco magis religioso, & fraudentur sua deuotione, potest applicari illud quod dicitur 1. *Reg. cap.* 2. de puero Sacerdotis, qui tempore sacrificij veniebat ad immolantes, & vi auferebat carnem crudam, non enim volebat carnem coctam deferre, ex quo immolantes indignabantur, subdit ibi textus in hunc modum: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Hoc idem suo modo de hoc Parocho dici potest, qui non associans defunctum suum

Parochia

Parochianum vſque ad ſepulturam electam in Monaſteriis, nec ſinens pro tali defuncto campanas pulſari, retrahit homines ab eligenda ſepultura in loco magis religioſo.

CASVS LXVII.

De donatione facta à quodam Religioſo.

QVidam Religioſus grauis ratione cuiuſdam officij habebat licentiam dicendi Miſſas pro ſua intentione ; & expendendi pecuniariam eleemoſynam ex illis collectam in vſus, & neceſſitates proprias, licitas, & honeſtas. Hic Religioſus ſine expreſſa licentia Prælati promiſit cuidam nepti ſuæ filiæ ex ſorore quinquaginta ducatos in adiutorium dotis : paulò pòſt mortuus eſt Religioſus & dicti quinquaginta ducati manſerunt apud virum quemdam, qui Miſſas dicto Religioſo commendabat. Illo mortuo, dicta neptis probauit coram Prælato ſuo Eccleſiaſtico ſæculari dictum Religioſum ſibi promiſiſſe illos quinquaginta ducatos. Prælatus ſæcularis visâ probatione promiſſionis, iuſſit illos tradi prædictæ nepti. Prælatus Religioſus dicti fratris defuncti accurrit impedire volens ne traderentur nepti, eo quod illa pecunia acquiſita per Religioſum intra Religionem, & mortuum intra Monaſterium, pertinerent ad Monaſterium : nec proinde de illis pr tuiſſe Religioſum illum, vel prælatum ſæcularem a ter diſponere.

1 Quæſitum eſt, an dictus Religioſus potuerit nepti tantam pecuniam promittere, & proinde v

donare? Et videtur quod potuerit. Nam cùm Religio illi Religioso concessisset, vt pecuniam collectam ex eleemosynis Missarum insumeret in subleuandis suis necessitatibus licitis,& honestis:illa necessitas succurrendi nepti consanguineæ, & pauperis, erat necessitas ipsius Religiosi propria, licita, & honesta: & proinde Religio quæ illi licentiam dederat expendendi illam pecuniam in necessitates proprias, tacitè eidem concessit licentiam vt prædictam pecuniam posset expendere in necessitatem neptis, cuius necessitas erat etiam necessitas ipsius Religiosi. Nam taciti, & expressi idem est iudicium,vt habetur *in lege,de quibus, in fine, ff.de legibus, & l.cùm quid, ff.si certum petatur.* Et latè Euerardus loco *ab expressò ad tacitum.*

2 Quod tamen illa pecunia pertineat ad Monasterium, non verò ad neptem constat clarè ex illo dicto communi, & regula dicente, quod quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterium, vt habetur *in cap. Multos, & cap. Cum olim, de priuileg.* & latè probat Nauar. *in tractat. de reddit. Ecclesiast. q.* 3. & *q.*1. *monit.* 7. Hanc autem pecuniam acquisiuit Monachus, & intra Monasterium: ergo ad Monasterium pertinet. Quod adeò verum est,vt bona quæ Religiosus apostata aquisiuit in apostasia extra Ordinem existens, si reuertitur ad Ordinem, pertineant etiam ad Religionem, vt latè, & efficaciter probat Rodrig. *tom.* 1. *qq. q.* 30. *art.* 10. ad quod ibi adducit priuilegium Leonis X. id concedentis Minorum Religioni. Strictissimè profecto in hac materia locuta sunt iura antiqua: duo tantùm referam magis spectantia ad intentum. Primum est, capitulum, *Non dicatis* 12. q. 1. vbi postquam dixit Religiosum nihil debere sibi proprium vocare, subiungit de Religiosis sic loquens:

loquens: *Certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia.* Secundum capitulum iuris canonici est *in cap.2. de statu Monach.* vbi ex Concilio Lateranen. sic dicitur de Religioso moriente cum aliqua pecunia: *Et qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam.* At iste Religiosus donauit quinquaginta ducatos sine expressa licentia Prælati, de tali enim licentia expressa non constat; de tacita statim dicemus: ergo talis Religiosus non potuit licitè tantam pecuniam promittere, nec donare. Et quod talem licentiam Prælati expressam ad sic donandum non habuerit, signum clarum est quod ipse Prælatus Religionis eo mortuo impedire voluerit traditionem pecuniæ: hoc enim non faceret si sciret Religiosum habuisse licentiam expressam Prælati ad tam magnam donationem faciendam.

3 Secundò idem probatur, quia nec ipse Prælatus illi dare poterat licentiam tam amplam donationem faciendi. Verum quidem est, posse Religiosum de licentia Prælati aliquid donare, attentâ qualitate personæ, regulâ, & statutis Religionis, quæ semper considerandа sunt in donationibus factis à Religiosis. At quod Religiosus possit donare quinquaginta ducatos, neque ego audiui, neque puto in aliqua Religione practicari. Nam etiam Princeps sæcularis tam amplam eleemosynam facere non solet priuatæ personæ. Benè potest hoc colligi ex Bulla D. Papæ Clementis VIII. quæ incipit, *Religiosæ Congregationes*, in qua strictissimè prohibebat Religiosis largitionem munerum erga sæculares. In qua vt donatio Religiosi etiam de rebus ordinariis licitè fieri posset, requirebat Pa-

pa non solùm licentiam expressam Prælati, sed etiam consensum capituli Conuentualis. Et quod attinet ad quantitatem rei donandæ, dicebat Papa debere esse tantùm leuia, seu leuiora, quam quantitatem Sorbo Capucinus in expositione eiusdem Bullæ apud compendium Mendicantium satis rigorosè explicat in suo cómentario prædictæ Bullæ §. *Tamen contrarium.* Quia tamen ego scrupulos nolo iniicere, scio Sanchez *lib.* 7. *Decalogi cap.* 19. *num.* 12. asserere quod prædicta Bulla Clementis VIII. de largitione munerum cum illis rigoribus non fuit recepta in Hispania. Hoc tamē non tollit quin standum sit iuri canonico suprà citato, & regulæ ac statutis cuiusque Religionis, quas puto non solere consentire, vt suus Religiosus donet quinquaginta ducatos vna vice, sicut si esset Princeps sæcularis.

4 Ad argumentum in contrarium adductum in principio, dico malè colligere quòd ex eo quod Religio assignet huic Religioso pecuniam collectam ex Missarum celebratione pro suis necessitatibus, videatur eidem Religioso concedere vt totam illam pecuniam donet consanguineo pauperi. Nam quando Religio concedit alicui Religioso peculium aliquod pro suis necessitatibus, intelligit pro necessitatibus personalibus, quales sunt vestitus, cibus, medicinæ, emere libros, & similia. Et ad has necessitates non pertinet maritare puellas, etiam consanguineas: quia hoc non est necessitas propria personalis. Confirmatur hoc ex eo quod tradit Sanchez *lib.* 7. *Decalogi cap.* 22. vbi concedit posse Religionem concedere alicui Religioso peculium aliquod ob iustam causam. Explicans verò quæ sit hæc iusta causa concedendi peculium alicui Religioso, ait esse, pro victu, & vestitu Religiosi, quando illi monasterium non suppeditat necessaria:

cessaria : vel ad emendos libros,quibus discat. Et non facit mentionem de subuentione donando consanguineis. Denique hoc ego confirmo ex illa regula iuris *in 6.* quæ dicit : *In concessione generali non veniunt ea quæ quis in speciali non esset concessurus.* Sic eodem mo- ... illa concessione generali , qua Religio conces- ... ictam pecuniam huic Religioso , non venit ille ... us donandi quinquaginta ducatos consanguineæ, quia iste casus in speciali non esset concedendus à dicto Prælato iuxta praxim Religionum Ad id verò quod addit argumentum , eandem esse rationem taciti, & expressi,dico id posse explicari, quando constat quod concedens expressum , non denegaret tacitum : secus quando colligitur , & scitur quod concedens expressum , non concederet illud tacitum ad quod recipiens vult donationem extendere : iuxta regulam proximè explicatam.

CASVS LXVIII.

De filiofamilias eligente sepulturam.

QVidam filiusfamilias quindecim annorum in infirmitate constitutus , ex qua obiit , dixit coram testibus velle se sepeliri in quodam Conuentu Ordinis Diui P. Francisci. Hoc ipsum voluit antea pater ipsius , qui fortè id filio persuasit , vt idem eligeret, ac diceret coram testibus. Mortuo filio Parochus voluit impedire sepulturam in Monasterio , allegans quod pater non haberet sepulturam propriam , nec auorum , neque filium potuisse eligere sepulturam,

& proinde sepeliendum esse in propria Parochia: Quo, non obstante pater prædictum filium sepeliri fecit, in eodem Conuentu D. Francisci; & Religiosi eiusdem Conuentus funus comitati sunt.

Quæsitum est primò, an dictus pater potuerit filium sepelire in Conuentu prædicto contradicente Parocho. Secundò, an Religiosi, qui dictum funus comitati sunt, incurrerint aliquam censuram?

1 Respondeo primò, quod si iste filius non habebat 14. annos completos, poterat pater illum sepelire vbicumque voluisset. Sic colligitur ex *cap. de vxore*, §. *Virùm autem, de sepulturis*: vbi dicitur, quod pater poterit eligere sepulturam filiis minoribus, dummodo non extet consuetudo in contrarium. Idem tenet Hostiensis ad titulum citati proximi capitis *num.* 5. vbi ait, patrem posse eligere sepulturam filio impuberi, nisi vigeat contraria consuetudo: & in hoc Regno Portugalliæ non credo vigere contrariam consuetudinem. Idem tenet Rodriguez *Addit. ad sum. tom.* 4. *cap.* 130. *conclus.* 11. *citans Syluest.*

2 Dico secundò. Si iste filius excedebat annum decimumquartum pubertatis, vt dicitur in informatione, ipse per se sine patre potuit eligere sepulturam, etiam inuito patre; cùm enim iam haberet annos pubertatis, & liberum arbitrium, in his rebus animæ non pendet à patria potestate. Sic tenet clarè Hostiensis *citato loco num.* 5. & Rodriguez *citato loco* cum Syluest. cúmque iste filius haberet quindecim annos ætatis, & dixerit se velle sepeliri in Conuentu D. Francisci, frustrà, & sine causa id voluit Parochus impedire. Et aduerto quod si esset filia, & haberet duodecim annos ætatis completos, poterat eodem modo eligere sepulturam inuito patre: quia pubertas

pubertas in feminis contingit anno duodecimo ætatis completo. Sicut enim in tali anno potest contrahere validum matrimonium, ita & potest eligere sepulturam.

3 Tota dubitatio est: si filius erat iam pubes excedens annum 14. sed non elegit sepulturam, & viuebat sub patria potestate; an possit tunc pater illi eligere sepulturam, & sepelire vbi voluerit? Hoc dubium apud nullum inueni sic in speciali resolutum. Sed dico affirmatiuè posse patrem illi eligere sepulturam. Probo primò, quia in citato capitulo *de vxore, de sepulturis*, dicit Papa, quod non existente consuetudine in contrarium, potest pater eligere sepulturam filiis minoribus. Hic autem filius, de quo agimus, quamuis sit iam pubes, adhuc verè est minor. Nam filius degens sub patria potestate vsque ad annum vigesimum quintum, dicitur minor. Et quando lex non distinguit, neque nos debemus distinguere, vt tenent communiter Iuristæ. Papa verò citato capite sine distinctione dicit, posse patrem eligere sepulturam filiis minoribus. Secundò probo, quia iste filius licet sit pubes, adhuc tamen est sub patria potestate, & patri subiectus; ergo sicut pater ratione patriæ potestatis poterat, & potest eligere sepulturam filio impuberi: sic etiam ratione patriæ potestatis poterit eligere sepulturam filio puberi, quando talis filius illam non elegit: talis enim filius sepulturam non eligens clarè se remisit ad electionem, ac dispositionem patris. Tertiò hoc ego probo exemplo theologo, & in simili materia. Constat apud omnes Theologos in materia de voto: quod pater potest irritare quodcunque votum filij ante annum decimum quartum. Votum

verò personale filij factum post annum decimum quartum non potest pater irritare. Cum quo tamen stat quod si filius fecit votum personale ante annum decimum quartum, & tale votum non ratificauit post annum decimum quartum, poterit tunc pater tale votum irritare, quia tale votum factum ante pubertatem, & non ratificatum, adhuc subiicitur patriæ potestati, etiam si filius sit viginti annorum. Sic tenet Nauarrus *in sum. Latina*, *cap.* 12. *num.* 71. cum Caietano ibi citato, & Sà *in Aphorism. verbo*, *Voti irritatio*, *num.*5. citans Valentiam, & Ludouicum de Beia. Ergo si pater ratione patriæ potestatis potest irritare votum Religionis factum à filio ante annos pubertatis, & non ratificatum post pubertatem: bene poterit eligere sepulturam filio 20. annorum, qui illam non elegit, neque ante, neque post pubertatem. Minus enim est eligere sepulturam filio, quàm votum illius irritare. Et confirmatur, quoniam pater potest irritare omnia vota realia filij facta post pubertatem, etiam si sint vota realia mixta, vt sunt peregrinationes, & similia, vt tenet Sanchez cum multis *lib.* 4. *Decalogi*, *cap.* 35. *à num.* 21. cum communi Doctorum. Vltimò probatur, quia pater licet non possit annullare matrimonium contractum à filio, potest tamen, & tenetur dirigere filium in matrimonio eligendo, consulendo ne tale matrimonium contrahat eo quod sibi non conueniat, & in hoc tenetur filius patri obedire sub mortali, vt tradit Bellarm. *tom.*2.*de Sacram. lib.*1. *de Matrim. cap.*19. §. *Tertia propositio.* Si ergo pater potest dirigere animam filij puberis in eligendo matrimonio: bene etiam poterit dirigere corpus filij puberis mortui in eligenda illi sepulturà. Quod verò in præcedentibus dictum

est

est de patre in eligenda sepultura pro filio: idem dicendum est de matre, quod possit eligere sepulturam eidem filio deficiente patre, currit enim vtrobique eadem ratio vt videtur. Scio tamen, quod Rodriguez *citata concl.* 11. tenet quod mater, vel auus non possunt eligere sepulturam filio, vel nepoti: nisi vbi hoc fuerit positum in consuetudine. Et ideo ad illam remitto.

4 Ex dictis patet responsio ad primum quæsitum in principio. Et dico potuisse hunc patrem sepelire filium in dicto Monasterio duabus ex causis, prima quia filius pubes erat, & illam elegerat, & poterat eligere. Secunda, quia etiam pater eandem elegit, & poterat illam eligere filio puberi viuenti sub patria potestate, iuxta dicta toto num. 3.

5 Ad secundum quæsitum respondeo Prælatum conuentus, & Religiosos comitantes defunctum ad sepulturam nullam pœnam incurrisse, cùm talis defunctus legitimè elegerit sepulturam, iuxta probata in præcedentibus: & præterea quia prædicti Religiosi sepelientes illum, habent priuilegia, per quæ possunt sepelire illos, qui in suis Ecclesiis eligunt sepulturam.

CASVS LXIX.

De quodam Nouitio mortuo extra Conuentum in domo patris.

QVidam Nouitius habens patrem suscepit habitum in quodam conuentu certæ Religionis; post duos menses Nouitius incidit in grauem morbum, propter quem delatus est in domum patris sui cum

cum habitu Nouitij, & licentia Prælati, vt commodiùs curaretur in domo paterna. Inualuit morbus, & mortuus est in domo patris, in qua fuerat per tres menses. Ante mortem sæpius dixit se nolle esse Religiosum, nec rediturum ad Ordinem, eo quod careret salute, & viribus ad seruiendum in Religione, & hoc asseruit verbo, & firmauit scripto. Mater istius Nouitij erat iam mortua ante ingressum illius in Ordinem, & ad illum pertinebat portio legitima hæreditatis maternæ. Eo sic mortuo in domo patris, voluit illum pater sepelire in suo sepulchro paterno. Prælatus Religionis & conuentus, in quo fuit Nouitius, impediuit ne sepeliretur extra suum conuentum, sed sepeliendum esse in suo conuentu, & sic obtinuit à iudice Ecclesiastico, qui iussit illum sepeliri in conuentu vbi fuerat Nouitius, non absolutè, sed sub custodia, & quasi in deposito donec liti finis poneretur.

Quæsitum est primò, an prædictus Prælatus, & Conuentus habuerint ius ad sepeliendum in suo Conuentu, non obstante quod ipse iam verbo, & scripto dixisset se nolle esse Religiosum?

Secundò quæsitum fuit, an dictus Conuentus habeat aliquod ius ad hæreditatem illam maternam, quæ Nouitio competebat ratione matris defunctæ?

1 Ad primum quæsitum dico: si per testes constitit clarè, prædictum Nouitium verbo, & scripto dixisse se nolle esse Nouitium, nec reuersurum esse ad Religionem, nullum ius habent Prælatus, & Conuentus sepeliendi illum apud suum Conuentum. Probatur, quia licet Prælatus, & Conuentus habeant ius, & consuetudinem sepeliendi apud se suos Nouitios, iste tamen de quo agimus, cùm iam sæpius in morbo dixerit, & scripserit se nolle esse Religiosum, nec ad Or-

dinem

m reuerti:ipso facto desiit esse Nouitius,& proin- rælatus Religionis amisit ius circa illum, nec nde habet ius ad illius sepulturam.

oterit aliquis respondere, & probare, quod ille desiit esse Nouitius etiam si in domo patris di- et se nolle esse Religiosum: quia (dices) id de- t dicere coram Prælato Religionis, qui habitum dedit, & tenebatur coram eodem habitum Reli- nis deponere, ad eum modum, quo renunciatio icij, vel beneficij non potest fieri nisi coram eo, & manu illius, qui beneficium dederat: aliàs renun- atio facta extra illum, seu coram alio non valet: xta *capitulum* Admonet, *de renunciatione*, & cap. *De- que* 6. *q*.3. & cap. *Abbas* 18. *q*.2. Ad hanc obiectio- em dico, verum quidem esse iuxta citatos textus, re- unciationem debere fieri coram illo, qui benefi- ium dederat; sed illud debet intelligi solum de re- unciatione officij, vel beneficij, vt textus illi lo- quuntur. At renunciare Nouitiatum non est renun- ciare officium, vel beneficium: quia Nouitiatus ne- que est officium,nec beneficium,vt constat: & proin- de non est necessarium quod illius renunciatio fiat in manu Prælati. Hoc probo exemplo clarissimo. Si Nouitius tempore Nouitiatus clam fugiat à Conuen- tu, etiam cum habitu Religionis, clarum est illum desinere esse Nouitium cùm per talem fugam signi- ficet se nolle esse Nouitium, etiamsi deferat secum habitum Religionis, vt illum statim foris deponat. Nam Nouitius esse quis non potest inuoluntarius. Ergo cùm iste Nouitius extra Conuentum positus, verbo, & scripto declarauerit se nolle esse Nouitium, & in hoc proposito mortuus fuerit, non est censen- dus Nouitius, etiamsi id non dixerit coram Prælato,

neque

neque illi habitum Religionis restituerit. Si autem iam Nouitius non erat, non habet ius Prælatus Religionis ad illum sepeliendum: sed poterat ipse eligere sepulturam cùm esset quindecim annorum, vel saltem pater potuit illi sepulturam eligere, vt clarè constat ex casu 66. proximè præcedente.

2 Ad secundum quæsitum dico, prædictum Conuentum nullum ius habere in bona istius Nouitij ad illum spectantia ex hæreditate materna. Quod sic ostendo per partes. Primò, quia Monasterium non succedit in bona Nouitij nisi factâ professione, sicut est notissimum in iure; & succedit per professionem dummodo ipse professus aliud non disposuerit per testamentum, &c. At iste Nouitius non fecit professionem, vt constat, neque item fecit testamentum, vt suppono. Imò etiam si faceret testamentum in Nouitiatu, tale testamentum non fuit validum, quia non est secuta professio, quæ est mors ciuilis requisita ad validitatem testamenti: ergo prædictum Monasterium non succedit in bona materna Nouitij, cùm non succedat ex vi professionis, neque ex vi testamenti. Imò addo ex *cap.* licet pater, *de sepult. in 6.* quod filius non potest facere testamentum in morte de bonis suis nisi fuerint castrensia, vel quasi castrensia, absque licentia patris, sicut in citato capite exponit glossa in verbo, *Iudicare*. Probantur hactenus dicta ex *cap.* quia ingredientibus 19.*q.*3. vbi Papa Gregorius dicit, quod bona ingredientis Religionem, nisi professus de illis aliter disponat, pertinent ad Monasterium; vbi per verbum *Ingredientibus*, non intelligitur ingressus per Nouitiatum, sed ingressus per professionem. Quod clarè probatur ex ratione ibi tradita à Papa: quia inquit, isti sic ingredienti, gratia vlterius nulla fit testandi,

in

in quibus verbis clarè innuit se loqui de ingressu Ordinis per professionem, non verò de illis qui intrant per solum Nouitiatum: nam Nouitius potest testari liberè, non verò id potest professus. Et quia Nouitius nondum est filius Monasterij: Monasterium verò non succedit nisi ratione filiationis. Et quod ille textus, & similes allegati ad probandum, quod Monasterium acquirit hæreditatem ratione Religiosi, intelligantur ratione professi,non ratione Nouitij,tenet Azor *tom.*1. *lib.*12. *cap.* 8. *quæst.*1. & Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.*12. *num.* 4. pro quo ibidem citant alios textus, & Doctores. Cúmque hic Nouitius non manserit in Ordine per annum, sequitur quod non potuit testari: nec proinde potuit Monasterium in bona illius succedere.

3 Quod verò iste Nouitius non fecerit Monasterio donationem talium bonorum ad se pertinentium, suppono non constare de tali donatione. Et addo quod iuxta Concilium Trident. *sess.*25. *de regular.c.*16. Nouitius non potest facere vllam donationem nisi intra duos menses proximos ante professionem, & cum licentia Episcopi: & donatio aliter facta non est valida. Quinimo addit ibi Concilium, quod licet Nouitius faciat aliquam donationem cum prædicta solemnitate, si tamen professio non sequatur, talis donatio sit irrita, & nulla. In hoc verò casu non est secuta professio, vt patet: ergo licet Nouitius fecisset Monasterio donationẽ talium bonorum, donatio non valuit, quia non est secuta professio. Neque obstat quod mortuus sit cum habitu Nouitij, quia iam ille talem habitum renunciauerat, dicendo se nolle esse Religiosum. Et præterea, quia moriens in Nouitiatu non moritur Religiosus, neque professus,quia habitus non

non facit Monachum, sed professio, vt dicitur *in cap.* porrectum, *de regular.* neque item ex eo quod sepultus fuerit in Monasterio, dictum Monasterium acquisiuit vllum ius super bona illius: quia Ecclesia apud quam aliquis sepelitur, non acquirit ius super bona sepulti.

4 Confirmatur hoc etiam ex eo quod iste Nouitius carebat salute, & viribus naturalibus ad subeundam vitam monasticam necessariis: id enim bene confirmat quod ille ex corde, & animo fecit protestationem illam de non redeundo ad Religionem; & quod illam non fecit persuasus ab alio, sed obligatus ab ipsa necessitate. Imò stante hoc defectu sanitatis, & imbecillitatis, ipsa Religio non debebat, nec poterat illum admittere ad professionem: cum ex praxi omnium Religionum ante receptionem ad habitum fiat inquisitio exacta de sanitate & viribus Nouitij.

Vltimò declaratur, quod si pater istius Nouitij aliquid iam dederat Monasterio intuitu professionis, totum illud restituendum est patri iuxta expressum decretum Concilij Trident. *sess.25. cap.16. de regular.* vbi id præcipit sub anathemate.

CASVS LXX.

Dubia circa quoddam testamentum.

QVidam Canonicus cuiusdam Ecclesiæ Cathedralis morti proximus sic disposuit in suo testamento. *Nomino, & declaro, quod executores mei testamenti, seu testamentarij mei erunt, D. Canonicus Fullanus,*

Fullanus, & domina Fullana soror mea: quibus committo vt in recuperandis, dispensandis, & expendendis meis bonis ambo simul, & quisque illorum per se possint disponere quod libuerit: ad quod illis concedo omne ius, & facultatem, quam possum secundum iura. Item illos libero a faciendo inuentario quouis ordine iustitiæ sæcularis, vel Ecclesiastica: neque ab aliquo officiali iustitiæ possint circa hanc libertatem molestari. Item volo quod dicti testamentarij non sint obligati reddere rationem huius testamenti in aliquo certo, & limitato tempore, propter difficultatem, quam scio futuram in rebus aliquibus recuperandis, & negotiis expediendis: & quoniam confido de illorum amicitia, fidelitate, & zelo quod illud exequentur maximâ breuitate possibili. Et quod attinet ad personam, quæ mea bona hæreditate acceptura est, declaro quod sit Fullana neptis mea filia sororis meæ: sed talia bona illi non tradentur nisi tempore matrimonij contrahendi: & interim prædicta bona possidebit dicta soror mea. Et ex redditibus congregatis fiet aliquod cambium, vel negotiatio licita, & resultans ex dicto cambio dabitur patri, & matri eiusdem neptis meæ, ad illorum commodiorem sustentationem. Quo posito.

1 Quæritur primò, an supposito quod testator liberat testamentarios à conficiendo inuentario bonorum, possint ad illud faciendum cogi, maximè cùm hæres instituta sit sæcularis, & minoris ætatis: Et an debeant gaudere dilatione temporis concessi à testatore pro testamenti complemento: viso quod in illo continentur negotia difficilia, quæ non possunt expediri tempore à lege statuto: cùm sint negotia aliqua tractanda cum personis in India viuentibus?

Quæritur secundò, si dicta soror testatoris gaude-

re debeat his bonis, & fructibus illorum: an verò teneatur reddere rationem omnium bonorum stabilium, & etiam vtensilium domus quando hæres neptis matrimonio iungenda sit?

Tertiò quæritur, quomodo intelligenda sit illa clausula (de redditibus congregatis continentur enim in testamento aliquæ obligationes, quibus satisfacere necesse est: & videtur quod hæ obligationes testatoris præferendæ sunt omnibus alij legatis: illisque satisfactis curandum sit de redditibus dandis ad cambium pro sustentatione parentum neptis testatoris?

Vltra hæc extra testamentum, præcepit testator canonico testamentario, & cuidam famulo, de quo confidebat, vt vbi primum testator animam exhalasset, mitteret sororem ipsius testatoris scriniolum quoddam clausum, in quo continebantur res paruæ notabiles: & sic factum est per canonicum testamentarium.

Quæritur circa hoc scriniolum an fuerit voluntas testatoris illud donare absolute dictæ sorori suæ in possessionem perpetuam: & non includatur in bonis quæ dictæ nepti reddi iubentur pro tempore matrimonij. Nam præterquam quod id colligitur ex diligentia particulari, quà curauit illud scriniolum statim post mortem tradi sorori, constat, quod idem existens olim in alia ægritudine graui, in domo eiusdem suæ sororis, misit ad se è longinquo trahi dictu scriniolum, & illud tradidit sorori suæ cum omnibus quæ habebat nunc tempore mortis suæ. Quamuis tunc cùm primùm de priore infirmitate conualuit, dictum scriniolum reassumpserit: & declaratur, quod ambo valde adinuicem se amabant.

Respon

Responsio ad 1. *quæsitum.*

2 Primum quæsitum continet duo dubia. Primum est an iste testator potuerit liberare suos testamentarios à faciendo inuentario, ita vt illi omittentes dicti inuentarij confectionem nullam pœnã incurrerét. Et videtur quod iste testator non potuit dictos testamentarios liberare à confectione dicti inuentarij, nã lex ciuilis, maximè in *Ordinat. istius Regni lib.* 1. *Ordinat. tit.* 87. *in multis.* §. §. mãdat, vt mortuo testatore statim fiat inuẽtariũ, in quo describ tur omnia bona relicta à defũcto. Nemo autẽ particularis potest dispensare in lege superioris, vt constat apud omnes. Et præterea Iulius Clarus *lib.* 3. *q.* 66. *n.* 3. *in* §. *Testamentum*, citans Socinum, dicit esse opinionem communem, quod testator non possit remittere ne à testamentarijs inuentariũ conficiatur, quando manet aliquis vsufructuarius. Constat verò quod in hoc testamento pater, & mater istius neptis manent vsufructuarij istorum bonorum: vt clare constat ex vltimis verbis ipsius testatoris, in quibus iubet vt bona sua tradantur parentibus neptis quoad vsque nubat, ad commodiorem illorum sustentationem.

3 Hoc non obstante, dico quod iste testator de iure communi potuit liberare testamentarios, & hæredes à confectione inuentarij. Sic tenet clarè Molina *tomo* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 359. §. *Ego sub aliorum:* & in eodẽ *tomo disp.* 223. §. *Vtrum autem tutori*, amplius dicit, videlicet, quod testator potest remittere tutori ne faciat inuentarium de bonis pupilli, vel minoris. Pro quo citat legem vltimam §. *Illo Cod. Arbitrium tutel.* & hoc ipsũ, quod possit testator remittere tutori cõfectionem inuẽtarij, tenet Iulius Clarus *citat. q.* 66. *n.* 4.

Idem tenet Riccius *tom. 2. Decision. collect.* 21. vbi citat Guidon. Papam idem asserentem Et idem Molina priori loco proximè citato §. *Hinc melius*, citans Pinellam, & Molinam legistam *lib.* 1. *de primogeniis*, dicit esse opinionem communem, quod pater vsufructuarius in bonis aduentitiis filij, non tenetur conficere inuentarium solemne. Hic autem pater, & mater relicti sunt vsufructuarij in his bonis relictis à testatore, quæ sunt bona aduentitia filiæ, vt constat: & ideo non tenentur facere inuentarium, maximè cùm testator ipsos ab illo faciendo liberauerit. Addit nihilominus citato loco Molina quod si filius institutus hæres, petat à iudice vt iubeat fieri inuentarium, poterit iudex cogere ad illud faciendum. Quamuis autem iudex ad id non obliget, tenebuntur parentes in memoriali scripto scribere, quæ & quanta sint illa omnia bona aduentitia filio relicta, vt sciant quæ bona filio tradere debent tempore, quo matrimonium contraxerit, vel quando fuerit sui iuris effectus. Nec potest Iulius Clarus hoc negare: si enim ille *citato num.* 4. ait posse testatorem remittere tutori confectionem inuentarij de bonis orphano relictis, à fortiori poterit testator remittere patri vsufructuario relicto in bonis aduentitiis filij ne teneatur conficere inuentarium: plus enim timeri potest in tutore quod defraudabit bona pupilli non faciens inuentarium, quàm timendum sit in patre erga filium, qui naturali inclinatione thesaurizat filio.

4 Hinc manet clara solutio ad argumentum suprà positum *num.* 2. fundatum in lege iubente facere inuentarium: inter alias enim solutiones, respondetur, legem illam in hoc casu non habere locum, solùm enim

enim loquitur in casu, in quo relinquuntur orphani; & in hoc casu non relinquuntur orphani. Nam neptis hæres instituta habet patrem, & matrem,& proinde lex illa in hoc casu non obligat facere inuentariũ. Addo quod quando Iulius Clarus dicit non posse testatorem remittere vsufructuario confectionem inuentarij, id poterit intelligi de vsufructuario ordinario, qui non est pater,vel mater pro bonis aduentitiis filij. Non verò quando iste vsufructuarius fuerit pater filij instituti hæredis : nã in tali casu iste pater de iure communi habet vsumfructum bonorum aduentitiorũ quæ relicta sunt filio, & est obligatio illa bona tradi patri ; quoadvsque filius sit sui iuris effectus.

5 Addit Molina,& Iuliùs citatis locis,quod si creditores defuncti instẽt & petant à iudice vt faciat inuẽtarium,tenebitur illud facere,non obstante quod testator remiserit confectionem inuentarij. Nam (inquiunt) non potest testator remittere confectionem inuentarij cum damno,vel periculo priorum creditorum,qui habent ius ad aliqua bona testatoris In hoc autem casu non datur aliquod damnum, vel periculum creditorum, quia non constat quod testator debitis grauatus esset.Dixi supra dicta esse de iure communi,nam de iure particulari , poterit in aliquo regno aliter disponi, vel in aliqua diœcesi circa personas Ecclesiasticas : & proinde consulendæ sunt constitutiones particulares cuiusque Archiepiscopatus. Puto enim me audisse quod in Archiepiscopatu Eborensi est quædam constitutio decernens , quod mortuo quocunque Clerico , fiat inuentarium omnium bonorum quæ reliquit.Tunc enim currit obligatio illud faciendi. Si verò quæras an existente tali lege Ecclesiastica in aliqua diœcesi pręcipiẽtẽ fieri in-

uentariū de bonis Clerici defuncti,& lex nihil nouū addat, sed solum præcipiat vt fiat tale inuentarium. Quæris inquam vtrùm in tali casu locum etiam habeat id quod suprà diximus, videlicet, quod poterit Clericus testator remittere suo testamentario confectionem inuentarij? Credo quod etiam ibidem locum habebit, quia eadem ratio quoad hoc, videtur esse in lege sæculari. Sed declaro quod si lex alicuius Ecclesiæ dicat, vt fiat inuentarium, etiam si testator remittat confectionem illius, tunc ita faciendum est iuxta legis decretum. Hoc vnū scio quod in Archiepiscopatu Eborensi, *tit.* 20. §. *Quanto a os Clerigos*, vbi agitur de testamento quod possunt facere Clerici, & de quibus possint testari, non ibi præcipitur, nec exprimitur aliquid de faciendo inuentario de bonis Clerici defuncti.

6 Secundum dubium contentū in primo quæsito est, vtrùm si hoc testamētū nō poterit plenè executioni mādari tēpore à iure assignato, videlicet intra vnū annū, idq; propter distātiā Indiarū, in quibus tractāda sunt negotia pertinentia ad executionē testamenti, incurrent aliquā pœnam illi ad quos pertinet executio testamēti? Ad quod respondeo nullā pœnā illos incursuros, viso impedimēto tam lōgæ distātiæ. Probatur ex eo quod Doctores dicunt cōmuniter, videlicet quod legitimè impeditus nō incurrit pœnam legis, seu alio modo: quod legitimè impedito nō currit tēpus assignatum à lege. Sic decernitur *in cap.* Quia diuersitatē *de concessione prabendæ*, & *in l.* 1. *C. de annali except.* & tradit in simili materia Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 53. *n.* 7. citās alios Doctores. Et probatur etiā exēplo illius qui fuit citatus vt cōpareret coram iudice certa die, & non comparuit quia non potuit, si postea

postea comparens probet iustum impedimẽtum, propter quod non potuit comparere, auditur postea, & sua mora illi non nocet: sicut dicit Mascardus *tom.1. de probat.concl.29*; citans textus, & Doctores. Et faciunt etiã alij textus quos citat glossa *in cap.* His quibus *de elect.in verbo, Currit.* Adire verò Indias pro executione istius testamenti cum nauigatione difficili, & prolongata, est satis clarum impedimentum vt non currat tempus assignatum in lege pro completione testamenti.

Responsio ad secundum quæsitum.

7 Ad secundum quæsitum, dico primò, quod iuxta dicta in responsione ad primum quæsitum præcedens ex Molina, ista mater tenetur scribere in memoriali omnia bona immobilia, & mobilia, quæ possunt seruari, vt postea constet, quæ bona reliquerit testator tradenda hæredi. Dixi, bona immobilia, quæ possunt seruari; quia magnum est dubium de illis bonis mobilibus, quæ non possunt seruari, vt sunt vinum, triticum, & similia quæ diu seruari non possunt sine periculo corruptionis: An inquam ista bona vendi debeant, & illorum pretium seruandum sit hæredi pro tempore matrimonij? vel an pretium istarum rerum venditarũ applicandum sit ad cãbium imperatum à testatore pro sustẽtatione commodiore parentum? Vel an possint parentes hoc vinũ, triticũ, & similia quæ seruari nõ possunt, insumere in sua sustentatione? Et quidem securius erit vt tales res non seruabiles vendãtur, & pretium illarũ applicetur ad dictum cãbiũ, quia verba testatoris id sonare vidẽtur Hoc tamen non obstãte, credo quod si pater, & mater

consumpserunt in sua sustẽtatione hæc mobilia, quæ seruari non possunt, non tenentur illarum pretium applicare ad cambium, vel seruare filiæ pro tempore matrimonij. Moueor, quia testator satis bene affectus erat ad parentes puellæ, & sciebat post suam mortem manere triticum, vinum, & similia, quæ vẽdi possunt ea tamen non iussit vendi, quod est clarum signũ voluisse testatorem prædictas res relinquere ad sustentationem parentum hæredis, cuius mater erat soror ipsius testatoris. Confirmo hoc, quia quando constat de animo alicuius nimis propitio, & beneuolo erga aliquem, satis potest præsumi de tali bene affecto, quod habuerit mentẽ donãdi illud, de quo dubitatur. Cõstat verò, quod testator tam affectus erat ad parẽtes puellæ, vt iusserit creari cambium, seu censum ad illorum commodiorem sustentationem. Facit ad hoc quod tradit Nauarrus *in principio commentarij de spoliis Clericorum* §.2.*n*.5. citans Bartholum, & quendam textum, vbi sic ait Nauar. *Quod cùm intercedit iusta causa credendi quod dominus alicuius rei velle debeat, vt illa vtatur, vel capiat illam, eo quod sit amicus, aut cognatus, vel de ipso benemeritus, præsumitur in dubio illum sic velle.* Hic verò testator erat amicus, cognatus, & affinis parentum istius hæredis: ergo satis probabiliter credendum est illum voluisse, quòd soror ipsius, & maritus illius consumerent in sua sustentatione res illas mobiles, quæ seruari non poterant. Vltimò probo, quia minus est concedere alicui vsum simplicẽ, & nudum alicuius rei per quem res consumitur, quàm concedere illi vsumfructum eiusdem rei, per quem res non consumitur, vt patet in seruo, & in fratre Minore, quibus conceditur vsus simplex, & nudus rerum, non tamen vsusfructus: at hic testator

concef

concessit parentibus puellæ vsumfructum suorum bonorum immobilium vsque ad tempus matrimonij: ergo probabiliter credendum est quod eisdem reliquerit vsum simplicem, & nudum tritici, & vini, quæ vsu consumuntur.

Responsio ad tertium quæsitum.

8 Ad tertium quæsitum dico, quod ante omnia ex omnibus bonis relictis à testatore soluenda sunt debita creditoribus, si quæ extant: & deinde sunt exequenda alia legata pia voluntaria. Hæc est communis opinio Doctorum: & probatur, quia soluere debita, est obligatio de iustitia, quæ obligat sub peccato mortali, vt constat. At imperare legata pia est quid voluntarium: & proinde debita contracta prius soluẽda sunt quàm legata pia. Et sic expresse iubet constitutio Archiepiscopatus Eborensis *in titulo* 20. *suprà citato, in fine:* vbi loquens de modo, & ordine, quo obligationes testamenti debent executioni mandari, ponit hæc verba: *Et mandamus quod debita, & solutiones seruitiorum prius extrahantur à monte maiori, iuxta generalem consuetudinem istius Archiepiscopatus, & cæt.* Potest ad hoc videri Valerus Cartuxanus in suo libro de differentiis vtriusque fori, *verbo* hæreditas *differ.6.num.*2. vbi agit quomodo exoneranda sit conscientia defuncti.

Responsio ad quartum quæsitum.

9 Ad quartum quæsitum dico, quod ista soror testatoris securâ conscientiâ poterit sibi retinere in perpetuum scriniolum paruum, quod sibi dari iussit frater suus testator, cum circunstantiis dictis suprà

in informatione : & quod prædicta soror sibi ita retinere potest scriniolum illud absque eo quod illud tradat hæredi institutæ in tempore matrimonij , ex circumstantiis enim prædictis clarè colligitur quod Clericus testator illud dederit donatione liberali sorori suæ non verò nepti. Probo hoc primò , quia quando iste testator primâ vice in priore morbo dedit hoc scriniolum sorori suæ,dedit illud ipsi sorori, vt sibi proprium retineret , & non dedit vt daret filiæ:ergo in secunda vice tempore mortis credendum est , quod illud illi dederit sicut dederat prima vice. Præsumitur enim quis manere in sua priori bona voluntate, donec illam clarè reuocet. Ad hoc videatur Sanchez *lib.5.de matrim.disp.15.n.4.* vbi citat duas leges iuris ciuilis dicentes, quod mutatio animi non præsumitur in donante,nisi facto declaretur. In hoc verò casu secunda donatio scrinioli non fuit reuocatio prioris donationis, sed potius fuit confirmatio prioris donationis, in qua priori donatione dederat illud sorori , non verò nepti. Probo secundò ex eo quod dicitur *in cap.*Imprimis *2.q.1. & ibidem q.7.cap. Non potest* , vbi dicitur, quod ex præterito possumus præsumere circa præsens,&c.At in donatione præterita priori , testator iste dedit scriniolum sorori suæ tantùm, non verò nepti:ergo ex præterita illa donatione possumus,ac debemus colligere animum,quem habuit in præsenti secunda donatione fuisse donare sicut donauerat in præterita.Tertiò probatur ex coniecturis illis, per quas Doctores probant aliquem fecisse alicui veram donationem. Has coniecturas affert Mascardus *tom.1.de probation.concl.554.* quæ sunt istæ. Prima , quod donatio præsumitur inter coniunctos, & consanguineos ratione coniunctionis, &

consan-

consanguinitatis. Secunda, quod sola consanguinitas sufficit ad inducendam præsumptionem donationis. Tertia quod donatio præsumitur, quando quis diceret: concedo tibi hanc rē, nullâ causâ expressâ. Et idē Mascardus *tom.3. concl.*1417. tractans quæ coniecturæ dentur ad cognoscendam voluntatem donatoris, ait quod voluntas testatoris colligi potest ex personis quibus relinquitur. Secundò, quod maxime colligitur ex factis geminatis. Tertiò, quod colligitur voluntas testatoris ex factis ante, vel post testamentum. Quæ tres coniecturæ concurrerunt in ista donatione. Nam persona, cui dedit testator, erat soror, & amica. Secundò, intercessit donatio scrinioli geminata. Tertiò, testator post factum testamentum iussit vt vbi primùm spiritum Deo redderet, scriniolum deferretur ad sororem: quæ omnes coniecturæ sunt clara signa absolutæ donationis. Vltimò probatur hoc ex eo quod in responsione ad secundum quæsitum prope finem attulimus ex Nauarro *in commentario de spoliis Clericorum*, videlicet quod quando sunt coniecturæ amicitiæ, vel consanguinitatis, ex quibus colligitur, quod amicus, vel consanguineus velit, quod amicus, vel consanguineus rem suam capiat, vel illa vtatur, debemus credere, quod talis amicus, cuius res illa est, velit vt talis amicus rem illam capiat, vel illa vtatur. Et in hoc casu sunt multæ coniecturæ suprà citatæ, ob quas clarè credere possumus quod testator voluit vt sua soror, & valde amica sibi dictum scriniolum retineret sine obligatione dandi illud filiæ.

CASVS

CASVS LXXI.

De collatione sacrorum Ordinum sede vacante.

DE hoc fui interrogatus in quadàm sede vacante Cathedralis Olysiponensis. Dubitatum fuit, vtrùm capitulum sede vacante possit dare licentiam cuidam Episcopo titulari, vel etiam Episcopo Aduenæ ibi hospitanti, vt conferant Ordines sacros etiam extra tempora alicui Religioso habenti aliàs priuilegium recipiendi Ordines sacros vbicunque, etiam extra tempora, vt habent aliquæ Religiones? Et videtur quod id non possit facere capitulum sede vacante. Nam in Concilio Tridentino *sess. 7. cap. 10.* circa hanc materiam sic decretum est: *Non liceat capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias, seu reuerendas, vt aliqui vocant, & cat. concedere. Si secus fiat, capitulum contrauenien͂s Ecclesiastico subiaceat interdicto.*

Quæ [illegible] Tridentini, ibi, *Licentiam ordinandi* [illegible]entur loqui [illegible] licentia ordinandi actiuè, id est, non [illegible]ssit vllus Episcopus sede vacante aliquem Ordi[illegible]em sacrum conferre, nisi modo ibi præscripto, ar[illegible]o videlicet ratione beneficij. Secundò probatur, [illegible] illud decretum est lex generalis, & generaliter [illegible] patet, & generaliter prohibet ordinari in[illegible] sed[illegible]s vacantis, nisi arctatum ad recipien[illegible] Ordines ratione beneficij; at Religiosus non ar[illegible]ecipiẽdos Ordines ratione beneficij, vt patet:

tet:ergo cùm lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda,per citata à Nauarro *cõsilio 2.de foro competente num.*1. & cùm nos distinguere non possimus quando lex non distinguit l. *Non distinguemus* ff. *de recept. qui arbit.* Sequitur quod non possit capitulum sede vacante dare hanc licentiam vt Ordines possint recipere Religiosi. Exceptio enim illa de ordinandis solis arctatis ratione beneficij,firmat regulam,& alios omnes excludit.

1 Hoc non obstante,credo quod potest capitulum sede vacante dare licentiam Episcopo titulari, vel alteri Episcopo hospiti vt intra annum vacationis sedis, possit Ordines sacros conferre Religioso habenti licentiam sui prælati Regularis. Ante probationem suppono citatum locum Tridentini,continere tria: videlicet,ne dictum capitulum det licentiam ordinandi dimissorias,seu Reuerendas.Et hæc tria significant vnam tantum rem, videlicet dare Dimissorias scriptas ad Ordines sacros recipiendos.Sic intelligit Azor *tomo 2.lib.3.cap.38.q.10.* & Zerola 1.*p.praxis Episcop.verbo* Capitulum *n.*1.Henriquez *tom.2.lib.10.cap.22.num.3.*vbi hi Doctores citantes dictum locum Tridentini, solum dicunt, quod capitulum sede vacante non potest dare litteras dimissorias ad Ordines recipiendos.

2 Hoc posito probatur conclusio,quod possit capitulum sede vacante dare licentiam cuiuis Episcopo in illa vrbe,vel diœcesi existenti, vt conferat Ordines sacros Religioso habenti priuilegium recipiendi Ordines extra tempora, & licentiam prælati regularis intra annum sedis vacantis.Probatur inquam primò, quia quando duæ res ita sunt distinctæ,vt vna possit fieri sine alia;prohibitâ vnâ,non censetur prohibe

hiberi alia, vt facile erit exemplis declarare sed dare licentiam vt Episcopus titularis vel Episcopus hospes conferat Ordines in vna diœcesi, est res diuersa ab hac, quæ est dare Dimissorias ad Ordines, & illa prima sine hac secunda fieri potest: & hæc secunda sine illa prima etiam potest fieri, vt constat: ergo prohibito per Concilium ne dentur dimissoriæ intra annum vacationis, non prohibetur quin possit capitulum dare licentiam Episcopo titulari, vt intra illum annum det Ordines Religioso, cui Religioso capitulum non dat Dimissorias: sed talis Religiosus portat Dimissorias sui prælati regularis. Declaratur, & probatur amplius, quod sint res diuersæ. Nam capitulum sede vacante dans licentiã Episcopo hospiti vt conferat Ordines in hac diœcesi dat illi facultaté, vt exerceat pontificalia in hac diœcesi, quod aliàs Episcopus facere non poterat. At capitulum dans Dimissorias ad Ordines concedit licentiam subdito Clerico, vt vadat extra diœcesim ordinari. Et Conciliũ Tridentinum prohibens capitulo ne det Dimissorias intra annum, non prohibuit ne det licentiã Episcopo hospiti faciendi pontificale in vrbe sedis vacantis: cùm ergo hæ duæ res, dare licentiam vt conferantur Ordines Religioso, & dare Dimissorias, sint res distinctæ & vna sine alia possit existere; prohibitâ secundâ non censetur prohiberi prima. Secundò probatur conclusio, quia illa prohibitio Tridentini, ne capitulum sede vacante det Dimissorias, solùm intelligitur quoad Clericos subditos capituli. Hoc expresè tenet Henriquez *cit. cap. 22. num. 3.* vbi sic ait: *Capitulum sede vacante non potest sæcularibus clericis dare Reuerendas intra annum vacationis, & cæt.* Ecce quomodo clarè loquitur solum de capitulo erga Clericos sæculares,

non

nō verò erga Religiosos, qui nō sunt subditi capituli.
3 Consonat hoc cum quadam declaratione Cardinalium citatâ à Marzilla in suo primo tomo impresso anno 1618. & citat illam Farinacius in suo tomo declarat. & decisionū, & omnes eandem declarationem Cardinalium citāt ad caput 10. sess. 7. Tridentini. Declaratio sic habet: *Capitulum sede vacante potest concedere licentiam extero Episcopo exercendi pontificalia in eorum Ecclesia, & Ordines conferendi, tam Clericis illius diœcesis, quam exteris habentibus dimissorias suorum Episcoporum, iuxta tamen formam huius decreti.* Sic ibi. Ecce quomodo prohibitio illa Tridentini, quoad Ordines conferendos intra annum vacationis solùm loquitur, & exponitur de Clericis: nusquam verò per Clericos intelliguntur Religiosi. Et confirmatur ex ipso nomine, Dimissoriæ: nam dimissoriæ non dantur nisi subdito, vt vadat ad Episcopum alienum, vt ab ipso possit ordinari, vt suprà diximus: at Religiosi non sunt subditi capituli sede vacante: ergo prohibitio dandi dimissorias pro ordinibus sede vacante, non intelligitur de Religiosi. Hi enim si sede vacante voluerint ire ad aliū Episcopatū pro Ordinibus suscipiendis, nō deferūt dimissorias capituli, sed suorum prælatorum regularium, Ex quibus abundè constare videtur posse capitulum sede vacante dare licentiam Episcopo titulari, vel extero Episcopo, vt intra annum vacationis dent Ordines sacros Religiosis.
4. Circa hæc potest quæri: an si Episcopus, vel Archiepiscopus defunctus dum viuebat, dedit licentiam generalem Episcopo titulari, vel alteri Episcopo extero, vt posset celebrare ordines in sua diœcesi, possit hic Episcopus titularis, vel Episcopus hospes cōferre Ordines absque noua licentia capituli sede vacante?
Respon

Respondeo duo. Primum est, capitulum posse reuocare licentiam datam ab Episcopo mortuo, & prohibere Episcopo titulari, vel extero, ne Ordines conferat, vel põtificale exerceat in sua diœcesi. Probatur claré, quia capitulum sede vacante succedit Episcopo mortuo in omni iurisdictione ordinaria, quam mortuus habebat, vt latè probat per multos textus Azor *tom. 2. lib. 3. ca. 37. q. 6.* ergo sicut Episcopus præcedens poterat, dum viueret licentiam à se datam reuocare, sic poterit eandem reuocare capitulum succedens mortuo quoad omnem iurisdictionem. Et confirmatur, quia capitulum sede vacante potest reuocare Vicarium generalem, quem Episcopus mortuus constituerat: ergo poterit etiam reuocare licentiam ab Episcopo mortuo datam.

5 Secundò dico, quod si capitulum non reuocauerit licentiam ab Episcopo mortuo datam Episcopo titulari ad Ordines conferendos, poterit Episcopus titularis eosdem Ordines conferre post mortem Episcopi quando Ordines celebrauerit. Probo, quia gratia facta non expirat morte concedentis, vt fusè probat Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *num.* 64. citans multos, & graues Doctores. Et *eadem disp. num.* 83. adducens aliqua exempla: idque intelligit, quando gratia, seu licentia facta est absolutè sine limitatione temporis. Sed in hoc casu gratia, seu licentia dandi Ordines in hac diœcesi est iam facta, & perfecta ab Episcopo, & data absolutè, vt suppono: ergo non expirat mortè concedentis: sed potest illâ vti quamdiu capitulum non reuocauerit. Ponit Sanchez citato loco exempla, vt dixi. Quale est hoc. Si Episcopus alicui concessit licentiam ad suscipiendos Ordines, & post datam licentiam moriatur Episcopus,

ſcopus vel ad aliã diœceſim trãsferatur, talis licentia non expirat per mortem,vel tranſlationem Epiſcopi. Alia exempla ponit Sanchez citato loco quæ poſſunt ibi videri.Et quamuis vt dixi, doctrina hæc ſeruiat etiam pro Epiſcopo extero exiſtente in vrbe capituli ſede vacante, cui mortuus Epiſcopus facultatem dederat celebrandi Ordines in ſua diœceſi, clariùs tamen locum habet in Epiſcopo titulari morante in diœceſi capituli ſede vacante:nam cùm Epiſcopus titularis non habeat diœceſim in actu,aliqualiter dici poteſt quod habet diœceſim in hac vrbe ſedis vacantis in qua habitat,& pro qua fuit creatus Epiſcopus titularis ad exercenda pontificalia. Et ſic conferendo Ordines ſede vacante alicui Religioſo , abſque licentia capituli,ſed cum licentia Epiſcopi mortui,non dicetur propriè exercere pontificalia in aliena diœceſi ſine licentia Epiſcopi.

6 Ad argumẽtum in principio poſitum in contrarium,dico primò, Verba illa Tridentini, *Dare licentiam ordinandi*,Non ſignificare ne detur licentia Epiſcopo titulari,vt conferat Ordines in diœceſi vacante : ſed hoc ſolum velle vt non dentur Dimiſſoriæ Clericis intra annum ſede vacante. Vidimus enim ſupra,quod illa verba, *Licentia ordinandi*, nihil aliud ſignificant quam dare Dimiſſorias ad ordines Et hæc prohibitio dandi Dimiſſorias,non prohibet quin capitulum intra annum vacationis poſſit dare licentiam Epiſcopo conferendi Ordines intra eundem annum, vt manet clarum ex dictis;& hoc quantum ad ordinandos Religioſos,qui non ſunt ſubditi Capituli.Et proinde citata verba Tridentini, *Dare licentiam ordinandi*:non ſumuntur actiuè,id eſt vt ordinet Epiſcopus:ſed ſumuntur paſſiuè,ideſt ne ordinetur Clericus

subditus capituli. Ad secundum quod citatur in argumento, quod lex generaliter loquens, generaliter sit intelligenda: & quod lege non distinguente nos non debemus distinguere. Respondeo legem Concilij non loqui generaliter, nec sine distinctione: iam enim diximus ex supra adducta declaratione Cardinalium super Tridentinum, quod Concilium solum prohibet intra annum vacationis ordinari Clericos subditos capituli, non verò Religiosos, qui non sunt subditi capituli. Dico præterea, ipsam legem Concilij distinguere: nam ipso facto quod solum prohibet dari Dimissorias Clericis, non prohibet dari licentiã Episcopo, vt Ordines cõferat Religioso nõ subdito capituli.

7 Quæris adhuc: an si capitulum sede vacante, post annum dederit Dimissorias alicui ad Ordines recipiendos, hæc licentia expiret electo, & ingresso nouo Episcopo illius eiusdem diœcesis: Barbosa *in remissionibus ad Tridentinum sess. 7. cap. 10. num. 3. citat.* Gonzal. Petrum de Ledesma, Quaranta, & Gutier. qui omnes dicunt non expirare talem licentiam. Quod potest confirmari à simili: suprà enim dixi cum Sanchez licentiam ad Ordines datam ab Episcopo non expirare per mortem Episcopi concedentis, vel per translationem illius ad alium Episcopatum. At capitulum sede vacante succedit Episcopo mortuo quoad omnem iurisdictionem ordinariam, quam mortuus Episcopus habebat vt sup. diximus cum Azorio: ac proinde eadem erit ratio vt non expiret licentia data à capitulo sede vacante pro Ordinibus recipiendis etiam post ingressum noui Episcopi.

CASVS

CASVS LXXII.

De quoddam apostata à Religione intuitu succurrendi pauperi matri.

SOlent aliquando aliqui Religiosi inquietare prælatos, Ordinis, dicentes patrem vel matrem suam pati extremam necessitatem: & proinde volunt sibi dari licentiam manendi extra conuentum pro subuentione illorum: & ideo posui hic præsentem casum.

Quidam Religiosus habens matrem viduam, & pauperem, ter, vel quater fugit à conuentu allegans matris necessitatem, quam ipse dicebat extremam: sed factâ vera diligentiâ, constitit quod necessitas matris, neque erat extrema, neque grauissima, sed solum grauis. Voluit Religio hunc Religiosum repudiare propter illas apostasias. Ille allegauit, quod non fuerit apostata, eo quod exiret à conuentu ad succurrendum matri extremè indigenti, in qua necessitate lex naturalis dictat teneri filium subuenire parenti sic indigenti.

1 Huius occasione quæritur an Religiosus habens matrem, vel patrem constitutum in graui, vel grauissima necessitate, quæ non sit extrema, teneatur exire à conuentu pro tali necessitate parentum subleuanda: & proinde si prælatus ad sic exeundum neget licentiam, & ille exeat à conuentu absque licentia, iudicandus sit apostata?

Ante responsionem noto, quod extrema [illegible] tas sic definitur communiter à Doctoribus

in qua aliquid ita est necessarium vitæ alicuius, vt ex signis quæ apparent, videatur quod sine illo mox, aut breui tempore finietur vita ipsius. Necessitas grauis, seu grauissima, est necessitas magna, & notabilis & quæ miserabilis dici potest, sed citra extremam, qualis est Mendicantium hostiatim, morbus aliquis incurabilis, & sic de cæteris.

2 hoc posito, dico: Si parentes Religiosi egeant extremè, obligatur filius Religiosus sub mortali illis succurrere: Si verò id non possit facere nisi exeundo à conuentu, & prælatus neget licentiam, potest exire absque aliquo peccato, vel apostasia, ad succurrendum parentibus sic extreme indigentibus. De hac conclusione nemo dubitat. Si enim extremè indigenti vnusquisque proximus tenetur succurrere, etiam non consanguineus: id maiori iure tenetur facere filius, & Religiosus: & proinde non immoror in illa probanda.

3 Dico secundo: Si mater Religiosi, vel pater sint in necessitate graui, vel grauissima, non potest Religiosus filius exire à conuentu vt illis succurrat absque licentia expressa sui prælati. Sic tenet, & probat fusè & efficaciter Sanchez *lib.4. Decalogi cap.* 20. *n.* 17. vbi dicit, quod numquam filius tenetur exire à monasterio vt succurrat parentibus absque licentia superioris. Et citat ad hoc Alexand. de Ales, D. Thomam, Caietanum, Gabriel. Abulensem, Henriquez, Antonin. & Rosellam, & alios. Probat Sanchez primò, quia obligatio filij ad succurrendum parentibus obligat illum quantum status Religiosi patiatur, & se extendit: sed status Religiosus pro sola subuentione necessitatis grauis circa parentes non commodè patitur, nec se extendit, vt illis subueniat habitans

tans extra conuentum cum illis: ergo non potest illis sic succurrere, absque licentia prælati. Probat Sanch. minorem exemplo clarissimo: Nam filius habens vxorem, & simul habens parentem in graui necessitate, non tenetur, imò nec potest relinquere domum vxoris vt habitet cum parente grauiter indigente. Æquale verò vinculum, vel obligatio est (si non dicam maius in aliquibus) subditi ad Religionem, atque est viri ad vxorem. Et hoc argumentum conuincit. Secundò probat, quia per professionem subditus traditur Religioni, seu prælato, sicut mortuus: at res vni tradita non potest illi auferri vt parentibus subueniatur quando necessitas non est extrema, vt si dedi Ecclesiæ centum aureos, post illos datos non possum reuocare donationem vt subueniam parentibus grauiter indigentibus. Ergo à simili Religioso donato Religioni per professionem non est licitum se ab illa subtrahere absque voluntate prælati, vt succurrat graui necessitati parentum. Secundò principaliter videatur Nauarrus *in commentario de Regular. ad caput Nullam. 8. q. 1. num.* 48. vbi dicit cum D. Thoma, Caiet. & alijs, quod si necessitas patris est solum grauis: & pater hanc necessitatem non habebat antequam filius professionem emitteret, sed superuenit patri post filij professionem; non tenetur filius exire à monasterio vt succurrat patri. Quod ibi probat ratione, quam dicit se posuisse in suo manuali latino: quod idem approbat Reginald. *tom. 2. lib. 10. cap. 2. de obligat. filiorum n. 13. §. Tertia conditio.* Vbi rem hanc curiosiùs, & clariùs disputans, dicit: quod vt filius professus licitè possit exire ad subueniendum patri, necessitas parentum debet esse verè extrema: nam licet illorum necessitas sit

ita grauis, vt non possint parentes viuere nisi mendicando, aut seruiendo alijs cum notabili sui status indecentia, non possunt parentes filium reuocare ad domum suam. Et addit, quod necessitas extrema rarissimè contingit, sicut suprà diximus. Vnde infert non esse securum in conscientia filium professum, qui prætextus paupertatis parentum, egreditur à conuentu sine licentia superiorum. Addit vltimò Reginaldus quod dato quod filius exierit cum licentia, si post egressum iussus fuerit à prælato redire oblatis necessarijs pro subuentione parentum, tenetur filius redire. Et citat Reginaldus ad hoc intentum illud exemplum Christi Domini, qui *Luc. 9*. Adolescenti, qui iam cœperat sequi Christum Dominum, & petenti licentiam vt iret sepelire patrem suum mortuum, denegatâ licentiâ, dixit illi Christus Dominus, *sinite mortuos sepelire mortuos suos*. Et quando Reginaldus *citato numero* 13. dicit, teneri prælatum dare licentiam filio Religioso vt exeat ad subueniendum parentibus, loquitur clare quando necessitas est extrema, non verò quando est grauis tantũ, vel grauissima.

4 Circa illud verò particulare quod dicit Reginaldus, videlicet non teneri filium Religiosum exire ad subueniendum matri solùm laboranti graui necessitate, etiam si propter illa cogatur mendicare ostiatim: Hoc inquam ego limitarem, nisi talis mater, vel pater ex mendicatione maximam paterentur verecundiam, & ignominiam: tunc enim credo, & Religiosum teneri exire, & prælatum teneri ad dandam licentiam, quia in tali casu illa necessitas reputatur extrema. Probo exemplo adducto ex ijs quæ Doctores tradunt in materia charitatis. Ibi enim dicunt, quod si homo nobilis deueniat ad talem paupertatem, quod

quod nihil habeat pro fame vitanda, & vita tuenda, nisi mēdicare ostiatim, non peccat talis homo sinere potius se mori, quàm mendicare ostiatim: quia, vt aiunt Doctores, non tenetur vitam sustentare cum tanto suo damno, quale est hominem nobilem mendicare ostiatim: & proinde hanc necessitatem reputant extremam. Quod bene potest applicari ad intentum, an filius debeat exire ad subueniendum patri laboranti solâ graui necessitate, quando pater, vel mater sunt nobiles, & non habent aliud remedium, nisi viuere ostiatim mendicando.

CASVS LXXIII.

De quoddam Rebaptizato.

QVidam baptizatus fuit à quodam Clerico descendente ex Hebræis (vulgo *Christiano nouo*) propter hoc solum inquietus viuebat, eo quod vt plurimum male suspicaretur de similibus personis in sacramentorum administratione propter multos casus in hac materia iam visos. Quæsiuit an propter hanc solam dubitationem potuerit rebaptizari sub conditione? Et videtur, quod id nullo modo possit fieri. Nam in *capite* Rebaptizare *de consecrat. dist.* 4. dicitur, quod rebaptizare hominem catholicum immanissimum scelus est. Et *eadem distinct. cap. Quis bis*, pœna grauis imponitur rebaptizanti, & ex alijs textibus taliter rebaptizans fit irregularis. Secundò, quia *in cap.* A quodam Iudæo eadem distinctione

cum Bulgari quærèrent à Papa Nicolao an rebaptizandi eſſent quidam homines, qui fuerant baptizati à quodam Iudæo de quo non conſtabat an eſſet paganus, an Chriſtianus: Reſpondit Papa non eſſe rebaptizandos propter cauſam quam ibi aſſignat. Quod ſi illud Papa reſpondit de Baptiſmo collato ab homine tali Iudæo, multo magis idem reſponderet de Baptiſmo hoc collato à Clerico non Iudæo, ſed ſolùm deſcendente ab Hebræis iam conuerſis, & habitis pro Catholicis. Tertiò, quia ſi ob cauſam aliquam poſſet hic rebaptizari, eſſet quia de tali Clerico poteſt præſumi mala intentio in miniſtratione Baptiſmi: at de proximo bene præſumendum eſt, quamdiu non extant rationes vrgentes in contrarium, quas vrgentes rationes ſuppono non dari ad malè præſumendum de hoc Clerico in particulari: ergo illius Baptiſmus ab eo collatus, non poteſt iterari: alioqui iniicerentur Catholici multi in multos laqueos, qui à ſimilibus Sacerdotibus ſunt baptizati.

1 Memor ſum quod in meo primo tomo *Reſponſionum caſu 28.* diſputaui caſum iſtum de quodam ſimili baptiſmo dato à quodam Clerico deſcendente ab Hebræis, de quo tamen erant indicia vehementia, ob quę credi poterat illum non habuiſſe intentionem baptizandi. Et duo ibi principaliter dixi. Primum fuit, Nullum peccatum commiſſurum illum, qui ſtante tali dubio ſe iterum faceret baptizari ad cautelam. Secundò ibi dixi, & defendi hunc baptizatum ab hoc Clerico non teneri, nec debere iterum baptizari ad cautelam, ob rationes efficaces ibi adductas. Et in his duobus adhuc perſiſto. Quia tamen tunc nondum videram Bullam Domini Papæ Pauli Quinti circa non promouendos ad officia habentia

bentia curam animarum, Clericos descendentes ab Hebræis conuersis de qua Bulla statim dicam. Nec videram quendam tractatum hac de re specialiter confectum a viro satis religioso, & docto; visum fuit temperare aliqua in parte a me dicta in illo citato casu 18.

2 Igitur Dominus Papa Paulus Quintus in quadam Bulla anno 1612. emanata, & Olysippone impressa anno 1613. rigorosè prohibuit pro tota Hispania ne aliqua persona descendens ab Hebræis conuersis vsque ad septimum gradum inclusiuè, posset promoueri ad aliquod officium, vel beneficium habens curam animarum, & quod secus factum sit irritum, & nullum. Dicit ibi Papa in proœmio Bullæ, se hoc facere, vt occurrat scandalis, & periculis animarum. In quo clarè innuit suspectos valde esse tales descendentes ab Hebræis circa curam animarum, & sacramentorum administrationem, à qua salus animarum dependet; & in quorum sacramentorum mala administratione, animæ fidelium scandala, & pericula incurrunt. Pro qua adhuc Bulla necessarium est notare, quod non descendentes ab Hebræis denuo conuersis nondum sunt in septimo gradu: quod sic probatur. Constat ex historijs Regni quod Iudæi venerunt expulsi à Castella ad hoc Regnum anno 1481. & proinde intrarunt Portugaliam, in qua omnes baptizati sunt 155. abhinc annis: demus autem quod quis illorum in propria persona vixerit solum annis quinquaginta, quatuor personæ facientes quatuor gradus iam excedunt 155. annos: & sic hodie descendentes ab illis conuersis sunt descendentes in quarto gradu ad summũ: Papa verò excludit illos, & nõ presumit de illis vsque ad septimũ gradũ. Quo posito.

3 Sit *prima conclusio.* Iste baptizatus à Clerico descendente ab Hebræis, potest quietari, & securus esse, nec tenetur baptismum iterare ad cautelam. Hæc satis efficaciter à me probata fuit suprà citato *casu* 28. *mei libri Responsionum moralium* per multa quæ ibi adduxi in casu omnino simili, imò difficiliori, quæ non libet hîc repetere. Idque satis probat citatum suprà capitulum à quodam Iudæo *distinctione* 4. *de consecratione*, vbi Papa clarè dicit quod baptizatus à Iudæo, si protulit veram formam Baptismi non est rebaptizandus. Videantur quæ dixi loco citato.

4 *Secunda conclusio.* Ille qui baptizatus à Clerico isto descendente ab Hebræis fecerit se rebaptizari ad cautelam pro tollendo magno suo dubio non peccabit, nec pænas rebaptizantium, vel rebaptizatorum incurret. Hanc etiam posui *cit. casu* 28. *num.* 2. quam tamen hoc loco amplius probo. Primò, quia quando quis aliquid operatur ex præsumptione iuris & de iure, non peccat, cùm operetur, & opinetur conformiter ad legem sic præsumentem: sed contra hos descendentes ab Hebræis in septimo gradu, per citatam Bullam D. Pauli V. est præsumptio iuris, & de iure quod non fideliter sacramenta ministrant, ideo enim illos à cura animarum excludit: ergo non est peccatum de illorum baptismo dubitare, illiusque iterationem procurare. Maior & consequentia sunt claræ. Minor declaratur, & probatur ex traditis à Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 37. *num.* 7. *&* 8. vbi docet quod præsumptio iuris, & de iure tunc datur, quando ius suæ præsumptioni ita innititur, vt ex ea certum quid statuat: quod clarè cernitur in hoc casu. Nam Papa Paulus V. præsumit de his descendentibus ab Hebræis, quod

non

non fideliter sacramenta ministrent, & innixus huic præsumptioni statuit, ne tales descendentes ab Hebræis habeant curam animarum : ergo in hoc datur præsumptio iuris, & de iure : & proinde operans iuxta illam in iteratione baptismi, non agit temerariè, nec proinde peccat. Secundò probatur ex eo quod Doctores tradunt circa iudicium temerarium, dicunt enim quod si cogito malum de proximo nullum habens indicium, vel friuolum indicium ad sic cogitandum, pecco mortaliter. Si verò habeo indicia vehementia ad sic suspicandum, non pecco, iuxta Azor. *tom.3.lib.13. cap.11.§. Dubium tertium* & alios. At quod hi Clerici descendẽtes ab Hebræis, non rectè ministrent sacramenta, sunt indicia vehementia, id est quotidiani casus, in quibus multi illorũ in actibus sancti Officij confessi sunt sæpius non habuisse intentionem conficiendi sacramenta quando illa ministrabant: ergo non iudicat temerariè qui hoc de illis iudicat, & secundum hoc iudicium procurat iterationem baptismi ab illis collati. Declaratur hoc ex eo quod docent dialectici, de demonstratione sensitiua; videlicet, hic ignis calefacit, & ille ignis calefacit, & sic de cæteris : ergo omnis ignis calefacit. Sic suo modo: talis, & talis, & talis horum hominum hoc confessus est circa sacramenta : ergo moraliter omnes sunt tales, quod argumentum in materia morali pondus habet.

§ Secundò principaliter probatur eadem conclusio : nam quod hic numero baptismus datus etiam ab homine non suspecto, fuerit verus baptismus, non est de fide, sed est opinio: solum enim est de fide, quod baptismus rite collatus sit sacramentum ; & det gratiam, non verò de hoc numero baptismo, qui pendet

ab

ab intentione nobis ignota ipſius baptizantis. Sit exemplum. Eſt de fide, quod hoſtia ritè conſecrata eſt verum ſacramentum:non tamen eſt de fide, quod hæc hoſtia in particulari conſecrata à Petro ſit verum ſacramentum : neſcimus enim de fide an ſit verus ſacerdos,& an habuerit veram intentionem conſecrandi. Tunc ſic. Non eſt de fide, ſed eſt opinio, quod hic numero baptiſmus collatus à Clerico etiam non ſuſpecto, ſit verum ſacramentum : ergo multo minus erit de fide, neque erit certum quod baptiſmus collatus à Clerico ſuſpecto, ſit ſacramentum:ſed erit ſolũ opinio, contra quã poſſimus opinari. At contra hunc baptiſmum datum ab hoc Clerico ſuſpecto deſcendente ab Hebræis, ſunt multa, & magna indicia,quod non fuerit rite collatus, ſicut vidimus in primo argumento:ergo nullum eſt peccatum practicare contra hunc numero baptiſmum per iterationem alterius ad cautelam:quia licitum eſt agere contra opinionem dubiam, & minus probabilem, quando contra illam vrgent indicia. Et in materia animæ, ſeu in his, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, tenenda eſt pars ſecurior,vt patet per tres textus iuris canonici citatos à gloſſa in *Clementina* exiui de paradiſo *de verb.ſignificatione*,paulò poſt initium in verbo *Item quia*,& tradit Sanchez *lib.2.de matrim.diſput.36. num.* 8. *& ſequentibus*. Et hoc ipſum de opinione fauente ſecuritati animæ,tenet Suarez *tom.de ſacramentis, in materia de baptiſmo diſputat.22. ſect.2.* vbi citat Concilium Africanum, & Concilium Vormacienſe, in quibus dicitur,quod ne homo ſubijciatur periculo damnationis ob carentiam baptiſmi, in dubio inclinandum eſt in fauorem baptizandi. In hoc verò noſtro caſu, ſatis eſt dubium de hoc baptiſmo, de quo

quæ

quæritur: ergo fauendum est homini baptizando ad cautelam.

6 Tertiò probatur omnino ex ijs quæ tradit Sanchez *lib.2.de matrim. disp.36.n.8.* vbi probat in substantia, quod quando datur periculi magni timor potest eligi opinio minus probabilis. Adducit Sanch ad hoc quædam verba Dominici Soto laudata, & commendata à Nauarro ibi citato. Verba Soti sunt hæc: *Licet quis habeat opinionem alicuius partis, & solam alterius formidinem: non tenetur sequi opinionem, si inde magnum inueniet alicui periculum; & formido alterius apparentem habeat probabilitatem. Quia periculum graue facit, vt in mortalibus formido præponderet opinioni.* Sic Sotus apud Sanchez. Quod dictum optimè facit ad intentum. Nam demus quod sit opinio probabilis, quod baptismus ab isto Clerico fuerit ritè collatus; quia tamen formido opposita apparentem habet probabilitatem, & simul habet timorem magni periculi, ne scilicet homo careat baptismo. Ista formido tanti periculi habens apparentem probabilitatem, præponderat illi opinioni, quid ille sit verè baptizatus.

7 Quartò probatur ex eo quod tradit Sanchez *libro 2.de matrimonio disputatione 36.num.4.& 5.* vbi ex cap. *Quoniam, §. Porro, vt lite non contest.* & alijs textibus probat, quòd mulier cuius maritus per longum tempus fecit absentiam, expectabit illum donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur, cùm sit crimen suspectum in fide contrahere secundum matrimonium durante primo: datur tamen licentia mulieri contrahendi secundum matrimonium si verisimiliter præsumatur de morte primi veri. Ergo à simili poterit recipi secundò baptismus, si verisimiliter credatur, quod prior baptismus fuit nullus. Denique

potest

potest ad hoc facere dictum Diui Augustini citatum in *capite* Si quis autem, *de pœnitentia, distinctione* 7. vbi sic ait: *Ergo tene certum. dimitte incertum.* De quo multa ad propositum tractat Nauarrus ad citatum caput. Adhuc non omitto citare Henriquez, qui *tomo primo, libro* 2. *de Baptismo numero* 2. ponit hæc verba: *Vbi apud prudentes probabile dubium facti est circa Baptismum, aut est dubium iuris, iterum est baptizandus sub conditione.* In hoc verò nostro casu probabile dubium est apud prudentes de Baptismo isto collato à Clerico suspecto. Et eodem loco tenet Henriquez, quod in hoc casu stante tali dubio nec rebaptizantem ad cautelam, nec sic rebaptizatum peccare, neque incurrere aliquam pœnam.

8 Ad primum argumentum in oppositum adductum, dicendum est illos duos textus dicentes rebaptizationem esse scelus immane, & per illam incurri irregularitatem, intelligi quando fit rebaptizatio non extante dubio de valore baptismi, idque fit ex malitia, & absque vlla causa: si enim fiat extante dubio facti, vel iuris circa valorem baptismi, nullum est peccatum, neque pœna, illum iterare sub conditione; sicut dixit Henriquez loco proximè citato; vbi glossa littera *K*, citat aliquos Doctores, & dicit esse opinionem communem. Idem tenet Bonacina *tom.* 1. *disp.* 7. *de baptismo q.* 3 *puncto* 3. *num.* 4. citans alios. Et addit quod non est necessarium vt sic rebaptizans ore dicat: *si non es baptizatus, ego te baptizo*: sed satis esse quod illam conditionem in mente retineat. Ad secundum argumentum dicendum est primò, quod quando Papa Nicolaus respondit non esse rebaptizandos baptizatos à Iudæo illo, dicere voluit, non esse baptizandos de obligatione, seu sub obligatione: per

per quod non videtur prohibuisse quin possent baptizari de consilio ad maiorem securitatem, & sub conditione, qualiter nos dicimus posse fieri. Secundò dico ad eundem textum, Papam sic respondisse, quia de illo Iudæo non dabantur grauia indicia quod esset malè affectus ad sacramenta Ecclesiæ, quemadmodum hodie dantur grauia indicia de descendentibus ab Hebræis circa res fidei, vt suprà diximus constare ex tot casibus experimento probatis. Ad tertium argumentum respondeo præsumendum esse bene de proximo, nisi dentur sufficientia indicia ad præsumendum malè de illo, vt supra diximus *num.* 4. cum Azore, quod non est iudicium temerarium iudicare malè de proximo quando ad sic iudicandum dantur indicia grauia, & sufficientia.

9 Sed insurgit non leuis difficultas, an si iste sic rebaptizandus sit sacerdos, vel habeat Ordines sacros, post istam iterationem baptismi, debeat etiam iterare Ordines sacros, quos receperat: Et quidem si hæreticus, qui baptizauit, publicè per sententiam confessus est, se numquam vere baptizasse; taliter rebaptizatus tenebitur iterum illos sacros Ordines recipere. Cùm enim baptismus sit ianua sacramentorum, ita vt sine illo nullum sacramentum alicui prosit: & constet certò ex confessione prius baptizantis defuisse verum baptismum, Ordines sic ab illo recepti fuerunt irriti, & nulli. Si verò solum detur dubium de valore baptismi collati ob maculatam genealogiam baptizantis, & fuit secundò baptizatus ad cautelam, credo non teneri ad iterandos ordines iam susceptos, sed posse continuare in exercitio illorum. Tum quia non constat clarè de nullitate prioris baptismi: tum

quia

quia non est eadem ratio de iterandis Ordinibus sacris, ac de iterando baptismo. Nam sacramentum Baptismi est magis necessarium ad salutem, quàm sit sacramentum Ordinis. Tum denique, quia sicut ego possum modò sequi vnam opinionem probabilem, & paulò pòst sequi aliam contrariam opinionem probabilem: sic etiam in hoc casu videtur quod possit sequi opinionem probabilem in iteratione Baptismi, & illam non sequi in iteratione sacrorum Ordinum; & scio sic responsum fuisse Olysippone in hoc casu à grauibus Theologis hac de re consultis.

CASVS LXXIV.

De electione cuiusdam prælati localis facta per Prouincialem.

IN quodam conuentu, qui habebat 14. vel quindecim Religiosos, mortuo prælato locali eiusdem conuentus, Prouincialis voluit eligere alium prælatum localem per suffragia Religiosorum eiusdem conuentus. Et paulò ante electionem, abstulit ab illo conuentu quatuor, vel quinque Religiosos, de quibus non confidebat, quod darent suffragium illi, quem Prouincialis prætendebat eligere, & hos quatuor vel quinque Religiosos misit ad alios conuentus, vt habitarent ibi. Et pro his quatuor, vel quinque quos abstulit, posuit de nouo alios octo Religiosos sibi propitios, & tunc præcepit omnibus vt procederent ad electionem. Vicarius, seu præses illius conuentus appellauit à tali electione, Prouincialis dixit

dixit illum non posse appellare, neque illum esse partem ad appellandum quinimo illi præcepit cum censuris, vt daret suum suffragium in electione. Factâ sic electione, electus est vnus Religiosus quem Prouincialis confirmauit in prælatum localem conuentus. Et declaratur, quod statim finitâ electione, Prouincialis abstulit ab illo conuentu vnum ex illis octo Religiosis, quos paulò ante electionem adduxerat ad electionem adduxerat ad electionem celebrandam.

Quæsitum est primò, an dictus Vicarius, vel præses conuentus potuerit validè appellare à tali electione?

Secundò, an dictus Vicarius incurrerit aliquam censuram non obediendo prælato mandati post appellationem vt daret suffragium.

Tertiò, an talis electio facta cum illa noua translatione Religiosorum valida fuerit?

Responsio ad 1. *quæsitum.*

1 Ap primum quæsitum dico, prædictum Vicarium potuisse valide appellare à tali electione. Probatur primò ex *cap.* Non solent 2. *quæst.* 6. vbi dicitur, quod potest appellare omnis ille cuius aliquid interest. Intereat vero Vicario bonam electionem conuentus fieri, tum quia erat pars præcipua illius conuentus, tum quia erat vnus ex suffragatoribus, siue de corpore capituli. Quiuis autem de corpore capituli habet authoritatem appellandi ab electione non ritè celebrata, vt colligitur ex multis textibus in toto titulo de electione, & in titulo *de appellatione in* 6. vbi constat quod à multis electionibus per electores fuit appellatum ad Papam. Habetur in particulari

*in cap.*Constitutis *de appellatione*,& alibi passim.Idem docet Hostiensi titulo *de appellatione*, §. *Quis possit appellare*, cum commento , dicens, quod quilibet de collegio potest appellare in materia electionis,videlicet pro bono communi.Idem tenet glossa *in cap.*cōsiderabimus *de electione,verbo post appellationē:*vbi ait posse aliquem appellare ne fiat electio nisi canonica, maximè si allegetur aliqua causa probabilis.Et Vicarius allegauit causam probabilem,esse videlicet hanc electionem furtiuam , & factam cum dolo propter nouitatem nunquam visam,auferendo scilicet à conuentu Religiosos aliquos , & ponendo alios nouos ad finem eligendi quē vellet Prouincialis.Confirmatur adhuc quod potuerit Vicarius appellare ex exemplis adductis ab Hostiense loco citato,videlicet quod pater appellare pro filio:& coniunctus pro coniuncto. Et quilibet de populo potest appellare pro illo qui ducitur ad patibulū. Et sic de alijs exemplis,

2 Ad secundum quæsitum dico,quod si Prouincialis hoc præcepit Vicario postquam iam appellauerat ad Generalem , non tenebatur obedire , & proinde non obediens non incurrit vllam censuram:quia interposita appellatione nihil est innouandum,vt mox dicemus in Responsione ad tertium.Et præterea quia appellatio habet duos effectus : vnus dicitur suspensiuus, alter deuolutiuus. Effectus suspensiuus facit vt iurisdictio iudicis à quo appellatur , maneat ita suspensa vt non possit amplius in causa procedere. Effectus deuolutiuus est quia per appellationem cognitio causæ deuoluitur ad iudicem superiorem ad quem appellatur. Ita tenent communiter Doctores cum glossa *in cap.*ad reprimendum *de officio ordinarij.* Cùm ergo per appellationem Vicarij ad

Gene

Generalem, iurisdictio Prouincialis manserit suspensa, non potuit validè in eadem materia electionis præceptum, & censuras imponere Vicario appellanti.

3 Ad tertium quæsitum, dico, Hanc electionem fuisse nullam. Probo quia fuit facta post interpositam appellationem validam: facta autem post interpositam appellationem validam sunt irrita, & nulla. Sic habetur *in cap.* dilectis *de appellat.* Et pro maiore claritate istius appellationis, noto quod hic Vicarius non appellauit ab aliqua sententia lata per Prouincialem; sed appellauit à grauamine imulto, quod Prouincialis Religioni facere intentabat, celebrando nouam, & extraordinariam electionem, quod grauamen dici poterat irreparabile, quia post factam electionem vix poterat electio rescindi, nisi cum scãdalo Religionis, & sæcularium. Constat autem ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 20. quid à tali grauamine irreparabili potest appellari. Secundò probo fuisse electionem nullam, quia facta fuit cum suffragijs non legitimis, & cum fraude, & dolo: quod sic probo. Primò, quia ante electionem attulit illos nouos Religiosos ad danda suffragia, qui in rigore non habebant domicilium in illo conuentu, & proinde non habebant suffragiũ in illo. Et quod in tali conuentu dicti Religiosi sic adducti non haberent domicilium; probatur ex eo quod Doctores communiter dicunt domicilium non acquiri nisi ab illo qui aliquò se confert cum animo ibi permanendi, de quo in particulari Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 23. *n.* 1. *&* 2. citans multos. At aliqui ex illis Religiosis addactis ad suffragandum non habuerunt animum manendi in illo conuentu; cùm vnus illorum statim finitâ electione ad suum antiquum redierit; alius antequam

adduceretur ad dictum conuentum electionis, scripsit epistolam ad quendam sæcularem, in qua dicebat se ire ad talem conuentum, (in quo scilicet electio celebranda erat) pro certo negotio expediendo, illôque finito statim reuersurum; per quod clarè ostenditur hos saltem duos non habuisse domicilium in illo cõuentu, nec proinde suffragium, cùm ad illum conuẽtum non iuerint animo permanendi. Hoc idem declaratur, & probatur ex eo quod tradit Mascardus *tomo 1. de probat. conclus.* 533. in qua supponens primò dictum commune Iuristarum dicentium, quod testis domesticus repellitur vt suspectus: statim *num.* 14. ait, quod si domesticus antequam vocaretur ad testificandum, exiuit à domo domini, & post paucos dies vocatus ad testificandum tulit testimonium coram iudice: & iterum paulò pòst secundò rediit ad domum antiquam domini, illius testimonium fuit nullum, quia visus est fraude exiens à domo domini, vt posset ferre testimonium tanquam iam nõ domesticus. Ad quod citat Mascardus leges iuris ciuilis, & Tiraquellum; quæ omnia directè faciunt ad nostrum casum: in quo venerunt Religiosi ex alio conuentu ad danda suffragia in alio conuentu: & finità electione redierunt ad pristinum conuentum: & ex consequenti hîc interuenit fraus & dolus. Hoc probatur ex eo quod dicitur *cap. vltimo de verborum signific. in* 6. vbi dicitur, quod quidam Papa concessisset cuidam Episcopo licentiam, vt ipse posset conferre beneficia vacantia Clericorum suorum domesticorum: subdit Papa in hunc modum: *Illos tuos Clericos volumus intelligi, qui per te non quæsiti propterea, vel recepti, sine fraude, & fictione qualibet, verè tui clerici, & familiares existunt.* Quod optimè facit ad intentum.

Nam

Nam in hæc electione octo Religiosi electi sunt cum fraude,& fictione,vt venirent ad conuentum electionis tanquam domestici, & habitatores illius ad dandum suffragium in electione : qui octo Religiosi ad sic suffragandum adducti faciebant maiorem partem conuentus.Habebat enim conuentus solum quindecim Religiosos : & sic octo adducti faciebant maiorem partem conuentus : ac proinde clarè deprehenditur fraus,& subornatio in electione.

4 Faciunt ad idem intentum textus citati à glossa super *cap.citatum vltimum de verb. signif.in 6. Quæsiti propterea.* Vltimò ad probandam nullitatem, & fraudem istius electionis,facit omnino,quod imminente electione,Prouincialis amouit conuentu quatuor,vel quinque Religiosos , in quibus non sperabat suffragia pro suo intento. In hoc verò facto violauit ius commune electionum , per quod decernitur , vt vocentur absentes, qui habent ius eligendi , ita vt vno absente non vocato,possit electio annullari. At Prouincialis ante electionem eiecit à conuentu quatuor, vel quinque Religiosos,qui erant præsentes , & quibus ob domicilium conueniebat ius eligendi:eôsque in substantia priuauit suffragio eligandi. Cùm ergo tam clarè constet quod in hac electione fraus, & dolus interuenerit:constat etiam, quod factum per dolum est inualidum , vt patet ex *cap.* Quanto amplius *de priuilegiis.* Cui addendum est, quod fraus,& dolus nemini debent patrocinari ; vt habetur *in cap.* Sedes Apostolica *de Rescriptis*,& cap. *Ex litteris* de dolo,& contumacia.

CASVS LXXV.

De præsentatione cuiusdam capellaniæ.

QVidam nobilis habens administrationem cuiusdam capellaniæ tanquam patronus illam dedit cuidam Clerico honesto,& bene merito: & quando illam ei dedit scripto declarauit se illam illi date in perpetuum. Clericus prouisus acceptauit,& possedit, & per aliquod tempus inculpatè seruiuit. Quæsitum fuit, an prædictus dominus possit talem Clericum hodie amouere à capellania absque culpa vlla commissa ab ipso Clerico.Et iterum si amoueat,teneatur Clerico ad vllam satisfactionem?

Responsio.

1 Ante resolutionem præmitto duas esse species capellaniæ. Prima dicitur collatiua; quæ tunc datur,quando aliquis ex bonis suis segregat,& assignat certam portionem Clerico, qui pro se dicat singulis annis certas Missas in certa Ecclesia; & hoc instituitur statim à principio cum authoritate Episcopi, præsentante testatore statim à principio Clericum capellanum,& Episcopo confirmante. Et cum declaratione, quod successores patroni Clericum capellanum præsentabunt, & Episcopus confirmabit. Et hæc capellania dicitur collatiua, quia pendet à collatione, & confirmatione Episcopi, tum in principio fundationis, tum in tempore succedente, quando patroni præsentant, & Episcopus confirmat. Et

hæc

hæc capellania est beneficium Ecclesiasticum, vt patebit ex dicendis, vel citandis. Secunda capellania vocatur non collatiua, quia nec fundatur in principio authoritate Episcopi : nec postea quando futuri patroni capellanum præsentant, indiget confirmatione Episcopi, sed ipsi per se Clericum eligunt qui dicat illas Missas relictas à testatore. Et hæc capellania non est beneficium Ecclesiasticum. Hæc distinctio, & doctrina est Nauarri *in consilio 5. & 6. de prebendis, & dignitatibus, primæ impressionis*, & Rodriguez *in Additionibus ad Summam, tomo 3. cap. 6. per totum*. Et Suarez *tomo 2. de Religione, libro 3. cap. 22. num. 10. & sequentibus*, vbi citant alios Doctores; & tradit Zerola *3. parte praxis Eccles. verbo* Capellania, §. 1. & 2. Hoc supposito, ad quæsitum.

2 Dico primò : Si ista capellania est primæ speciei, collatiua videlicet, confirmata scilicet per Episcopum cum cæteris suprà dictis, tunc patronus præsentans non potest hunc Clericum priuare capellania, nisi ob culpas graues. Hæc conclusio est omnium Doctorum, quos suprà citauimus. Et fundatur præcipuè in eo quod citati Doctores dicunt, videlicet, quod ista capellania est beneficium Ecclesiasticum, & beneficium Ecclesiasticum debet esse perpetuum, vt patet ex capite *Inuentum* 16. quæst. 7. & ex cap. *Satis peruersum*, distinct. 56. & hinc manauit consuetudo Ecclesiastica, quod scilicet beneficiarius non amittit beneficium nisi ob grauia delicta. Et hoc amplius declaratur, vel probatur : nam licet patronus habeat ius præsentandi, imò possit variare in præsentando ante confirmationem Episcopi: post confirmationē tamen Episcopi nō potest patronus variare, nec remouere præsentatum : aliàs sequerentur

 rentur

rentur quotidie abſurda grauia, & multæ inquietationes.

5 Dico ſecundò: Si iſta capellania non eſt collatiua, & patronus illam dedit Clerico non declarans quod illum præſentabat in perpetuum, poteſt Clericum amouere ad libitum quoties voluerit abſque culpis ipſius Clerici. Hæc eſt Nauarri *citato conſil.6.n.* 1. vbi dicit talem capellaniam auferri poſſe ſine culpa, & ſine cauſæ cognitione. Et Rodriguez *citato c.* 11. *concl.*15. citans Roquum, & Lambertinum, dicit poſſe primum fundatorem iſtius capellaniæ in ſuo teſtamento præcipere, ne Epiſcopus ſe intromittat in tali capellania non collatiua & quod aliàs patronus ſucceſſor ſibi applicet bona, & redditus capellaniæ. Et ratio eſt, quia cùm hæc capellania non ſit collatiua, nec proinde beneficium Eccleſiaſticum, ſed ſolùm ſit quodam legatum pium inſtitutum de bonis ſui patrimonij, poteſt teſtator circa illud diſponere ſicut ſibi placuerit. Addit Rodriguez *citato loco concluſione* 21. quod patronus ſucceſſor non tenetur ſtare nominationi ſui anteceſſoris: niſi quandò anteceſſor fuerit primus fundator.

3 Reſpondendo verò directè ad dubium propoſitum in principio, dico, quod iſte patronus, qui hanc capellaniam huic Clerico donauit in perpetuum, non poteſt eam illi auferre dum vixerit ipſe patronus. Probatur clarè, quia hic patronus fecit huic Clerico donationem liberam, abſolutam, & donatio fuit accepta à Clerico, apprehensâ poſſeſſione: at talis donatio libera, abſoluta, & acceptata à donatario non poteſt reuocari, vt tenet communis opinio Doctorum: ergo non poteſt reuocari à patrono. Idem

no. Idem præcipitur in lege Portugalliæ *lib. 4. Ordinat. tit. 63. in principio*, vbi dicitur quod donationes liberæ, & absolutæ, & acceptatæ, statim sunt firmæ, & perfectæ ita vt non possint amplius reuocari. Cùm ergo hic patronus donationem fecerit istius capellaniæ isti Clerico in perpetuum, non poterit istam donationem reuocare, maximè cùm ex parte Clerici nulla culpa ingratitudinis interuenerit. Secundò probatur per regulam 33. *de Regul. iuris in 6.* quæ dicit sic: *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Et ad hoc adducit ibi glossa multa exempla, quæ confirmant nostrum casum. Si ergo non potest quis mutare consilium in præiudicium alterius, minus poterit mutare donationem iam acceptatam cum præiudicio graui alterius. Tertiò probatur per aliam regulam iuris *in 6.* quæ est 21. & dicit, *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Huic autem patrono semel placuit dare hanc capellaniam in perpetuum, ergo amplius id non potest illi displicere. Et ad hoc citat ibi glossa multos textus, quibus idem probatur: maximè citat *cap.* Pœnitente *distinct.* 55. ex quo & aliis textibus colligitur ista conclusio inter Iuristas, videlicet, quod nemo potest venire contra factum suum. Quartò probatur, nam si est de iure gentium, & naturali seruare fidem in promissis: maior obligatio est seruare fidem in iam datis, & acceptis, & possessis. Nam aliàs si postquam Ioannes rem aliquã donauit Petro, quam possidet Petrus iam per annos, posset Ioannes rem illam à Petro auferre ad libitum, sequerentur quotidie multæ inquietationes, perturbationes, & scandala in Republica. Quintò id probo cum isto exẽplo. Dedit Petrus Frãcisco viginti ducatos dona-

tione purâ, liberali, & absolutâ: acquisiuit Franciscus possessionem illorum viginti ducatorum, & fortè illos iam expendit: quis dicet posse hodie Petrum illos viginti ducatos repetere. Quod idem seruit in nostro casu. Aliud exemplum sic pono. Si Petrus locaret domum Francisco pro tota vita Francisci, teneretur Petrus stare cótractui, nec posset locationem rescindere, nisi fortè Petrus tali domo indigeret ad habitandum, vel domus minaretur ruinam, vt Doctores explicant agentes de hoc contractu: ergo à simili non potest hic patronus aufferre huic clerico capellaniam, quam illi dedit pro tota vita. Neque contradicunt huic conclusioni Nauarrus, & Rodriguez locis suprà citatis dum dicunt posse patronum amouere Capellanum à capellania non collatiua ad libitum: loquuntur enim de capellania data modo ordinario, dependenter à voluntate patroni donantis: non verò loquuntur, quando patronus capellaniam daret in perpetuum, qualiter data est in nostro casu; tunc enim idem dicerent quod nos hîc diximus propter rationes claras, & efficaces adductas.

Ad secundum quæsitum dico, quod si patronus hunc Clericum à capellania sic data sine culpis amoueret, teneretur restituere Clerico expensas, vel damnum datum ad arbitrium boni viri. Probatur hoc ex iis, quæ tradit Nauár. *in sum. Latina cap.* 17. *num.*69. *vsque ad num.* 73. vbi probat per textus, rationes, & Doctores, quod qui impediuit aliquem ab assecutione alicuius officij vel beneficij, ad quod iam habebat ius acquisitum, siue hoc ius esset ius ad rem, siue ius in re, tenetur sic impediens restituere huic læso damnum quod dedit omni modo possibili. Si ergo tenetur restituere is qui impediuit Petrum ne assequere-

tur

tur beneficium, ad quod solum habebat ius ad rem, multo magis obligabitur iste patronus restituere huic capellano damnum datum ex ablatione capellaniæ, in qua iam acquisiuerat ius in re, & possessionem pacificam. Secundò id probo persistens in exemplo adducto in responsione ad primum quæsitum: videlicet, si Petrus dedit Francisco viginti ducatos in quibus Franciscus obtinuit possessionem, & dominium: & postea Petrus dictam pecuniam abstulit de bonis Francisci: clarum est, quod Petrus obligatur, vt Francisco reddat ablatos viginti ducatos: quod facile est ad nostrum casum applicare. Denique hoc ipsum expresse tradit Rabello *tom. de obligat. inst.* 1. *p. lib.* 3. *q.* 2. *num.* 3. vbi dicit esse opinionem communem, quod teneatur ad restitutionem impediens aliquem ab assecutione alicuius boni: siue iam haberet ius in re ad illud bonum per donationem inter viuos, aut vltimam voluntatem, collationem, confirmationem, aliumve legitimum titulum: siue haberet solum ius ad rem, per iustam promissionem, electionem, præsentationem, aliumve similem titulum. Sic ille, dicens esse opinionem communem. At iste Clericus habet ius ad capellaniam, non solùm ad rem, sed etiam in re, per promissionem, collationem, præsentationem, & donationem, vt suprà vidimus: ergo si priuetur capellaniâ, debetur illi restitutio ad arbitrium prudentis viri.

5 Dixi in præcedentibus, hunc patronum, qui hanc capellaniam dedit in perpetuum isti Clerico, nõ posse eam illi auferre in vita ipsius patroni donãtis. Quæris, quid, si moriatur ipse patronus, qui donauit in perpetuum, & superuiuat Clericus capellanus. Nunquid successor patronus, illius qui in perpetuum

petuum donauit,poterit amouere Clericum à capellania ad libitum, & sine culpis? Respondeo posse. Nam patronus antecessor non potest ligare manus patroni successoris, nisi patronus antecessor fuerit primus fundator:quod potest hoc exemplo declarari. Potest beneficiarius locare fructus sui beneficij Petro in perpetuum, id est per totam vitam ipsius beneficiarij,ita vt ipse beneficiarius non possit dum vixerit locationem rescindere. At mortuo beneficiario, successor illius in beneficio poterit amouere conductorem priorem, & fructus alteri locare, quia absolutè loquendo non tenetur stare locationi factæ à suo antecessore. Eodem modo potest hic patronus dare capellaniã huic Clerico in perpetuum,id est,pro tota vita ipsius patroni, ita vt patronus sic donans non possit illam auferre:non verò illã potest dare Clerico in perpetuum,id est,pro tota vita Clerici,ita vt nõ possit patronus successor illam ab eo auferre:hoc enim esset ligare manus successoris,& illi auferre ius quod habet ad præsentandum. Facit ad hoc decretum Concilij Tridentini *sess.25. cap.11. de reform.* vbi dicitur quod locationes fructuum beneficiorum, quæ fiunt anticipatis solutionibus, non sint validæ in præiudicium successorum.

CASVS LXXVI.

De Abbatissa admittente sæculares intra clausuram.

QVædam Abbatissa,vel Priorissa, petiuit à Prouinciali licentiam in scriptis, vt posset intrare clau

clausuram aliqua persona ad curandam certam infirmitatem cuiusdam ancillæ, qui morbus etiam curari poterat à mulieribus peritis, vulgo, *Espinhella*, Prouincialis concessit licentiam non designans certam personam intraturam. Priorissa introduxit in clausuram feminam quandam nobilem, quæ sciebat illi morbo mederi. Intrauit mulier nobilis manè in clausuram, & mansit in illa vsque ad vesperam: quia dixit necessarium esse, vt post applicationem primæ medicinæ, expectaretur tempus, vt constaret de effectu prioris medicinæ, & an esset illa medicina vtilis, vel non. Sciens hoc Prouincialis, qui residebat in eadem vrbe, ad vesperam illius diei scripsit ad Priorissam, vt fæminam sæcularem eijceret à monasterio: Priorissa statim adduxit feminam ad ianuam conuentus, præcipiens vt exiret. Femina nobilis respondit se non habere ad manum ancillas, & famulos, quibus comitata decenter ad suum statum posset ire per plateas in domum suam: & ideo adhuc mansit in clausura per aliquod notabile spatium. Prouincialis volens punire Priorissam, prius illi exhibuit capitula culparum in hunc modum.

Primò quod feminam nobilem iniustè admiserit in clausuram: nam quando datur licentia vt intret aliqua persona clausuram ad medendum, intelligitur quod sit officialis illius officij, & quod illo vtatur, & viuat ex illo. At mulier illa nobilis non vtebatur officio medici, nec viuebat ex eo.

Secundò, quod prælata, & mulier sæcularis incurrerant excommunicationem propter notabilem moram factam intra clausuram.

Tertiò, quod cùm Prouincialis eidem prælatæ mandauerit vt statim feminam sæcularem à clausura

eijce

eijceret, prælata distulit, & eam post spatium notabile intra clausuram detinuit.

Responsio ad primum.

1 *Ad primum* respondi dictam feminam sæcularem scientem bene mederi illi infirmitati, non intrasse iniustè, neque illicitè, sed licitè. Fundamentum cui innititur Prouincialis quod scilicet data licentia vt intret persona clausuram ad medendum, intelligitur quod sit officialis illius officij, & quod illo vtatur, & ex illo viuat, seu sustentetur: dico primo, id gratis dici, sine fundamento, & sine doctore, & sine lege dici. Nam Consilium Tridentinum *sess. 25. cap. 5. de Regular.* ad hoc vt possit quis licitè intrare clausulam Monialium, solùm requirit vt intret cum licentia in scriptis, & detur iusta causa intrandi: & nihil dicit de qualitate intrantis quod sit officialis, vtens officio, & viuens ex illo. Neque item Bulla Gregor. XIII. agens de ingressu in clausuram Monialium requirit aliquam ex illis tribus circunstantijs: cùm ergo lex Ecclesiastica illas non ponat, nec nos debemus illas superaddere. Et Collector priuilegiorum Mendicantium vir doctissimus in verbo, *Ingressus monast. Monialum* in casu 5. ex duodecim quos assignat, in quibus est licitus talis ingressus, loquens de medico, qui potest intrare, & citans concessionem Sixti. IV. per quam concessit vt medicus intraret, nullum verbum facit de aliqua ex illis tribus qualitatibus, vt viuat ex officio, *& cæt.* Nec item fit mentio talium qualitatum in eodem compendio, & in eodem verbo §. 24. nec in §. 7. de barbitonsore ad venam scindendam intraturo. Neque item hæ duæ conditiones,

nes, *quod viuat ex officio, & vtatur officio* positæ sunt à tot, & tam grauibus Doctoribus recentioribus, qui tractarunt curiosè de clausura Monialium, & explicarunt Bullas Pōtificias ea de re publicatas, quales sunt Rodriguez *tom.*1.*qq.q.*47. Suarez *tomo de censuris, disp.* 22. Sanchez *lib.*6.*Decalogi cap.*1. vbi agit de medico, chirurgo, &c. & Bonacina omnium nouissimus 1. *tomo tract. de clausura Monialium q.*4.*puncto* 4. nihil tale specificant de medico intraturo quod viuat ex officio, &c. Non verò credendum tot, ac tantos Doctores ignorasse illas qualitates in medico intraturo, si illæ essent necessariæ.

2 Et in particulari, Bonacina *citato puncto* 4. *num.* 18. vbi hanc materiam tractat exactè, quærit an possit mulier nobilis intrare clausuram Monialium ad faciendum intus aliquod opus vile, quod Moniales non possunt, vel non solent facere, sed tamen dicta femina nobilis habet simul intentionem visitandi, & alloquendi Monialem suam consanguineam, vel amicam. Et respondet Bonacina, quod sic potest. Verba huius tanti Doctoris sunt hæc circa mulierem illam nobilem. *Si verò ingrediatur animo reuera præstandi opus, quod moniales commodè præstare nequeunt, excusatur à peccato contra clausuram, quia ex iusta causa ingreditur cum licentia, modò ingrediatur tanquam operarius. &c.* Sic ille. Idem tenet Sanchez *lib.* 6. *Decalogi cap.* 16. *num.* 49. loquens de femina nobili intrante cum animo faciendi opus vile, quam excusat à pœnis: & tamē illa femina nobilis, de qua loquitur Bonacina, & Sanchez intrans ad faciendum opus vile, neque est officialis illius vilis ministerij, neque illo vtitur, neque ex illo viuit: ergo hæ tres conditiones non requiruntur in intrante clausuram. Modò applico hanc doctri-

doctrinam ad nostrum casum. Hæc mulier nobilis, de qua agimus, ingressa fuit clausuram cum animo re vera medendi, & illa sciebat re vera talem artem medendi, & de facto illam intus exercuit. Et ingressa est cum licentia speciali in scriptis. Nam licet Prouincialis in sua licentia hanc feminam particularem non expresserit proprio nomine, adhuc tamen dicitur intrasse cum licentia speciali, eo quod Prouincialis in scripto dixit vt intraret aliqua persona ad exercendam dictã medicinam. Hæc enim licentia sic concessa licet fuerit generalis quoad personas, fuit tamen specialis quoad ingressum medendi huic morbo. Sic tenet Bonacina *citata q.4. punct. 3. n.1.* Facit etiam ad hoc intentum, quod dicit Collector priuilegiorum Mendicantium *citato verbo, Ingress. Monast. Monialium*, in casu 7. vbi ait *Quod fratres Minores, qui assistunt obsequio Monialium, vt capellani, hi si fuerint artifices idonei, poterunt ingredi clausuram ad laborandum in tali opere, etiam si inuenirentur artifices sæculares.* Et hoc ait, non obstante quod fratres Minores ex præcepto suæ Regulæ non possint ingredi monasteria Monialium: sed ait posse prædictos fratres intrare cum licentia sui prælati. Hæc autem femina nobilis æquè bene sciebat mederi illi morbo, ac medentur medici masculi: & addo quod cæteris paribus decentius fuit vt intraret femina ad curandum hunc morbum, quàm vt intraret masculus. Nam, vt Doctores dicunt, minor causa requiritur vt detur licentia, quod mulier intret clausuram Monialium, quàm vt vir intret eandem clausuram, propter maius periculum repertum in hoc ingressu viri quàm in primo ingressu feminæ: ergo licet adesset Medicus, qui posset intrare ad medendum, & simul

adesset femina, quæ æque bene eidem morbo mederetur, decentius, & se curius fuit vt intraret femina medica, quam vir medicus.

5 Denique in speciali contra illas tres qualitates, vel circunstantias, quas requirit pars opposita ad ingressum, sic propono: Quod attinet ad primam quam requirit, vt ingrediens sic officialis illius officij: dico hanc feminam fuisse officialem illius officij: sciebat enim mederi illo morbo, vt constitit. Potest enim dari aliquis morbus, cui æquè benè medeatur femina, atque vir: maximè cùm possit aliquando mulier habere gratiam curationem. Et in particulari, quod vt medicus intret ad curandum Moniales, non sit necessarium, quod talis medicus vtatur officio, & viuat ex illo; probo clarè isto exemplo. Est in hac ciuitate quidam medicus antiquus iubilatus, qui præ senectute neminem curat ostiatim, & proinde neque officium medici exercet, nec viuit ex illo. Quis negabit posse hunc intrare clausuram ad medendum certæ graui infirmitati Monialis? Ergo vt intret medicus clausuram Monialium, non requiritur vt exerceat officium, nec requiritur vt viuat ex tali officio.

Responsio ad secundum capitulum.

4 *Ad secundum* capitum de mora longa facta ab hac femina nobili intra clausuram, dico, quod præcisè ex longa mora intra conuentum facta, ista mulier non incurrit censuras Ecclesiæ contra indebitè ingredientes (quidquid sit fortè de peccato ibi commisso.) Hanc conclusionem in terminis tenet Bonacina *cit. tomo* 1. *& tractatu de clausura q.* 4. *punct.* 4. *n.* 22.

fol. 540. vnde proponens nunc eundem numero casum: an incurrat pœnas Bullarum, is qui licitè intrauit clausuram, sed non exiuit statim finito opere: respondet non affici pœnis: *Quia*, inquit, *ista censura lata contra ingredientem sine licentia, & sine iusta causa, solum ligant ingredientem sine causa, & sine licentia. Hic autem ingressus est cum licentia, & iusta causa, vt suppono.* Hæc autem femina nobilis, de qua quæritur, ingressa est cum licentia in scriptis, vt constat, & cum causa iusta, qualis fuit mederi infirmæ. Ait tamen citato loco Bonacina, potuisse hunc sic ingredientem peccare ob longam moram intus factam absque necessitate. Facit ad hoc omnino quod excommunicatio posita contra vnam actionem, non extenditur ad aliam actionem diuersam, cum pœnæ sint restringendæ, & non extendendæ, vt latè inter alios probat Rodriguez *tom.* 1. *qq.* *q.* 47. *ar.* 1. §. *Quod si obycias*, loquens in materia de clausura Monialium, & citans Caietanum, & Nauar. Facit inquam illa Regula iuris, odia restringi, *& cæt.* Hæc autem lex posita contra illicitè ingredientes clausuram, est odiosa vt patet & solum exprimit illicitè ingredientes: ergo non debet extendi ad illicitè morantes intra clausuram. Secundò, quod hæc femina nobilis non incurrerit censuras propter longam moram intùs factam, probatur ex illo quod dictum est in propositione casus, videlicet fuisse necessariũ expectare tempus, vt experientia sumeretur de prima medicina applicata an prodesset, an noceret, & sciri posset quomodo applicarentur medicinæ in posterũ. Durante verò hac causa manendi, non erat mora culpabilis, sed necessaria: & proinde si durauit necessitas manendi, nec proinde commissum est peccatum, etiam non est incursa pœna censuræ,
quia

quia vbi non est culpa, non ponitur pœna. Et quod hæc mora intra clausuram, non fuerit culpabilis, nec insolita probatum est per Moniales eiusdem conuentus, testificantes, quod in eundem conuentum sæpius olim aliquæ feminæ ingressæ sunt propter eandem causam medicandi, & ingressæ sunt, & exierunt ad vesperam. Quod facit ad suspicandum etiam hîc interuenisse bonam fidem, quæ etiam excusat à censura, maxime in feminis, quæ ignorant textus, & leges. Potest hoc probari exemplo artificum, vel operariorum qui ingrediuntur clausuram Monialium ad laborandum in opere requirente moram: hi enim ingressi manè non exeunt nisi ad solis occasum, quia durat necessitas morandi: quod habet similitudinem cum nostro casu.

5 Denique, quod hæc femina nobilis, non incurrerit censuras motuum propriorum Papalium, probatur ex his quæ tradit Sanchez *lib. 6. Decalogi* loco suprà citato, & eodem libro *cap. 5. num. 7.* cum hoc exemplo quod ibi adducit à contrario sensu. Exiuit quædam Monialis à suo conuentu cum causa iusta, & licentia prælati, vt verbi gratia, extra conuentum curaretur à lepra. Et post sanitatem adeptam moram fecit notabilem extra conuentum non rediens ad clausuram. Hæc talis peccauit quidem ob moram factam extra clausuram: sed ob prædictam moram non incurrit censuras Bullarum: nam Summi Pontifices solùm excommunicant Moniales illicitè exeuntes à clausura: non verò excommunicant illas, quæ post licitum egressum moram faciunt extra clausuram. Quod exemplum est accommodatissimum ad nostrum casum. Nam hæc femina nobilis ingressa est clausuram, licitè, cum causa, & licentia; & licet aliquā

culpam cõmitter & in mora manendi, propter hanc moram non incurrit censuras Bullarum: quia tales Bullæ solùm excommunicant illicitè intrantes clausuram Monialium,non verò excommunicant illum, qui post licitum ingressum moram notabilem facit in eadem clausura : & citat Sanchez in loco cit. Zerolam, qui similem doctrinam tradit in alio casu difficiliori.

Responsio ad tertium capitulum.

6 *Ad tertium* capitulum obiectum respondetur, hanc prælatam vbi primum accepit epistolam Prouincialis adduxisse feminam sæcularem ad ianuam conuentus , illíque dixisse, vt exiret à conuentu, vt constat ex testibus, maximè ex testimonio ianitricis: quo quid amplius prælata debuit facere? Quæ Moniales testes asserunt prædictam feminam sæcularem non habuisse tunc ad manum ancillas , & famulos, quibus decenter ad suum statum iret ad domum suam. Defectus verò huius decentis comitatus tali feminæ concedebat id quod aliàs lex non permitteret. Pro quo sunt duo exempla clarissima. Primum est: Tempore interdicti, habet vir nobilis priuilegium,vt possit audire missam in Ecclesia. Hic pergit ad Ecclesiam comitatus tribus, vel quatuor famulis associatus iuxta suum statum. Dicunt omnes Doctores,quod talis nobilis potest secum introducere suos famulos ad Missam audiendam,licet tales famuli per se non possint missam audire : sed talis vir nobilis propter suum decentem comitatum potest illos introducere: & sic ratione decentis comitatus in viro nobili permittitur id quod aliàs non liceret. Secundum

dum exemplum sit Nauarri *in summa capite 21.numero* 4. Henriquez, Toleti Azoris & aliorum quos citat, & sequitur Bonacina *tomo primo disputatione 4. de sacramento Eucharistiæ, quæstione vltima, puncto vltimo, numero* 8. qui omnes dicunt, quod si femina honesta, & nobilis caret veste conueniente suæ personæ, aut socia, seu pedissequa sine quibus, aut irrideretur, aut pudore afficeretur, excusatur à præcepto Missæ audiendæ in die festo. Quod exemplum valde iuuat ad nostrum intentum. Nam plus obligat in Ecclesia Dei, vel saltem non minus obligat in Ecclesia præceptum audiendi Missam in die festo, quam obliget præceptum clausuræ Monialium: & tamen femina nobilis carens decenti comitatu ad Missam audiendam excusatur ab illius præcepto, iuxta tot graues Doctores: ergo hæc femina nobilis, de qua agimus excusata fuit à præcepto exeundi statim à clausura Monialium quam licitè intrauerat, propter defectum comitatus decentis vt posset exire, & redire ad domum suam: & proinde in eo tunc non peccauit, nec censuram incurrit. Si verò illa non incurrit, non peccauit, nec peccauit prælata illam pro tunc non eiiciens comitatu carentem.

7 Obiicis, & probas, hanc prælatam post factam curationem, non eiecisse feminam sæcularem à clausura, sed potius cum illa communicasse, illique prandium exhibuisse, quod clarè est feminas sæculares intra clausuram admittere, seu detinere. Bulla verò Gregorij XII. excommunicat omnes Moniales introducentes, & admittentes personas sæculares intra clausuram. Respondeo primò, prælatam istam excusari ex eo quod iam supra dictum est, credidisse, videlicet ex dicto feminæ medicantis necessariam esse

moram intra clauſuram pro ſumenda experientia primæ medicinæ applicatæ : quod maximè credere poterat prælata , tum quia perito in arte ſua credendum eſt : tum quia ſciebat iam antea ſæpius alias feminas nobiles ingreſſas fuiſſe eandem clauſuram pro eodem morbo curando , & ſimilem moram feciſſe. Ob quæ omnia facilè credendum eſt prælatam,cùm eſſet mulier,& ignara iuris,habuiſſe bonam fidem : & habens bonam fidem non incurrit cenſuras : quia Bullæ Pontificiæ in materia clauſuræ, non excommunicant niſi præſumentes, id eſt facientes cum mala fide : & proinde ſiquis in hac materia clauſuræ contrauenіat Bullæ per ignorantiam craſſam,& inuincibilem,excuſatur à cenſura,vt communiter Doctores exponunt , maximè Bonacina *tomo* 1. *tract. de clauſura q.* 4. *puncto* 5. *numero* 8. Secundò reſpondeo prædictam Bullam Gregorij ſolùm excommunicare illas Moniales,quæ admittunt, alloquuntur , & comitantur ſæculares iam ingreſſos clauſuram , quando illi ſæculares illicitè ſunt ingreſſi , ſecus ſi licitè ſunt ingreſſi , vt Doctores communiter exponunt. At iſta femina nobilis non eſt ingreſſa clauſuram illicitè , vt ſatis conſtat ex dictis.

Et conſtat quod hæc prælata accuſata apud Tribunal D. Collectoris , non fuit priuata officio , ſed libera dimiſſa , tanquam non incurſa cenſuras Apoſtolicas.

CASVS

CASVS LXXVII.

De quadam Nouicia iussa recipi ex mandato Papæ.

IN quodam conuentu Monialium recepta sunt suffragia pro admittenda quadam femina ad nouitiatum. Moniales omnes pro illa suffragium dederunt, cum declaratione, quod non intraret nisi vacante loco per mortem alicuius Monialis, erat enim tunc numerus taxæ Monialium completus. Mortuâ primâ Moniali prælata cum conuentu noluit prædictam feminam iam per suffragia conuentus receptam, introducere ad nouitiatum inchoandum, sed aliam receperunt. Pater istius feminæ litem mouit Olysippone coram Nuncio Apostolico per longum tempus contra conuentum; & postea per appellationem causa deuoluta est ad Papam; & lis durauit per decem, vel vndecim annos, intra quod spatium conuentus alias Nouitias recepit. Tandem his annis decursis Romæ in Rota Romana sententia lata est, per quam prælata illa, & conuentus iussus est sub pœnis grauissimis, vt prædictam Nouitiam ad nouitiatum, & professionem admitterent: & soluerent quinquaginta scuta aurea patri nouitiæ pro expensis factis in lite: & sic Nouitia statim recepta est ad habitum. Et declaratur quod conuentus antea post suffragia illi data, noluit illam recipere eo quod esset grandæuæ ætatis, nec haberet vires, seu ætatem ad supportandam austeritatem, & rigorem Regulæ Ordinis illius.

1 Nouitia sic admissa ex mandato Papæ, orta sunt aliqua dubia propter aliqua verba Bullæ, quorum aliqua infrà referentur. Primum, & principale dubium, ortum est: an conuentus in discursu nouitiatus posset illi negare suffragia ad professionem, si illam inueniret inhabilem, & defectuosam, & proinde potest illam ob defectus expellere. An verò teneatur illam admittere ad professionem, etiam sine suffragiis, cùm Papa in Bulla dicat vt admittatur ad nouitiatum, & professionem?

2 Secundò quæsitum est, an conuentus possit obligare patrem Nouitiæ, vt det conuentui dotem, vel eleemosynam, quam solent afferre certæ Nouitiæ pro sua sustentatione iuxta consuetudinem illius conuentus?

3 Tertiò, an incurret aliquam pœnam Monialis quæ alteri Moniali suaserit, vt illi Nouitiæ suffragium neget ad professionem: vel illa quæ eidem Nouitiæ, aliquam molestiam fecerit vt illa sic molestata velit exire à monasterio.

4 Cùm dicat Papa in sententia, quod dicta Nouitia post professionem ponatur in possessione illius loci, ad quem primò recepta fuit. Quæritur an illa post professionem debeat habere priuilegium antiquitatis iuxta illud tempus, in quo primò admissa fuit per suffragia, & proinde præcedere debeat quoad locum omnes illas, quæ illis duodecim annis intrarunt post suam primam receptionem?

Responsio particularis ad primum quæsitum.

5 Quod attinet ad primum quæsitum, pro parte affirmatiua, quod scilicet conuentus teneatur illam

admit

admittere non solùm ad nouitiatum, sed etiam ad professionem, etiam sine suffragiis Monialium: probatur ex aliquibus verbis Bullæ, quæ id videntur innuere. Primò enim dicit sententia sic: *Declaramus prædictam esse recipiendam in Monialem, & Nouitiam.* Vbi non solùm dicit recipiendam esse in Nouitiam, sed etiam in Monialem: quæ duo verba simul iuncta videntur obligare ad vtrumque, id est ad nouitiatum, & professionem. Et infrà in alio loco eiusdem sententiæ, sic dicitur: *Eámque sic receptam, & admissam pro tali retinendam, & conseruandam, & suis loco, & tempore ad professionem pariter recipiendam, & admittendam si voluerit profiteri.* Quæ verba adeò clara sunt, vt omnem dubitationem videantur excludere: & obligare conuentum ad dandam illi professionem. Tertia clausula ponitur in fine eiusdem sententiæ: cum dicitur, quod mittatur in possessionem illius loci, qui ei primò fuit denegatus: *Et in eo manuteneatur, & iuribus illius gaudere possit, & valeat.* At constat, quod si illam iubet gaudere priuilegio, & iuribus illius loci, qui illi primò fuit denegatus, talis locus erat Monialis professæ, & hunc locum iubet Papa illi donari, quod fieri non potest nisi per professionem. Constat verò quod Papa potest præcipere vt alicui Nouitio fiat professio absque suffragiis conuentus.

6 Hoc non obstante, ego sentio, quod si ista Nouitia pro discursu nouitiatus inuenta esset inhabilis ad vitam Religiosam vtpote, quia haberet malos mores vel tam infirma esset valetudine, vt in lecto semper decumberet; possent Moniales illi negare suffragium ad professionẽ; & proinde deficiẽtibus suffragiis possent illam à monasterio expellere. Ante huius cõclu-

sionis probationem suppono vt rem certissimam, quod iudex in sententia nunquam indicat, vel mandat plus quàm illud, quod petitum fuit in libello, & initio litis. Imò reprehenditur in iure is qui petit plus quàm sibi debetur, vt patet in *cap. vnico de plus petitionibus.* Et testis qui plus testificatur, quàm ab illo petitum est, reprobatur in iure, vt omnes admittunt. Hoc posito, Sic primò argumentor: Ista mulier à Papa solum petiuit vt obligaret conuentum vt se reciperet ad nouitiatum sicut conuentus promiserat per modum contractus: non verò petiit à Papa vt iuberet se admitti ad professionem, hoc enim conuentus nondum illi promiserat, cùm illi nondum daret suffragia ad professionem, sed ad solum nouitiatum: ergo non est credendum quod Papa plus illi concesserit, quàm illa petierit: illa autem solùm petiit receptionem ad nouitiatum; ergo hanc solam illi Papa concessit. Et hoc probatur ex verbis ipsius sententiæ, in cuius prooemio, & narratione rei gestæ, dicit, *Quod Abbatissa, & Moniales tenentur recipere dictam oratricem pro Moniali iuxta acceptationem aliàs de ea legitimè factam.* Notetur hoc verbum, *Iuxta acceptationem de ea factam*, id est iuxta antiquam, & primam receptionem ad habitum, & nouitiatum, quæ non est sortita effectum: & proinde iuxta hæc verba, solum iubet Papa, vt recipiatur ad nouitiatum: & vult validare antiquam receptionem ad habitum nouitiatus tantùm. Idem colligitur ex eadem sententia Papæ paulò pòst, vbi referens quod Abbatissa, & Moniales eam recipere noluerint, & indebitè hoc fecerint post contractum receptionis; ponit hæc verba: *Super indebita denegatione receptionis huiusmodi, &c.* Itaque mulier solum conquesta est,

quòd

quòd Moniales illam recipere ad habitum noluerint: & huius tantùm restitutionem à Papa petiit. Et hoc solùm illi Papa in sententia concessit, non verò professionem. Et hoc ipsum indicant illa alia verba sententiæ, quæ dicunt: *Recipiatur ad professionem si voluerit profiteri, iuxta morem solitum aliarum Monialium, & regula dicti Ordinis.* In quo Papa clarè innuit, quod post absolutam receptionem nouitiatus, ad quã obligat conuentum, deinde obseruetur consuetudo, & Regula dicti Ordinis. At consuetudo Monialium, & statutorum illius Ordinis est, vt conuentus post receptionem ad habitum, per annum experiatur mores Nouitij, & liberè per suffragia ad professionem admittat. Secundò principaliter probatur quia Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 16. de Regular.* concedit vt prælati Religionum ante professionem possint eiicere inhabiles: imò ad hoc præcipit vt Nouitius persistat in nouitiatu anno integro, vt possit conuentus experiri mores Nouitij, ne aliàs recipiat ad Ordinem personam indignam, cum detrimento totius Religionis, sed Papa in hac sententia non dispensat in Concilio Tridentino, imò non solet in illo dispensare: ergo non prohibuit in hac sententia, quin posset conuentus vti libertate in Tridentino concessa ad eiiciendos ante professionem, illos quos inhabiles inuenerint. Et confirmatur clarissimè: quia Papa in hac sententia, supponit clarè, & iubet, vt illa faciat annum nouitiatus, & postea profiteatur, si voluerit. Ad quid ergo erit Nouitia vno anno nisi vt Religio mores illius experiatur; & vt possit eiicere si inhabilem inuenerit? Aliàs si Papa oppositum vellet, mandaret vtique, vt reciperetur ad habitum, & statim admitteretur ad professionem, quod non fecit.

7 Ter

7 Tertiò principaliter probatur : quia rescriptum contra ius commune, vel cum præiudicio tertij, non est seruandum, vt habetur expressè *in capite* Rescripta 25.*q*.2.& habet glossa in *cap*. Nonnulli *de rescriptis, in verbo* fecerint, & *cap*. Pastoralis *de fide instrum*.& glossa *ibidem in verbo, Dissona*. At sit Papa in hac sententia absolute præciperet vt reciperetur ad professionem, non expectato consensu conuentus per suffragia, posset tale mandatum esse contra bonum commune Religionis & cum præiudicio illius particularis monasterij, recipiendo illam si aliàs esset inhabilis : quod de summo Pontifice non est credendum Præterea foret illud mandatum contra ius commune, quia de iure communi creatio Monachi pertinet ad Abbatem, & conuentum, per consensum videlicet vtriusque, vt probat Rodriguez *t*.3. *quæstionum, quæst*.2. *art*.7. citans vnam glossam communiter receptam, & aliquos graues Doctores Iuristas. Vltimò probatur clarè per casum *capituli*, causam quæ, *de electione*, vbi dicitur quod vacante Abbatissa in aliquo conuentu Monialium: Moniales omnes compromiserunt se in Episcopum, vt ipse vnam designaret in Abbatissam, & quod hanc ab eo designatam, illæ omnes pro Abbatissa essent recepturæ. At paulò pòst Moniales pœnituerunt de facto, & voluerunt mutare compromissionem. Delatus est casus ad Papam. Et Papa respondit quod conuentus acceptaret Abbatissam ab Episcopo designatam : sed addit Papa hæc verba : *Si tamen existat idonea*. Vbi glossa, verbo, *Si tamen*, citans multos textus, ait, quod quando aliquid vt fiat committitur alicui, debet intelligi quod committitur vt fiat legitimè, & seruato ordine iuris. Et glossa in *capite* Cùm adeò *de rescrip*.

verbo,

verbo, *si dignus*, ait quod ista conditio, *Si digna existat*, habetur pro intellecta seu inclusa in omni electione, etiamsi non exprimatur. Qui casus habet multam similitudinem cum nostro. Nam in hoc nostro casu voluerunt Moniales rejicere illam, quam iam receperant per suffragia: iubet Papa vt illam recipiant, quod intelligendum est, *Si idonea existat*. Præterea iubet Papa vt hæc admittatur ad professionem suo tempore, intelligitur, *Si idonea existat, & seruato iuris ordine*, receptis priùs suffragij Monialium: cùm iuxta citatas glossas, quando aliquid faciendum committitur, semper intelligitur seruato iuris ordine, & præterea, si idoneus existat. Et ex hoc solo fundamento respondetur ad omnes obiectiones in oppositum suprà adductas ex verbis ipsius sententiæ.

8 Quod ergo attinet ad priora verba citata ex ipsa sententia, quæ dicunt, *Recipiatur in Nouitiam, & Monialem*, dico intelligi, quod recipiatur in Monialem seruato iuris ordine, & præterea, si idonea existat, quas duas conditiones diximus suprà esse intelligendas in omni commissione, & electione: non enim credendum est quod Papa velit vt ordo iuris non fertur, vel vt eligatur non idonea. At ordo iuris est vt admissio ad professionem fiat per suffragia libera conuentus. Et Concilium Tridentinum citatum concedit vt excludantur Nouitij inhabiles. Eodem modo respondetur ad omnia alia verba adducta ex sententia, per quæ Papa videtur præcipere vt admittatur ad professionem, & ad locum defunctæ, in cuius locum primò recepta fuit. Dico enim Papam iubere, vt admittatur ad professionem & locum, seruato ordine iuris, & præterea si idonea reperta fuerit. Ad id verò quod vltimò addit, posse Papam præcipere vt aliquis

quis

quis admittatur ad professionem absque suffragijs, & consensu conuentus, concedo id posse Papam; sed id debet exprimere, cùm sit contra ius commune, & praxim omnium Religionum: & propterea debet dicere quod dispensat. At in hoc casu id Papa non exprimit: sed potiùs specificat quod admittatur ad illa omnia, *Secundum solitum morem Monialium*. Mos autem omnium Monialium est vt ante professionem recipiantur suffragia conuentus cum libertate negandi vel dandi suffragium.

Responsio ad secundum quæsitum.

9 Ad secundum quæsitum dico posse conuentum obligare patrem Nouitiæ, vt sibi det dotem, vel eleemosynam consuetam, quæ dari solet in ingressu aliarum Nouitiarum. Probatur ex praxi generali Ecclesiæ per quam omnes Nouitiæ afferunt secum aliquid pro sua futura sustentatione, & fauet ratio naturalis: nam si femina nubens dat dotem marito ad sustentanda onera matrimonij, & pro sua sustentatione. Eadem ratio dictat, vt Nouitia pro sui sustẽtatione aliquid donet monasterio, Cúmq; monasterium habeat hoc ius petendi hanc dotem à Nouitia, Sũmus Pontifex in hac sententia obligans monasterium ad illam recipiendam, non intendit tollere monasterio hoc ius quod habet ad petendam dotem pro sustentatione Nouitiæ. Probatur hoc clarè per multos textus adductos à glossa super *cap.* Ecce *in præfactione, distinctione 99.* præcipuus verò textus ibi citatus, est *capitulum* super eo *de off. deleg.* vbi Papa dicit: *Non est intentionis nostræ alicui derogare per rescriptum nostrum.* Quod

Quod verò sit licitum hanc dotem exigere à Nouitia intrante, vltra praxim Ecclesiæ tenet,& probat Rodriguez *tomo 2. qq. q. 48. per totam.* Idem tenet Zerola *in sua praxi Eccles.verbo* Moniales 1.*p.* §. *Ad decimum octauum*,vbi citat alios.

Responsio ad tertium quæsitum.

10 Ad tertium quæsitum dico,quod si tempore nouitiatus Nouitia habuerit defectus notabiles, propter quos fit inhabilis ad Religionem,& possint ei negari suffragia, iuxta dicta in responsione ad primum nihil peccabit Monialis suadens alteri vt neget illi suffragium; quia sic suadens mouetur zelo boni communis, ne admittatur indigna ad Religionem.Si verò Nouitia non habuerit defectus, & culpas, peccabit mortaliter Monialis quæ suaserit alteri vt illi neget suffragium.Tunc enim saltem indirectè,violat mandatum Papæ, præcipienti in hac sententia, vt Moniales illam recipiant ad professionem,quod intelligitur iuxta prædicta, si illa non fuerit defectuosa.Probatio istius conclusionis quoad secundam partem pendet ex eo quod dixi in meo 1. tomo *Dubiorum Regularium,verbo* Nouitius,*num.*54.vbi dixi peccare mortaliter Religiosum, qui Nouitio habili negat suffragium ad libitum. Sic sentiunt Corduba, & Miranda, quos ibi citaui: & post illos vidi Suarez idem dicentem *tomo 3. de Relig. lib. 4. de voto cap. 3. num. 3.* Fundamenium quo id probaui citato meo tom. fuit quia Religio facit pactum virtuale cum Nouitio admisso, quod si rectè se gesserit tempore nouitiatus,illum admittet ad professionem,violat verò hoc pactum Religiosus qui postea Nouitio rectè

pro

procedenti negat suffragium ad libitum. Hæc mea olim opinio clarè confirmatur per decretum huius sententiæ papalis, in qua Papa obligat Abbatissam, & Moniales vt recipiant hanc Nouitiam ad habitum, & professionem propterea quod iam illam receperant per suffragia: quod in substantia fuit dicere, vt illam reciperent propter contractum, & promissioné, quam illi fecerunt de illa recipienda. Eodem verò modo Religio recipiens Nouitium ad habitum facit cum illo pactum, quod illum recipiet ad professionem si rectè processerit, & proinde non poterit illi negare suffragium, si bene processerit. Facit vltimò quod dicunt Doctores communiter, & iam a nobis in præcedentibus adductum est, videlicet peccare illum, qui impedit aliquem ab assecutione alicuius boni, ad quod habet ius ad rem. At Nouitius alias idoneus, & carens defectibus, habet ius ad professionem iuxta prædicta: & qui illi negat suffragium, impedit ex se professionem, ad quam ius habet: ergo peccat mortaliter.

Responsio ad quartum quæsitum.

11 Ad quartum quæsitum dico, quod ista Nouitia post professionem debet habere locum, & præcedentias quas habebat illa in cuius locum recepta fuit: & proinde debet præcedere illas quæ ante se intrarunt his annis duodecim à die quo mortua est illa in cuius locum ista Nouitia primò per suffragia recepta fuit. Hæc habetur clarè, & verbis expressis in hac sententia Papæ: quæ in duobus, vel tribus locis dicit, *Quod dicta Nouitia recipiatur, & ponatur in possessione illius loci, ad quem primò recepta fuit per mortem sororis*

sororis Mariæ de Spiritu sancto. Et assignat sententia causam dicens, quod quando appellauit ad Papam, protestata fuit, ne frustraretur dictæ acceptationis, & fructibus rei iudicatæ. Et fructus illius loci, ad quem recepta fuit, quem Papa illi reddi iubet, est præcedentia loci, vt patet. Et probatur, nam qui habet ius ad aliquam rem, habet etiam ius ad omnia emolumenta eiusdem rei: verbi gratia habet Petrus ius ad beneficium ad quod fuit electus: ex consequenti habet ius ad omnia commoda, & emolumenta talis beneficij. Cùm ergo hæc Nouitia habeat ius ad illum locum Monialis demortuæ, in cuius locum ista recepta est, quem locum Papa præcipit sibi dari: ex consequenti habet etiam ius ad præcedentiam, quæ est annexa ad illum locum & commodum ipsius. Et tandem in eadem sententia prope finem dicitur, quod dicta Nouitia *Admittatur ad possessionem dicti loci, & iuribus illius gaudere possit, & valeat.* Quo nihil clarius ad intentum dici potuit.

CASVS LXXVIII.

De quodam putante se bis contraxisse matrimonium.

QVidam matrimonio copulatus relictâ verâ vxore, secessit in partem longinquam eiusdem Regni, ibique commoratus, credens vxorem priorem adhuc viuere, matrimonium contraxit cum alia secunda. Sed postea constitit, quod quando matrimonium cum ista secunda contraxit, prima vxor erat iam mortua, quod ille ignorabat: & proinde quando

contraxit cum ſecunda neque intendit,neque credidit ſe contrahere matrimonium , ſed appetitu carnis hoc fecit.

Quæſitum eſt primò,an hoc ſecundum matrimonium fuerit validum , cùm iam prior coniux reuera fuiſſet mortua , & ipſe poſſet validè nubere ſecúdæ?

Secundò quæſitum eſt , dato quod matrimonium ſecundum fuerit nullum, quo remedio poterit reualidari , vt occurratur ſcandalo quod oriri poteſt ex ſeparatione.

Tertiò quæſitum eſt an dato quod ſecundum matrimonium fuerit nullum poſſit hic homo ſecretè fugere,& relinquere ſecundam putatam vxorem.

Responſio ad primum.

1 Ad primum quæſitum dico,ſecundum matrimonium fuiſſe irritum , & nullum. Probatio clara eſt, nam hic , vt dicitur in informatione , non intendit contrahere matrimonium cum ſecunda : cùm enim eſſet Catholicus , & ſciret non poſſe conſiſtere matrimonium cum duabus ſimul viuentibus , & aliàs crederet ſuam primam vxorem viuere , non poterat conſentire in ſecundam, tanquam in vxorem. Conſtat autem tanquam de fide quod ad verum matrimonium requiritur conſenſus liber, quo vir , & femina ſibi adinuicem mutuo conſentiunt , itavt deficiente hoc mutuo conſenſu matrimoniũ ſit nullum. Neque obſtat,quod prior coniux iſtius viri iã à parte rei eſſet mortua , & proinde poſſet iam ille validè contrahere cum ſecunda:non obſtat,quia licet à parte rei ille poſſet contrahere cum ſecunda , ille credens priorem viuere non intendit contrahere matrimonium

monium cum secunda, & proinde in secundam non consensit tanquam in vxorem. Quod autem de fide sit requiri mutuum consensum liberum vtriusque ad validitatem matrimonij, probat Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 25.* ex Concilio Florentino *in decreto de sacramento matrim.* & ex cap. *Sufficiat 27. qu. 2.* & cap. *Tuas*, de sponsa duorum, & aliis textibus ibidem.

2 Quod attinet ad secundum, de remedio reualidandi, seu ratificandi hoc matrimonium; Dico primò in hoc casu non requiri aliquam dispensationem Episcopi. Potest quidem Episcopus dispensare in foro conscientiæ cum aliquibus qui matrimonium inualidè contraxerunt propter impedimentum occultum dirimens, vt praxis quotidiana obseruat illos in hoc occultè dispensare, & Doctores communiter tradunt. At in nostro casu non interuenit dirimens aliquod impedimentum. Nam si aliquod impedimentum interueniret, maximè esset impedimentum ligaminis, id est ligati altero matrimonio: sed hoc non extabat verè, cùm prior vxor iam esset mortua tempore secundi matrimonij: ergo non extabat impedimentum dirimens, neque hodie extat, vt denuo contrahant: & proinde non est necessaria dispensatio Episcopi. Neque obstat quod iste sic contrahens crediderit subesse tale impedimentum ligaminis, quia conscientia erronea ipsius non sufficiens ad inducendam, non est impedimentum dirimens. Nam impedimenta matrimonij non inducuntur per conscientiam erroneam cuiusque, sed per verum Ecclesiæ decretum.

3 Dico secundò ad reualidandum hoc secundum matrimonium necessarius omnino est cósensus illius viri, quo consentiat denuò in matrimonium cum ista

 mulie

muliere. Et res clara est: quia cùm consensus liber sit de essentia matrimonij, & in hoc de fuerit consensus ex parte viri, necessarium omnino est ad illius ratificationem, vt viri consensus denuo accedat Tota dubitatio est, quomodò hic vir hodie præstare debeat hunc consensum: an scilicet vxor simul debeat cum illo consentire denuo; an verò sufficiat quod ipse solus apud se consentiat? Dubium hoc tractat Sanchez *lib.2. de matrim.disp.32.num.8.* dicens duas esse opiniones, quarum prima asserit, quod quando contrahendo matrimonio alter coniux fictè consensit, postea vt tale matrimonium reualidetur, debet vterque denuo consentire. Sed ipse ibidem *n.9. & seqq.* tenet & probat satis esse si postea solus ille consentiat, qui prius non legitimè consenserat: & citat pro hac opinione vltra viginti graues Doctores Theologos, & Canonistas. Et ratio est quia cùm iam consensus alterius legitimè datus sit, neque fuerit reuocatus, non est quod denuo requiratur. Probat eandem conclusionem *cit.disp.num.14.* exemplo professionis monasticę. Nam si Nouitius aliàs habilis quoad ætatem & annum integrum nouitiatus, & sic de cęteris requisitis, professionem emittat exteriùs, sed interiùs non consensit, neque habuit animum profitendi; talis professio fuit nulla, vt patet. At vt talis professio postea ratificetur sufficit internus consensus ipsius professi, quo consentiat, & approbet professionem: nec requiritur nouus consensus Religionis, quia ista iam consensit in personam aliàs habilem, nec consensum reuocauit. Eodem modo in nostro casu, iam hæc secunda mulier consensit in hunc hominem aliàs habilem eò quòd prima vxor à parte rei esset iam mortua: neque illa suum consensum reuocauit: ergo ad validandum hoc matrimo-

nium sufficit vt accedat solus consensus istius viri, qui antea inualidè consenserat.

4 Ad tertium quæsitum videtur posse dici, quod iste non teneatur manere cum ista muliere, nec matrimonium cum illa ratificare: sed posse secretò fugere; cùm enim matrimonium nullum fuerit, videtur quod nullam pariat obligationem: nam quod de se nullum est, nullum producit effectum. Hanc quæstionem tractat Sanchez *lib. 1. de matr. disp. 11.* & citat duas opiniones quarum prima docet, non teneri consentire in matrimonio illum qui prius fictè consensit: pro qua citat multos, & graues Doctores. Probatur ista opinio exemplo à pluribus Doctoribus recepto in materia professionis monasticæ: nam ille qui fictè professionem emisit, non tenetur, secluso scandalo, verè profiteri, sed potest ad eum locum se recipere vbi cesset scandalum, vt tenent Sotus, Nauarrus, Angles, & Henriquez ibi citati à Sanchez: ergo etiam qui prius fictè consensit in matrimonium, non tenetur postea verè consentire. Videtur enim in vtroque eadem ratio. Nihilominus Sanch. *citata disp. n. 5.* tenet cum aliis, quos citat ibid. *n.* 4. hunc hominem teneri non discedere à tali muliere, sed obligari ad ratificandum matrimonium. Citat pro illa Sanchez decem graues Doctores. Probatur, quia hîc interfuit contractus. *Do, vt des*: & alter iam impleuit tradendo potestatem sui corporis titulo matrimonij: ergo fictor tenetur verè implere ex obligatione naturali contractus. Secundò, quia sequitur alteri grauissimum damnũ: cùm enim in foro Ecclesiæ probare nequeat fictum alterius consensum, non permittetur inire alterum matrimonium, cogetúrque continenter viuere: quæ rationes sunt efficaces. Tertiò illam probo

ex ijs, quæ tradit idem Sanchez *cit.lib.1.disp.10.n.3.* vbi cum multis Doctoribus, & rationibus probat illum qui fictè promisit matrimonium alicui feminæ, & sub ea spe illam deflorauit, teneri sub peccato mortali illam ducere. Imò & ipse Sanchez *citat.disp.* 11. extendit hanc opinionem, vt vera sit, quamuis femina fictè ducta non sit virgo. Adhuc enim damnum grauissimum patietur cùm continenter viuere compellatur. Pro quo citat Sotum, Banhez, Petrum de Ledesma. Extendit secundò, hoc verum esse, quamuis fictè contrahens minimè copulam habuerit, adhuc enim tenetur verè contrahere, quia adhuc damnum illud sentit decepta, vt compellatur abstinere ab alio matrimonio. Extendit tertiò Sanchez hoc verum esse, etiam si fortè contrahentes matrimonium sint dispares quoad nobilitatem, vel diuitias: adhuc enim tenetur fingens consensum verè contrahere. Sed iterum noto, ad præstandum hunc consensum non esse necesse quod hoc intimetur feminæ deceptæ, vt iam diximus, & proinde non est necessarium quod iste consensus præstetur coram parocho, & testibus, iam hæc solemnitas facta, est quando celebratum est primò matrimonium, & illa solemnitas sufficit ad satisfaciendum Ecclesiæ, & populo.

5 Ad argumentum suprà positum in contrarium nitens in exemplo fictè professi, qui non tenetur ratificare professionem, Respondetur primò cum Sanchez *cit. disp.* 21. *n.* 11. non esse eandem rationem de fictè professo, & de fictè contrahente matrimonium: nam fictè contrahens matrimonium, si non verè contrahat, irrogat grauem iniuriam feminæ, & matrimonium est in vtriusque fauorem: At si fictè professus non ratificet professionem, non irrogatur dam-

num

num notabile Religioni,& Religio potius ordinatur in bonum profitentis,quàm è contrà. Respondeo secundò communiorem,& veriorem sententiam tenere, quod fictè professus post quinquennium, in quo iam non potest reclamare,tenetur sub mortali ratificare professionem; sic tenet & probat Bonacina *tomo 1.tract. de clausura, q.2.punct.*10. *difficult.*2.§. *Secunda sententia*, vbi illam probat efficacibus rationibus, quæ ibi videri possunt.

CASVS LXXIX.

De Ancilla cuiusdam Monialis.

QVædam Monialis ex licentia sum. Pontificis, quam habebat ad introducendam in clausuram vnam ancillam pro suo seruitio, virtute licentiæ prædictæ, introduxit vnam ancillam, quæ non sibi inseruit commodè sicut Monialis necessitatibus conueniens est. Inter conditiones à Papa assignata pro ancilla ingressura fuit hæc vna: vt si illa à conuentu exierit,non possit iterum in eundem intrare.

Quæsitum est, an possit ista Monialis hanc ancillam sibi inutilem expellere, & virtute dictæ concessionis pontificiæ, aliam ancillam vtilem introducere in clausuram?

1 Respondeo posse: probo exemplo claro. Quando Papa concedit alicui, vt possit eligere confessorem extra suum Parochum (vt concedit Papa per Bullam Cruciatæ) potest hic hodie eligere vnum

confessorem, quem si gratum, & vtilem non inueniat, poterit eligere alterum, & alterum, vt praxis obseruat, & tradit Reginaldus *tomo* 1.*lib.*1.*num.*96. citans Nauarrum, & afferens rationes collectas ex textibus: ergo à simili, dante Papa huic Moniali licentiam ad eligendam sibi vnam ancillam gratam, & nullam in particulari assignans, si hęc iam electa euasit inutilis, poterit hac reiectâ aliam introducere. Non enim maiori prohibitione prohibetur ingressus in clausuram Monialium, quam prohibeatur fieri confessionem extra suum parochum. Secundò, quia quando Papa concedit alicui Episcopo, vel alicui Religioso, vt possit facere testamentum, talis Episcopus postquam fecit vnum testamentum, potest illud rumpere, & facere aliud secundum, & tertium, reuocando priora virtute prædictæ licentiæ Papalis, sicut tenet communis opinio, & citat Sanchez *libro* 8. *de matrimonio disputat.*1.*num.*18. citans multos, & graues Doctores dicentes primam licentiam Papæ ad testandum non finiri per factionem primi testamenti. Ergò à simili, licentia Papæ data huic Moniali ad ancillam introducendam non amittitur per introductionem primæ ancillæ inutilis. Et confirmatur per quandam legem ibi adductam à Sanchez, quæ dicit. Quod quamuis sermo simpliciter prolatus intelligatur de prima vice; id tamen intelligitur nisi actus ille sit suapte natura reuocabilis. Hic autem actus admittendi ancillam est reuocabilis, vt constat. Quartò probatur, nam si hæc ancilla hodie iam recepta moreretur, clarum est posse Monialem aliam introducere, mens enim Papæ est vt succurratur istius Monialis necessitati: ergo si Monialis posset mortuâ hac ancillâ aliam eligere, idem poterit facere

eiectâ

eiectâ hac ancillâ tanquam inutili. Vltimò, quia quando prælatus dispensat cum aliquo, vt, verbi gratia, manducet carnes in quadragesima, & alijs diebus ieiunij, talis dispensatio durat quandiu durat illius necessitas. Eodem modo, dispensauit Papa cum ista Moniali, vt propter suas necessitates possit habere vnam ancillam; talis licentia, seu dispensatio durabit quandiu durauerat necessitatis Monialis.

2 Neque obstat, quod Papa dixit in sua licentia, quod si Ancilla ingressa in clausuram, inde exierit, non poterit iterum ad illam admitti. Hoc enim clarè intelligitur de ista particulari, quæ iam intrauit, & exiuit: & hoc quasi in pœnam suæ inconstantiæ, vel insufficientiæ: sed non dicit Papa, quod non possit intrare alia, siquidem durat necessitas Monialis, quæ necessitas Papam mouit ad concedendam talem licentiam eidem Moniali.

CASVS LXXX.

De quadam vxore, quæ occidit maritum suum.

QVædam mulier virgo nupsit cuidam viro viduo, qui habebat filiam ex alia prima vxore. Ante contractum matrimonium factus est contractus medietatis bonorum inter ambos; & declaratur quod illa nullam dotem attulit, & erat nobilior illo. Procedente sic matrimonio vir erat vxori valde infensus, & iniuriosus: & rem familiarem quasi totam prodige dissipabat. Cûmque ille quodam morbo grauatus

in lecto decumberet, illa secretò illi venenum propinauit, ex quo mortuus est. In cuius morte omnes ferè lætati sunt. Per mortem illius mansit illa hæres medietatis bonorum mariti iuxta contractum prius initum, cùm ipsa nullam dotem attulerit.

Quæsitum est an hæc mulier securâ conscientiâ possit retinere medietatem illam bonorum mariti, quæ sibi obuenerunt morte mariti, virtute contractus antea initi? Et pro parte negatiua, quod non possit illa retinere, sed teneatur illa restituere consanguineis mariti. Probatur primò, à simili per legem huius Regni *lib.5.Ordinat. tit.* 38. §. 3. vbi dicitur, quod si maritus occiderit vxorem sine causa, hæredes mulieris acquirent sibi omnia bona mariti, in pœnam sui delicti: ergo à simili, cùm hæc mulier occiderit maritum bona illius danda erunt hæredibus mariti, cùm sit eadem omnino ratio in vtroque casu. Confirmatur alio exemplo simili. Nam si maritus occidat vxorem contrahit impedimentum; (licet non sit dirimens) vt cum nulla alia possit contrahere matrimonium, sicut communiter Doctores tradunt hoc autem impedimentum, à paritate rationis extendunt etiam Doctores ad feminam, quæ occidit maritum, ne scilicet possit amplius alteri viro nubere, vt in particulari tenet Nauar. *in sum. cap.* 22. *num.* 74. & alij. Secundò principaliter probatur, quia licet iste maritus per contractum medietatis bonorum donauerit vxori mediam partem bonorum suorum: illa perdidit hanc donationem, & bona donata per ingratitudinem occidendo maritum. Nam quæcunque donatio liberalis reuocatur per ingratitudinem donatarij, maximè si donatarius fecit aliquam grauem iniuriam donatori, sicut hæc fecit. Sic decernitur in lege istius

Regni

Regni *lib.4. Ordinat.tit.63.§.4.& §.20.* & est opinio communis. Tertiò probatur, quia iuxta *l.consensu §.1. Cod. de repudijs, & l.vnicam §. Taceat, Cod. de rei vxor. actione* : quando matrimonium dissoluitur causa mulieris, dos quam illa attullit, acquiritur marito: cùm ergo culpa graui istius mulieris solutum sit matrimonium, dato quod illa aliquam dotem attulisset, adiudicanda esset hæredibus mariti: quanto magis cùm illa dotem non attulerit, sed id quod habet, sit de bonis mariti. Confirmatur, quia aliàs sequeretur posse aliquem de peccato suo commodum reportare, contra capitulum *Ad nostram* de empt. & vendit. & cap. *tuæ* de Cleric. non resid. Reportaret enim ista commodum ex suo homicidio.

Responsio.

1 Nulla est lex, quæ priuet hanc mulierem hac medietate bonorum, quam acquisiuit ex contractu inito cum marito ante matrimonium, & acquisiuit per mortem illius, ex eo præcisè quod ipsum occiderit: & sic ex hoc capite non perdit medietatem bonorum, quam ipsi promisit. Probo, quia si aliqua lex illam his bonis priuaret, esset illa Portugalliæ suprà citata, per quam bona mariti occidentis vxorem sine causa, adiudicantur hæredibus vxoris: sed hæc lex ad hoc non cogit: ergo ista mulier non est ipso facto priuata his bonis. Probatur minor, nam lex illa est nimis pœnalis, vt constat, & proinde restringenda ad solos terminos, de quibus loquitur, id est, de marito occidente vxorem, nó verò de vxore occidente maritú. Probatur ex illa regula iuris sæpius citata, & practicata: *Odia restringi fauores conuenit ampliari.*

Idemque docet communis Doctorum opinio,dicentium,quod lex pœnalis debet restringi,& non debet extendi de casu ad casum. Si verò aliqui Doctores dicunt posse extendi legem pœnalem de vno casu ad alium casum, quando in secundo casu inuenitur eadem ratio, quæ reperitur in primo casu expressa ab ipsa lege,sicut tenet Sanchez *lib.3.de matrim.disp.42.n.4.* In hoc nostro casu de vxore occidente maritum, non datur eadem omnino ratio, quæ datur in priori casu quando maritus occidit vxorem. Nam *lex de* marito occidente vxorem,est propter causam adulterij:hæc autem non occidit maritum ratione adulterij sed ratione iniuriarum, & grauaminum sibi a marito illatorum. Et sic non repertâ eâdem ratione in casu quando vir occidit vxorem, & in casu quando mulier occidit maritum,non est extendenda pœna vnius casus ad alium. Ad exemplum adductum ex simili traditum à Nauarro, quod vxor occidens maritum manet impedita ne contrahat amplius cum vllo viro, sicut maritus occidens vxorem, manet impeditus ne possit amplius cum aliqua contrahere. Sanchez *libro 7. de matrim.disp.16.n.6.*negat similitudinem:& probat cum multis textibus,& Doctoribus, vxorem occidentem maritum non manere impeditam à contrahendo secundo matrimonio, sicut manet impeditus maritus occidens vxorem,ne posit amplius contrahere cum alia.Et ratio quam assignat est,quia textus loquens de hac materia solum loquitur de marito occidente vxorem : nihil verò loquitur de vxore occidente maritum.Et præterea addit non concurrere eandem rationem in vxore occidente virum & in viro occidente vxorem : cuius rei causam,seu diuersitatem, videat qui voluerit apud eundem Sanchez

citato loco numero 6. quod nimis facit ad nostrum intentum, & confirmationem istius primi argumenti. Quod verò attinet ad legem Portugalliæ citatam in primo argumento contrario, quæ videtur dicere huius feminæ bona deberi marito, respondebimus infra *in solutione ad secundum.*

2 Secunda conclusio. Etiamsi sit lex quæ priuet hanc mulierem dote, vel bonis illius medietatis propter mortem mariti, poterit hæc bona retinere, neque illa restituere hæredibus mariti, quoad vsque non fuerit condemnata per sententiam iudicis, vt talia bona restituat hæredibus mariti. Hæc conclusio fundatur in communi Doctorum sententia dicentium, quod pœna imposita per aliquam legem, etiam si lex dicat, quod incurratur ipso facto seu ipso iure, vel quod incurratur absque vlla declaratione, hoc non obstante, is qui commisit delictum tali lege prohibitum, non tenetur statim dare illa bona sed potest, illa retinere, donec per sententiam iudicis condemnetur in amissione talium bonorum. Hæc inquam opinio est communis Doctorum, pro qua sufficiat videre Sanchez *lib.1. Decalogi, cap.22. num.7.* vbi citat vltra triginta graues Doctores dicentes, hæreticum, cuius bona per tot leges ciuiles, & canonicas sunt confiscata, & adiudicata fisco, non teneri post commissam hæresim bona sua deferre fisco, sed posse illa retinere quoad condemnetur per sententiam publicam iudicis. Et addit ibi Sanchez *n. 12.* quod neque hæredes hæretici scientes de tali hæresi tenentur restituere fisco bona illa hæretici defuncti ante sententiam iudicis. Cum ergo delictum istius feminæ sit minus graue, quàm crimen hæresis, & sit occultum, dato quod sit aliqua lex quæ priuet illam hæreditate ob tale ho-

mici

micidium,eâ lege non obstante cùm hæc mulier non sit accusata, neque condemnata, securâ conscientiâ potest retinere illa bona sibi debita ex contractu medietatis inito cum marito. Imo iuxta Sanchez citato loco etiamsi daretur talis lex illam priuans, ea non obstante, ante condemnationem iudicis, posset hæc bona alienare pro sua sustentatione, absque eo quod peccaret in tali alienatione:pro quo videatur Sanch. *cit.lib.2.Decalogi c.22.n.*56.& 59.Fundamẽtumautem Sanchez & cæterorum Doctorum ad hoc dicendum, est,quia hæreticus ante sententiam condemnatoriam retinet verum dominium bonorum suorum : & ideo dum non condemnatur, potest retinere, consumere, & alienare pro sua sustentatione sine peccato. Hinc potest formari secundum argumentum ad probandam hanc secundam conclusionem : quod tale est. Hæc mulier per contractum medietatis bonorum initum cum marito,acquisiuit statim dominium medietatis illius donatæ à marito : ergo dato quod sit lex illam priuans illis bonis propter homicidium, ea lege non obstante non perdidit illa medietatem illorum bonorum antequam per sententiam condemnetur, neque ante sententiam tenetur illa restituere. Probatur antecedens, quod scilicet hæc mulier per solum contractum medietatis bonorum cum marito inito in principio, acquisiuerit dominium super medietatem illorum bonorum, probo inquam primò, quia est proprietas cuiusque contractus, vt statim transferat dominium rei in alium, vt probat Comitolus *lib.de contractib. in communi p.2. cap.* 27. citans duas leges iuris ciuilis : ergo per illum contractum ista mulier statim acquisiuit dominium super illam medietatem bonorum. Secundò probatur idem antecedens;

tecedens; nam hæc medietas bonorum quam vir isti mulieri promisit in substantia fuit, dare dotem huic mulieri: potest enim maritus dare dotem vxori pauperi, vt tenet Syluest. *verb. Dos*, *q*.6. maximè quando vxor est nobilior viro, qualis erat ista. Iam verò dos cadit sub dominio vxoris, etiam constante matrimonio, quoad dominium directum, quamuis pertineat ad maritum quoad dominium vtile, vt tenet D. Thomas citatus à Rabello *lib*. 5. *de contractibus, seu de contractu dotali*, *q*.1. *num*.18. Item dos est patrimonium vxoris, iuxta eundem Rabello cit. *q*. *n*.9. pro quo citat vnam legem, & Doctores. Cùm ergo hæc mulier acquisierit dominium super hanc medietatem bonorum, quæ illi tanquam dos relicta, & data fuit, & tanquam patrimonium non amisit dominium istius dotis, & proinde potest illam medietatem retinere, etiam si detur lex illam priuans talibus bonis ob tale homicidium, donec per sententiam non fuerit priuata.

3 Secundò principaliter probatur hoc ex illis, quæ tradit Rabello *lib*.2. *de societate bonorum inter coniuges quæst*.6. *num*. 10. vt videlicet quod mulier adultera quæ nupsit cum cõtractu medietatis bonorum propter adulterium non amittit medietatem illam bonorum, quæ habet in bonis mariti post consummatum matrimoniũ: & causam assignat, quia huius medietatis non habet mulier titulum lucratiuum, sed titulum onerosum: & ad hoc vt mulier amittat sua bona, vel suam doté, grauius delictũ est adulterium, quàm homicidium mariti: nam quod propter adulterium mulier amittat doté ex lex expressa *lib*.5. *Ordinat. Portugalliæ tit*.38. §.2. & multi textus iuris ciuilis citati à Sanch. *lib*.10. *de matr*. *disp*.8. *n*.2. Non verò datur lex clara priuans dote vxorem maritũ occidétem,

vt

vt patet ex dictis. Et præterea ista medietas bonorum promissa à marito huic mulieri, fuit promissa titulo oneroso, & quasi remuneratorio, ex eo scilicet, quod illa nobilior, sibi inferiori nuberet.

4 Ex alio capite poterit fortè ista mulier obligari ad aliquam restitutionem: ex homicidio videlicet. Nam homicidia obligatur ad multa restituenda iuxta Doctores communiter. De quo inter alios, videndus est Azor *tom.3. lib.5. cap.3. §. Conuenit inter omnes*, & Rebel. *lib.3. de oblig. ex delicto q.3.* Primò enim homicida tenetur restituere expensas factas in medicinis. 2. tenetur restituere lucrum cessans, quod occisus habere poterat in vita, deductis expensis, iuxta qualitatem personæ, si erat exposita officio lucrandi. 3. tenetur restituere damnum illatum illis, qui sustentabantur ab occiso ex obligatione, vt sunt parentes, vxor, & filij. Et hæc omnia consideranda sunt ad arbitrium boni viri. Et quod attinet ad hæc tria, si verum est quod mihi dictum est extra informationem, quod iste occisus suâ morte nullum damnum intulit, eo quod prodigus esset, neque aliquid acquireret denuo, sed potius acquisita dissiparet: clarum est quod ista mulier ex hoc capite non tenebitur ad restitutionem, eo quod non fuit causa lucri cessantis ipsi marito; nec ex sua morte damnum resultauit familiæ, sed potius lucrum: & in curatione morbi paucæ faciendæ fuerunt expensæ, quia venenum breuiter occidit. Denique, si constiterit, quod aliquod damnum intulit sua occisione, iuxta regulas suprapositas, id solum tenetur restituere non verò medietatem bonorum, de qua quæritur, propter efficaces rationes suprapositas.

5 Et præter illa tria, quæ suprà diximus teneri homicidam restituere: dubium est inter Doctores, an hom

homicida teneatur aliquid restituere eo quod abstulit vitam hominis, & in hoc iniuriam fecerit ipsi occiso? In hac quæst. alij negant, alij affirmant. Securior opinio est affirmatiua, quam sequitur Rabel. *loco proximè cit.* pro qua citat D. Thom. Scot. Adrian. Cord. & probat: nam si ex eo quod occidi bouem alicuius, teneor restituere aliquid pro vita bonis ablata: à fortiori tenebor restituere aliquid pro sola vita hominis ablata, ad arbitrium boni viri. Et proinde iuxta hanc opinionem tenebitur hæc mulier restituere aliquid filiæ istius occisi, ex prima vxore, idque ad arbitrium viri prudentis.

6 Si tamen hæc mulier est pauper, illique valde onerosum sit restituere aliquid præcisè ex vita marito ablata, poterit quietari iuxta opinionem Nauarri, qui *in sum. c.* 15. *n.* 19. cũ alijs dicit non teneri homicidam aliquid restituere ex eo præcisè quod vitam abstulit. Et potest quis securè sequi opinionem vnam quando illa tenetur à Nauarro, & Hostiensi, & Azore, quos citat Nauar. potest enim quis sequi vnam opinionem probabilem, pro qua est vnus Doctor classicus, relictâ opinione probabiliore, pro qua sunt plures Doctores, vt tradi Azor *tomo.* 1. *lib.* 2. *cap.* 15. *iad finem.* §. *Quando igitur.* Et Sanch. *lib.* 1. *Decalogi c.* 3. *n.* 7.

Solutio argumentorum.

7 Ad primum argumentum in contrarium positum in principio ex lege Portugalliæ puniente maritum occidentem vxorem, & cæt. iam manet responsum ex dictis in prima conclusione *n.* 1. vbi probauimus quod illa lex contra maritum occidentem vxorem, non extenditur ad vxorem occidentem virum.

Et eodem modo respondetur ad confirmationem eiusdem argumenti, diximus enim *eodem n.* 1. cum Sanchez vxorem occidentem virum, non contrahere impedimentum ne amplius contrahere possit matrimonium, sicut contrahit vir occidens vxorem.

8 Ad secundum argumentum, dicens quod hæc mulier iuxta legem Portugalliæ amisit donationem factam à marito eo quod illi fuerit ingrata, & iniuriosa, Respondeo primò, quod dicta lex Portugalliæ ibi dicit, amitti quidem donationem per ingratitudinem donatarij: sed addit lex, quod si donator in vita non reuocauerit donationem, valida erit donatio. In hoc verò casu maritus non reuocauit donationem medietatis bonorum factam huic mulieri, & proinde valida mansit. Secundò respondeo ex eadem lege quæ in principio solum clarè loquitur de donatione pura, & simplici, & facta sine vlla cõditione, sed est purè liberalis. Donatio verò medietatis bonorum facta huic mulieri, non fuit simplex, nec purè liberalis, nec sine conditione: sed fuit donatio sub conditione, videlicet, *si nupseris mihi*, & præterea facta fuit cum onere, si consummaret matrimonium, quam conditionem, & onus mulier adimpleuit: & sic cùm esset donatio cum onere, & conditione adimpletis, nec maritus reuocauit, nec potuit reuocare. Quia quando Doctores dicunt donationem posse reuocari ob ingratitudinem, intelligunt de simplici donatione, non verò de facta cum onere, & conditione, & per contractum matrimonij, qualis hæc fuit. Tertiò respondetur, quod etiam donationes inter coniuges factæ in vita, & causa mortis confirmantur per mortem donantis, si ille non reuocauit in vita, iuxta communem opinioné, de quo Ra-

bello

bello *lib.6.q.13.sect.5.* Et ista donatio mariti facta fuit causa mortis,vt patet,& proinde per mortem mariti mansit confirmata, cùm ille viuens illam non reuocauerit.

9 Ad tertium dico, leges illas, quæ dicunt,quod si matrimonium dissoluatur culpa vxoris, bona ipsius pertinent ad maritum,clarè loquuntur,quando matrimonium propriè dissoluitur : quod tunc fit quando matrimonium soluitur solum quoad torum, & aliàs manet vinculum matrimonij, vt fit per diuortium.Sed in hoc casu non propriè solutum est matrimonium,sed desiit esse,& fuit extinctum, & proinde illæ leges in hoc casu non militant. Respondeo secundo,quod neque etiam quando soluitur matrimonium per diuortium tantùm,illæ leges locum habent. Nam aliquando ob rixosam mulierem fit diuortium quoad torum, & tamen non propterea iudex Ecclesiasticus applicat dotem,& bona vxoris marito. Tertiò dico quod licet illæ leges hodie durarent, & valerent,non habent locum, & executionem nisi postquam accesserit sententia declaratoria iudicis,quæ in hoc casu lata nòn est, pro quo videantur suprà dicta in secundo numero. Ad confirmationem tertij argumenti,dico,quod ista mulier occidendo maritum, & retinendo suam medietatem, non dicitur reportare commodum ex suo peccato præcisè, sed reportat ex donatione præterita per quam acquisiuit verum dominium istorum bonorum,vt dixi in præcedentibus: & sic non reportauit commodum ex delicto, sed ex contractu,& donatione licita,& onerosa.

CASVS LXXXI.

De quodam testamento cum clausula, quod vxor non nubat.

QVidam vir nobilis in suo testamento reliquit omnia bona sua (quæ erant multa) vxori suę sub conditione quod iterum non nuberet: si verò nuberet, Confraternitas Misericordiæ Olysipponẽsis omnia sua bona acquireret distribuenda pauperibus.

Quæsitum fuit, an illa conditio non nubendi, sit iusta, & licita, & ita obligatoria, quod si illa nupserit amittat omnia illa bona?

1 Hanc quæstionem disputat Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 34. *num.* 3. & resoluit absolutè, quod conditio non est licita: & quod illâ non obstante, si talis mulier nupserit, non amittet legatum, seu hæreditatem. Probat hoc Sanchez per tres, vel quatuor leges iuris ciuilis, quarum vna ponit hanc rationem. Quia interest Reipublicæ vt multis ex legitimo matrimonio procreatis augeatur. Citat Sanchez pro hac opinione Costa, Antonium Gomez, Molinam Iuristam *lib.* 2. *de primogen.* & Molinam Theologum in duobus locis tomorum suorum de iustitia.

1 Post Sanchez scripsit Rabel. qui in suo tomo *de oblig. iustit. lib.* 18. *q.* 16. *n.* 1. *&* 2. dicit quod illæ leges cit. à Sanchez sunt limitatæ, seu restrictæ per aliam legem posteriorem, videlicet, *Auth.* Cui relictum, *Cod. de inuita viduitate tollẽda*, in qua decernitur, quod si alicui feminæ relinquatur aliquod legatum, si non nubat, & talis mulier fuerit virgo, & nupserit prima vice:

vice: in tali casu, talis conditio non valet: nec talis mulier si nupserit, amittet legatum. Si verò illa fuerit vidua, tenet conditio, illaque nubente amittetur legatum. Verba Rabelli sunt hæc: *Quo fit, vt si donatio, legatumve, alicui feminæ, vel viro antea coniugato, fieret sub conditione ne ad secundas nuptias transeat, & conditio non seruetur, ipso iure res, si tradita sit, restitui debet cum fructibus.* Sic ille. Non assignat Rabello aliquam rationem, sed solum citat illam legem cui inhæret. Ego huic secundæ opinioni magis adhæreo, & pro illa hanc rationem assigno. Nam secundæ nuptiæ, licet sint licitæ & contrahi possint absque peccato, etiam veniali, non tamen ita probantur, & fouentur ab Ecclesia sicut primæ. Constat ex D.Paulo 1. *ad Corinth.* 7. vbi postquam dixit, viduam posse nubere: addit quod beatior erit si sic permanserit. Item secundæ nuptiæ non benedicuntur à parocho, quando viduas iungit matrimonio, sed solum primæ nuptiæ, vt patet ex *cap.* 1. *de secundis nuptiis*, & ex praxi Ecclesiæ. Item certo modo Ecclesia punit virum qui contrahit matrimonium cum vidua, quia manet irregularis, nec potest ad sacros Ordines promoueri, vt patet ex materia de irregularitate. Dixi, certo modo nubentem viduæ puniri, nam in rigore illa irregularitas non est punitio, cùm non sit orta ex delicto, sed solùm ex indecentia, & ex defectu significationis, vt Doctores explicant in materia citata de irregularitate. Cum hac opinione Rabelli concordat Riccius *tomo* 2. *suarum decisionum, decisione* 1927. vbi pro se citat Franch. & Montero in Decision. Aragon. Item tenet Medin. *Cod. de restit. quæst.* 23. *vers. Respondeo saluo.* Et Gutier. 2. *lib. qq. canon. cap.* 25. *num.* 15. Fauet huic opinioni

Nauar.*consilio* 21.*de sponsal.* vbi ait nemini posse prohiberi primas nuptias.Et exprimens primas nuptias, videtur innuere quod possint prohiberi secundæ indirectè, videlicet quando relinquitur legatum ne vidua nubat.

2 Imò Sanchez *lib.7.de matrim.disp.91.n.5.*hanc secundam opinionem absolutè tenet quod valet conditio apposita in legato relicto viduæ, dummodo non nubat. Et idem tauet ipsemet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 88. *per totam*, vbi refert quatuordecim pœnas,quas ius commune irrogat viduis transeuntibus ad secundas nuptias.

CASVS LXXXII.

De quibusdam decimis petitis à quodam Commendatario.

QVædam femina nobilis cùm esset iuncta matrimonio cuidam commendatario cuiusdam Ordinis Militaris.cùm adhuc maritus viueret,litigatum fuit in iudicio,vtrùm Commendatarius Militaris esset obligatus ad soluendas decimas. Durante lite,accessit tempus soluendi decimas tritici, quas maritus integrè soluit.Post tres dies solutionis factæ ; lata est sententia declaratoria,per quam declaratum est prędictum commendatarium non debuisse decimas ex sua commenda. Maritus huius feminæ mortuus est paulò pòst.

Quæsitum est primò,an possit hæc femina singulis annis defraudare decimas, quas de bonis suis debet quoadvsque sibi compenset pecuniam illam, quam

quam dederat antea pro decimis non debitis : hanc enim in iudicio non audet repetere ob fugiendas molestias & expensas.

Quæsitum est secundò : Maritus obiit in die proximè præcedente festum Annunciationis B. Mariæ, & decimas soluit plenè maritus suus, an possit facere computationem?

3 Quæritur : quidam filius maioratus istius feminæ furto illi subtraxit certam copiam tritici cùm pater illius adhuc viueret : quæritur an, viso quod media pars illius tritici erat istius feminæ, & media pars mariti, & maritus huic feminæ testamento reliquit omnia sua bona præter maioratũ, possit hæc mulier tẽpore inuentarij occultare res aliquas, per quas sibi compenset valorem illius tritici à filio rapti?

Responsio.

1 Ad primum dico, quod si hæc mulier hodie potest viâ ordinariâ iustitiæ facilè recuperare valorem illarum decimarum, quas soluit, illas non debẽs tunc in conscientia non potest in occulto facere cõpensationem illã, de qua quęrit, propriâ authoritate: & peccaret mortaliter sic faciendo. Debet enim tunc recurrere ad proprium iudicem: quia nemo potest esse iudex in propria causa. Hæc conclusio est communis Doctorum, maximè illorum quos mox citabo.

2 Secundò dico. Si hæc mulier hodie recuperare non possit valorem decimarum solutarum nisi cum magna sua iactura, vel si is contra quem litigare debet est vir nimis potens; & factura est graues expẽsas, vel huius occasione debet excidere à gratia, & amicitia alicuius viri notabilis : in tali casu poterit facere

compensationem secretam eo modo quo proponit, denegans alias decimas, quas ex aliis bonis debet Ecclesiæ dummodo non sit scandalum illorum qui viderint, vel sciuerint illam decimas non soluere: & dummodo nihil vltrà de decimis subtrahat quàm sit illud quod antea soluit non debens. Hæc doctrina est communis Doctorum, maximè Medinæ, *Cod. de restit. q. 11. tit. de rebus per creditorem in recompensam ablatis, §. Quibus non obstant.* Idem tenet Vasq. *tom. de opusc. tit. de restit. cap. 5. dubio* 8. & Reginald. *tom.* 1. *lib.* 10. *de restit. c.* 18. *n.* 258. *& seqq.* Lessius *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 10. *à n.* 58. *& seqq.* cum aliis multis, quos hi quatuor citant.

5 Principalis ratio istius conclusionis est, Nam ille qui suum recuperat, & facit compensationem cum omnibus supradictis circunstantiis, capiens in secreto sibi reuera debitum, quando alia via capere non potest modo supradicto, tunc non capit alienum, sed quod reuera est suum. Et proinde hæc mulier in secreto faciens istam compensationem cum supradictis debitis circunstantiis, capit quod est suum, & sibi fuit per iudicis sententiam virtualiter adiudicatum: eo quod sententia declarauerit maritum suum decimas non debuisse. Sententia verò iudicis, quando est declaratiua, retrotrahitur ad præterita, de quibus litigabatur. Et ideo cùm mulier possit facere istam compensationem in secreto, non peccat, cessante scandalo, vt diximus. Secundò, hæc mulier sic faciens istam secretam compensationem, non facit iniuriam iudici: Nam iudex ordinarius non est iudex in foro secreto, sed in foro publico, in quo proceditur iuridicè. At ista mulier capiens in secreto, quod sibi debetur per sententiam, non procedit in foro externo ordine iudiciario, sed in foro in-

terno

terno capiendo quod suum est. Tertiò ista mulier sic faciendo istam compensationem secretam modo prædicto, non dat scandalum, vt suppono & admonui. Neque item sic compensans se facit iudicem in propria causa:non enim dat sententiam, sed accipit in secreto quod suum est:eo nempe modo, quo, si latro è domo Petri rem furaretur, & cum illa fugeret, si in via res caderet inscio latrone,& Petrus rem suā inueniret in via,posset rem suam capere inscio latrone. In confirmationem dictorum, dicunt Vasquez,& Reginaldus locis suprà citatis, quod si aliquis rem suam secretè recuperauerit per modum compensationis seruatis circunstantiis supradictis, & postea publicetur excommunicatio per quam præcipiatur denunciari de possessore rei illius,vel quod dicta res restituatur illi, qui talem excōmunicationem petiit; in tali casu is qui suam rē recuperauit prædicto modo,non manet excommunicatus, nec tenetur restituere.Neque item tenetur de illo denunciare ille qui scit illum rem suam recuperasse per viam compensationis modo supra dicto. Et in nostro casu hæc mulier per prædictam compensationem non retinet rem alienam, & proinde si publicetur excommunicatio,non tenetur restituere, neque tenentur de illa denunciare illi qui nouerint illam licitè per compensationem rem suam recuperasse.

4 Secundum quæsitum propositū fuit valde confusè;neq; ego ob loci longā distantiā potui explicationē audire.Siquid verò etiā in confuso potest respōderi,est,quod si bona,quæ decimauit erant ex fructibus commēdæ,in tali casu,siue decimaret antea, siue post mortē mariti, potest facere compensationem de illis modo supradicto in responsione ad primum. Si verò

bona quæ decimauit erant extra fructus commendę, de his non poteſt facere compenſationem, quia de his debebat decimas ante, & poſt mortem mariti.

5 Ad tertium dico, quod ſi detur dubium, an filius ex horreo dictum triticū furatus ſit, ſtante dubio nō poteſt facere prędictā compenſationem de bonis filij, neque occultare in inuētario res aliquas pro dicta cō-penſatione. Omnes enim Doctores dicunt quod ad faciendā cōpenſationē debita debēt eſſe clara, & certa: & proinde extante dubio de furto tritici, talis cō-pēſatio fieri nequit. Si verò ſit res certa quod ille dictum triticū furatus ſit, poteſt facere dictā cōpenſationē occultando in inuentario res quæ æquiualeant tritico ablato ſeruatis circunſtantiis ſuprà poſitis in reſponſione ad primum. Et probatur hæc reſponſio eiſdē argumentis quibus ſuprà in reſponſione ad primū probauimus potuiſſe fieri compenſationem pro decimis ſolutis, & non debitis, datur enim vtrobique eadem ratio. Imò in hoc caſu matris erga filium datur maior ratio ad faciendam compenſationem, ſi conſtet de furto, quàm in priori caſu. Nam ſi mater voluerit triticum à filio repetere viâ iuridicâ coram iudice, fortè non habebit teſtes, & infamabit filium de furto; & indecorum eſt, quod mater filio litē moueat: quæ omnia deerant, in caſu quo vellet decimas ſolutas, & non debitas recuperare iuridicè. Sed aduerto, quod ſi in inuētario aliqua bona negauerit pro facienda dicta compenſatione tritici, de talibus bonis ſubtractis ab inuentario dare debet cæteris filiis extra maioratum portiones ſibi debitas iuxta legem Regni, quæ agit de bonis relictis inter filios diuidēdis. Si verò filius maioratus procuret publicari excommunicationē contra bona in inuentario negata,

hæc

hæc mulier non tenebitur restituere, neque tenebuntur de illa denunciare scientes illam iustè per compensationem dicta bona retinere, sicut dictum est in responsione ad primum.

CASVS LXXXIII.

De reuocatione cuiusdam testamenti.

VIr, & vxor habentes vnum tantùm filium, fecerunt commune testamentum, in quo de suis tertiis, & legitimis instituerunt maioratum filio cum his clausulis: quod testamentum confirmarunt authoritate Regis. Clausulæ fuerunt, quod vnusquisque parens viuus relictus possidebit totum maioratum cum fructibus illius dum vixerit, & solùm dabit filio congrua alimenta. Secunda clausula fuit, quod pater, vel mater relicta viuent semper castè, & honestè in statu viduitatis, & in casu quod sic non viuant, statim totus maioratus transeat ad filium.

Hoc posito mater pœnitens facti vult reuocare testamentum, dicens, quod poterit contingere, vt filius tempore suæ viduitatis, & moræ impatiens, sibi vitium incontinentiæ obiiciat, & probet falsis testibus, & sic illa spoliata maneat vsufructu maioratus, & omni remedio sustentationis. Maritus dicit se nolle vt testamentum à Rege confirmatum reuocetur. Et vxoris obiectioni respondens, ait: nunquam filium contra illam posse probare nisi crimen fuerit notorium.

Quæ

Quæritur primò, an possit vxor reuocare hoc testamentũ, quoad suum consensum, ita vt talis clausula in futurum sibi non præiudicet? Secundò, an si ordine iudicis illa viuente maioratus filio tradatur, teneatur filius sibi dare alimenta? Tertiò, quod remedium adhiberi possit prædictæ clausulæ, vt in futuro sibi præiudicare non possit?

Responsio.

1 Hæc materia potiùs pertinet ad peritos legis ciuilis, quàm ad Theologos: obligatus tamen respondere ex illis quæ Theologi à libris Iuristarum hauriunt, dico sequentia.

Primò, quod non obstante confirmatione testamenti facta per Regem, ista mulier potest reuocare testamentum prædictum: excepto si Rex in in sua confirmatione dixit, *Aliter non fiat*, vel quid simile apposuerit irritans reuocationem. Probo primò, quia iuxta omnes Doctores testamentum factum à coniugibus concorditer potest postea reuocari ab vnoquoque coniugum dum viuit, quoad partem sibi attinentem. Testamentum enim ante mortem testatoris validum non est, & proinde potest mutari, vt expressè dicit D. Paulus *ad Hebr.9.* quod adeò verum est, vt dicant Doctores, quod si ego iuraui me non reuocaturum esse meum testamentũ, & nihilominus postea reuocem peccabo peccato periurij, vt contraria reuocatio testamenti valida erit. Hæc doctrina traditur ab Azor. *tom.1. lib.5. cap.26. q.15. & 16.* citando alios vtriusque iuris Doctores. Secundò probatur quia si ista institutio maioratus in substantia est donatio causâ mortis (sicut esse videtur) omnes Doctores dicunt

cunt donationem causa mortis posse reuocari ante mortem, eo quod non sortiatur effectũ nisi post mortem, donatoris. Et idẽ est de promissione causa mortis qualis facta est in hoc testamento. Et in donatione, vel promissione causâ mortis dominium non trãsit ad donatarium, vel promissarium, nisi post mortem donantis: de quo inter alios videatur Rabello *lib.* 18. *q.*12. Secundò probo ex ijs, quæ tradit Rodriguez *tom.* 1.*qq.q.*68. *ar.*1. & Miranda *q.* 29. *art.*8. & Azor *cit.q.* 15. & alij ab his citati, qui dicunt, quod si aliquod capitulum canonicorum, vel aliqua Religio, fecit aliquod statutum super certa materia, quod statutum postea Papa confirmauit, dicunt quod non obstante tali confirmatione Papæ, potest postea capitulum, vel Religio reuocare dictum statutum antea à se factum, pro vt expresſè habetur in cap. *Cùm accessissent*, de constitut. vbi refertur quod capitulum cathedralis per se solùm recessit à statuto facto per capitulum, & confirmato à Papa. Qui casus similis omnino est isti nostro de testamento confirmato à Rege: imò maiorem vim habet confirmatio Papæ circa statutum, quàm habeat confirmatio Regis ad testamentum. Et facit omnino ratio adducta à Miranda citato articulo dicente, quod confirmatio data à Papa circa statutum, vel Regis supra testamentum, solum fuit confirmatio facta in forma communi, & talis confirmatio non reddit rem firmatam irreuocabilem, sed est solùm quidam fauor, vel priuilegium. At vnusquisque potest renunciare fauori, & priuilegio sibi concesso, vt communis tenet opinio. Et proinde hæc mulier sentiens se læsam quoad consensum traditum in hoc testamento, poterit renunciare, seu reuocare dictum consensum & testamentum: & renunciare fauori, quo Rex illud confirmauit. 2 Se

2 Seruit ad hoc regula 61. *de regul. iuris in* 6. quæ dicit: *Quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Ista verò confirmatio Regis facta fuit in gratiam istorum coniugatorum, ac proinde non debet retorqueri in dispendium mulieris, ita vt non possit illa testamentum reuocare. Neque facit contra hanc mulierem regula 21. *de regul. iuris in.*6. dicens: *Quod semel placuit, amplius displicere non potuit.* At isti mulieri iam placuit illa clausula testamenti, & proinde videtur quod iam amplius sibi displicere non possit. Non obstat quia illa citata regula iuris patitur multas instantias, & exceptiones sicut ibi dicit glossa 2. Primò enim fallit in casibus, in quibus ius permittit pœnitere, & variare, de quo adducit multa exempla, etiam in contractibus: & ista institutio maioratus, vel pertinet ad testamentum vel ad donationem, vel ad contractum, qui contractus nondum est sortitus effectum. Nam filius nondum habet dominium maioratus: ergo mater illius hodie potest pœnitere, & proinde reuocare clausulã, quam sibi putat nocituram. Eo modo quo emptio, & venditio possunt rescindi ante pretium datum & receptũ, nam ante pretium datum non est perfecta venditio.

3 Dixi suprà: *Nisi Rex in confirmatione dixerit: Et aliter non fiat, vel expressè annullet reuocationem si fiat.* Nam si Rex hæc verba apponat, non poterit mulier reuocare. Nam Rex in maioratibus potest apponere clausulas, quas maluerit. Et proinde ad veram decisionem istius casus videnda est forma verborum, per quæ Rex confirmauit hoc testamentum: si enim in illa non ponit clausulam irritantem reuocationem dicti testamenti poterit mulier pœnitere, & mutare clausulam testamenti. Fuit enim confirmatio

in

in forma communi, quæ non addit robur particulare rei confirmatæ, sed est tantum fauor, & gratia concessa petenti confirmationem, cui potest renunciare is qui gratiam petijt iuxta prædicta.

3 Ad secundum quæsitum, quo quæritur, an possit in futurum præiudicare huic mulieri non reuocasse hanc clausulam, dico, quod si illa non reuocauerit, & postea mortuo marito illa nupserit, vel inhonestè vixerit, amittet possessionem, & fructus maioratus, eo quod non seruauerit clausulas, & conditiones, in quibus consensit, & in hoc non est dubium. Quo dato filius tenebitur lege naturali dare matri alimenta, lex enim naturalis hoc dictat. Si enim per legem naturalem vnusquisque tenetur proximo indigenti succurrere, quanto magis matri indigenti? Et præterea ex praxi, & lege istius Regni, filius Maioratus tenetur alere fratres pauperes, & multo magis matrem, de quo inter alios videatur Riccius *tom.* 1. *suarum decisionum Collectan.* 1793. *&* *tomo* 2. *Collectan.* 97. *&* 1162. & alij ibi citati.

Ad tertium, de modo, quo ista mulier debeat facere hanc reuocationem iuridicè, ita vt valeat, respondeant legis ciuilis periti, ad quos pertinent hi Apices.

CASVS LXXXIV.

De quadam dote matrimonij, & obligatione denunciationis.

QVædam mulier nupsit viro putans se habere ætatem sufficientem ad matrimonium, vide

videlicet annos 12. completos, vixit cum illo, titulo vxoris. Discursu temporis illa commisit clarum adulterium: propter quod ille mortalibus vulneribus illam vulnerauit. A quibus illa sanata, accusata fuit à marito de adulterio. Illa in foro Ecclesiastico absoluta est, eo quod probauit se non contraxisse verum matrimonium, eo quod quando nupsit non habebat duodecim annos completos, proinde matrimonium fuerit nullum: & si per sententiam Ecclesiæ declaratum est matrimonium prius fuisse nullum, ita vt vterque posset de se facere quod vellet.

Illa post sententiam accusauit illum coram iudice, eo quod iocalia, & res pretiosas, quas pro dote attulerat, prodigè dissipasset, & illarum valorem requirebat, allegans quod deberet exire cum sua dote soluto matrimonio: propter quod fecit illum carcerari in loco publici carceris.

Ille durante hac lite sumpsit res aliquas pretiosas, quæ præsumuntur fuisse allatæ ab illa pro dote (sed de hoc non constat clarè) & has res pretiosas dedit Petro sub pignore, vt sibi accommodaret ducentos ducatos, quos illi dedit Petrus, & Petrus retinet hodie prædictas res pretiosas sub pignore in secreto. Mulier impetrauit excommunicationem, per quam præcipiebatur vt quicunque sciret de prædictis rebus pretiosis feminæ ablatis, denunciaret iudici Ecclesiastico intra certum terminum dierum. Quo posito?

Quæsitum est primo, vtrùm Petrus, qui res istas retinet pro pignore suæ pecuniæ accommodatæ, teneatur sub censura publicata denunciare de rebus, quas habet, sciens quia sibi auferendæ sunt cum

peri

periculo amittendæ pecuniæ mutuatæ: eo quod debitor suæ pecuniæ, est positus in carcere, neque habet vnde soluat.

Quæsitum est secundò, an peccatum luxuriæ ab ista muliere commissum, fuerit verum adulterium, vt propter illud incurreret pœnas adulteræ?

Tertiò, an propter hoc delictum quod commisit stante matrimonio putatiuo, amisit dotem allatam tempore quo primum nupsit?

Quartò an dato quod dotem non amisit; & dato quod constet prædictas res pretiosas retentas à Petro sub pignore, esse de dote dictæ feminæ: an possit Petrus illas reddere viro putatiuo petendo pecuniam mutuatam sub illis; an verò teneatur illas reddere feminæ cum periculo amittendi suam pecuniam mutuatam?

Responsio.

1 Ad primum quæsitum dico non teneri Petrum, qui res istas sub pignore accepit, denunciare iudici se illas habere sub pignore, si inde clarum sit periculum amittendæ suæ pecuniæ accommodatæ. Probatur conclusio ex communi dicto Doctorum dicentium, quod nemo tenetur ire denunciare, quando ex sua denunciatione timet magnum damnum sibi euenturum. Sic tenet Corduba *in sum. q.*63. & 64. Sayro *in Claui Regia lib.*12. *cap.*14. *num.* 32. vbi citat multos alios. Idem tenet Riccius *tom.* 1. *decision. Collect.*995. Villalobos *in sum.*1. *p. tract.* 17. *difficult.* 18. *numero* 3. At constat quod si Petrus denunciauerit de his pignoribus, exponit se claro periculo amittendi suam pecuniam, eo quod is qui illas res

ſub pignore dedit, ſit pauper,& carceratus, & difficillimè ſuam pecuniam recuperabit:ergo non tenetur ad denunciandum cum tanta ſua iactura. Et eſt hoc adeò verum,vt dicat Sayro.*cit.loco n.* 33.quod in hoc caſu, & ſimilibus, in quibus aliquis excuſatur à denunciatione, ſi iudex huic exhibeat iuramentum vt dicat an ſciat de tali re; poteſt negare,& dicere ſe neſcire: ſub intelligens in corde ſe neſcire ad reuelandum. Nam iudex in tali caſu non poteſt illum obligare ad reuelandum cum tanta ſua iactura.

2 Ad ſecundum quæſitum dico, quod licet delictum iſtius feminæ Theologicè non fuerit adulterium, eo quod conſtitit, quod à parte rei,illius matrimonium fuit nullum ob defectum ætatis: nihilominus in rigore legum,illius peccatum quoad malitiam teputatur adulterium,& merebatur pœnas corporales,quas leges ciuiles imponunt vxori adulteræ. Probo hoc imprimis per legem iſtius Regni *lib.* 5. *Ordinat.tit.*26.§. 1.vbi Rex dicit, quod ſi aliquis dormierit cum aliqua femina coniugio copulata apud vulgus, & in facie Eccleſiæ, licet poſtea conſtet quod illius matrimonium fuit nullum,ſed illa viuebat cum illo qui credebatur ſuus maritus,is qui cum tali femina concubuit, ſtante illâ opinione vulgi, ad mortem damnetur tanquam adulter. Nam(ait ibi lex) in hoc caſu reſpexit ius ad intentionem,quam iſte homo habuit peccandi cum muliere coniugata, credens illam eſſe vxoratam, licet talis non eſſet. Ergo à ſimili, ſi incurrit pœnam adulterij dormiens cum feminâ, re vera non coniugata, ſed credens illam eſſe vxoratam: eandem pœnam incurrit hæc mulier peccans carnaliter cum alio, quia credebat ſe

vxo

vxoratã,& pro tali habebatur in populo,licet à parte rei talis non esset.Idem probatur ex l. *Si vxor* ff. de adult.vbi dicitur,quod nec matrimonium,nec speciem matrimonij violare licet. Hanc legem citat Panorm.super *capitulum* plerumque *de donat.inter virum, & vxor.*ad probandum,quod mulier habita pro coniugata , si dormierit cum altero viro amisit dotem in pœnam sui delicti,licet aliàs probaretur nullitas matrimonij.Et addit Panorm.quod talis mulier ob prauam intentionem non debet dotem recuperare.Idem tenet expresè glossa citati capitis *plerumque*,in verbo, *Repetere non valebit:*vbi citat alios textus.Et ponit hanc conclusionem:*Quod crimina secundum intentionem iudicantur.* Et citat hanc conclusionem tres textus iuris canonici, & vnam legem iuris ciuilis. Et denique claré colligitur ex *capitulo.* Cum voluntate *de sent.excommunic.*vbi ponuntur hæc verba : *Cum voluntate , ac proposito maleficia distinguantur, & cæt.* vbi glossa multa etiam citat. At constat, quod hæc mulier voluntate , & proposito intendit committere adulterium, cùm se reputaret vxoratam: ergo incurrit pœnas adulterarum.Si verò dicas,quod Ecclesia non illi infixit pœnam adulteræ in sententia,respondeo, quod Ecclesia non iudicauit criminaliter , sed solùm ciuiliter , & solum curauit de valore matrimonij,de quo lis erat.Et Ecclesia non condemnat aliquem ad mortem.

3 Ad tertium quæsitum respondeo, quod iuxta legem istius Regni *lib. 5. Ordinat. tit.*38. §. 2. videtur quod maritus non lucratur dotem vxoris adulteræ, nisi quando illam occidit repertam in actu adulterij : vel si postea ea de causa accusauerit,& eadem de causa fuerit ad mortem condemnata.Quæ non con-

tigerunt in isto casu, quamuis enim dicatur, quod adulterium fuerit publicum, maritus putatiuus illam non inuenit in illo actu, neque illam accusauit. Et ideo per legem Regni non videtur amisisse dotē. Sed stando in doctrina Canonistarum, & fundamento iuris canonici suprà citato, dicendum videtur amisisse dotem si condemnetur. Sic sentit expresse glossa citati capitis *plerunque*, verbo *repetere*. vbi ponit casum in femina reputata pro vxorata, quæ peccauit cum alio extra maritum putatiuum: & post accusationem inuentum fuit, quod matrimonium fuerat nullum propter impedimentum consanguinitatis: qui casus fuit omnino nostro similis: & ait ibi glossa citans illos textus, quos suprà tetigimus in respons. ad secundum, quod illa mulier amisit dotē iuxta ius canonicum. Idem tenet Panorm. ad idem caput prope finem, vbi pro eadem opinione citat Innoc. Hostiens. Gofed. & Ioan. Andr. qui sunt præcipui Canonistæ in Ecclesia. Et glossa marginalis in eodem capite *plerunque* dicit esse opinionem communem Canonistarum. Et videtur colligi ex ipso textu Papæ, vbi dicitur quod si mulier fornicationis causâ à viro separata fuerit, dotem amittat: non dicit ob adulterium, sed ob fornicationem: hæc vero clarè fornicata est. Et talis fornicatio fuit causa totalis, & principalis propter quam ista mulier separata est à viro suo.

4 Nec Ordinatio Portugalliæ suprà citata videtur contraria huic opinioni Canonistarum dicentium hanc mulierem amisisse dotem: nam citata lex solùm loquitur de muliere verè coniugata in qua ad amissionem dotis requirit conditiones, quas ibi diximus: non verò loquitur de muliere, quæ à parte rei non erat vxorata, sed pro tali erat habita, & forni

fornicata est cum alio. De hac enim iam antea lex locuta fuerat in titulo 26. eique saltem consequenter imposuerat pœnam mortis, & proinde amissionem dotis, eo quod iusserat virum cum ista peccantem, damnari ad mortem tanquam verum adulterum. Statutum verò in vno, etiam odioso, censetur etiam statutum in alio casu; cùm datur prorsus rationis identitas per multa quæ citat glossa in Extrauag. *Execrabilis* de præb. & dignit. in verbo *persona*, & glossam in Extrauag. *Si fratrum*, ne sed. vacant. in verbo, *Vicariatus*, quæ sunt ambæ Ioannis XXII.

5 Ad quartum quæsitum dico primò, quod si constiterit clarè, quod hæc pignora quæ habet Petrus sunt verè ipsius mariti putatiui, qui illa dedit Petro pro pignore pecuniæ,& illa habebat iam ante matrimonium, eidem marita restituenda sunt non alteri, quia res restituenda est domino suo. Secundò dico, quod si hæc pignora,& res pretiosę acquisitę sút post contractú matrimonium putatiuum ex bonis cómunibus in tali casu iubet lex istius Regni *cit. lib. 5. tit.* 38. quod maritus, qui accusauit mulierẽ de adulterio, in casu, quo illa dotem non amittat, amittet tamẽ illa res illas quæ fuerunt acquisitæ de bonis cõmunibus, post initum matrimoniũ. Et sic etiam in hoc secũdo casu, prædictæ res acquisitæ post initu matrimonium restituendæ sunt marito putatiuo iuxta proximam legem Regni. Tertiò dico, quod si maritus has res pretiosas ante matrimonium dederat vxori, tanquam arrhas, sponsalitiam largitatem, seu iocalia, in tali casu etiam sunt restituenda marito putatiuo, quia donatio facta reuocatur propter ingratitudinem donatarij iuxta communem opinionem: & omnia

illa amittit sponsa propter fornicationem ante matrimonium.

6 Tota dubitatio principalis est, si in casu quod nec iustitia sæcularis, nec Ecclesiastica mulierem hác condemnauit ad amissionem dotis, & Doctores dicerent quod stando in iure dotem non amisit (cuius oppositum nos suprà ostendimus) & in casu, quod constaret clarè has res pignoratas, quas habet Petrus, esse istius mulieris, illasque adduxisse pro dote, possit Petrus hæc pignora dare marito putatiuo vt recuperet pecuniam, quam illi mutuo dedit. An verò teneatur Petrus res illas donare mulieri cuius sunt, etiam si Petrus amittat omnem pecuniam, quam marito mutuauerat? Iste casus resolui debet ex resolutione illius grauis difficultatis, quâ quæritur, an is qui rem emit à latrone, nesciens esse latronem, postea cognouit certo rem esse furto ablatam, & esse Francisci; quæritur inquam an emptor iste teneatur rem restituere Francisco vero domino, an possit illam reddere latroni, vt recuperet ab illo pecuniam quam illi dedit titulo emptionis? Ad hunc casum multi, & graues Doctores dicunt teneri emptorem rem restituere Francisco, qui est verus dominus illius, nec posse illam reddere latroni pro recuperanda sua pecunia. Ego in hoc casu sequor opinionem magis fauorabilem, & probabilem, quæ tenet oppositum, posse scilicet emptorem, talem rem reddere latroni, vt ab illo recuperet suam pecuniam, si aliter non possit recuperare. Hanc opinionem tenet Rabello 1.*p.lib.*2.*q.*9. *num.*3. *concl.*1. pro qua citat Altisiod. Alex. de Ales, Syluest. D. Ant. Nauar. Tabien. Toledo, Lop. & alios, cum quibus tot Doctoribus potest securè teneri dicta opinio.

opinio. Rationes pro ista sententia videri possunt cit. loco Rabel. Qui casus est omnino similis nostro, & iuxta illum dico posse Petrum hæc pignora reddere marito putatiuo, vt reddat sibi pecuniam suam: nam vt ait Rabello citato loco, neque ex lege charitatis, neque ex lege iustitiæ teneor seruare rem veri domini cum tanto meo damno, qualis est amissio tantæ pecuniæ, quam dedi pro illa re bona fide. Et hæc omnia procedunt etiam quando Petrus acceperit illa pignora bona fide, credens illa esse mariti: vel quod maritus posset illa pignorare pro expensis litis: in quo casu maritus pro sua defensione potest facere expensas de bonis vxoris, vt tenet Riccius *tom. 1. Decisionum Collect.* 1245. *& tom.* 2. *collect.* 1794. Sicut etiam quando vxor agit contra maritum debet habere expẽsas de bonis mariti. Dixi, dũmodo Petrus habuerit bonam fidem, quando recepit hæc pignora: nam si habuit malam fidem sciens res illas esse mulieris, quas ille pignori dare non poterat; tunc illi non proderunt suprà dicta: tunc enim tenebitur tradere pignora mulieri, etiam cum iactura propriæ pecuniæ, sicut tradit Rabello *cit. quæst.* 9. *conclus.* 2. *num.* 61.

6 Sed quid? Demus quod iste maritus putatiuus carceratus hodie non habet pecuniam, quam soluat Petro sibi reddẽti pignora: an poterit Petrus hæc pignora retinere pro compensatione suæ pecuniæ: an verò teneatur illa reddere mulieri quam scit esse dominam, etiam cum amissione pecuniæ mutuatæ? Idem dubium erit, si emi rem à latrone bonâ fide, & postea sciui rem esse Francisci, sed latro non apparet cui reddam rem emptam ad recuperandam meam pecuniam, an tenear rem reddere Francisco cũ amissione

propriæ pecuniæ? Hunc casum apud nullum in terminis inueni. Solum scio tunc securius esse quod res reddenda est domino vero, & quod non poterit emptor illam sibi retinere pro compensatione propriæ pecuniæ Videtur hoc probari hac vnicâ ratione. Nā compensatio non fit nisi contra verū debitorē, à quo non possum rem meam recuperare : in casu verò latronis, Franciscus cuius est res propria, non est meus debitor : ergo contra illum non possum facere compensationem. Idem dicendum videtur de Petro habente pignora istius mariti, non enim poterit illa retinere pro compēsatione suæ pecuniæ contra mulierē, quia mulier non est sibi debens, & proinde in dānum illius non poterit facere compensationem.

7 Vltimò aduerto, quod si sit æquale dubium, an hæ res pignoratæ sint mariti, aut vxoris, in tali casu sunt restituendæ marito putatiuo, siquidem ille eas sub pignore dedit, & habebat possessionem illarum, & in dubio melior est conditio possidentis. Videri potest ad hæc Sà *in Aphor. verb.* Restitutio *n.* 36.

CASVS LXXXV.

De rebus pertinentibus ad vsum cuiusdam Monialis.

QVidam Prouincialis in scriptis concessit cuidam Moniali, vt res aliquas mobiles, & æstimabiles, quibus vtebatur in vita, per mortē ipsius vēderētur & pretium illarū applicaretur totū pro Missis celebrandis pro anima ipsius Monialis, præcipiēs cū censuris ne Abbatissa de illis rebus aliter disponeret. Vo

ret. Voluit hæc Monialis licentiam illam Prouincialis confirmare per D. Collectorem Apostolicum. Ille recusauit confirmare licentiam; dicens quod hoc in substantia erat dare licentiam Moniali, vt posset facere testamentum, quod solus Papa potest concedere: vt decernitur *in cap.* Quia ingredientibus 19.*q*.3. *& cap.*2.*de testamentis.*

1 Ego respondi potuisse Prouincialem dare hanc licentiam, neque hoc esse date licentiam ad testandum, neque per hoc dispensasse Prouincialem in voto paupertatis. Neque Abbatissam mortuâ illâ Moniali posse aliter de rebus defunctæ disponere. Sic tradit Sanchez *tom.* 2. *Decalogi loco mox citando*, à quo hauriam omnia sequentia, quæ dicam, eo quod ille sit tantus Doctor & Religiosus, exactissimè de statu Religioso disputans toto 2. tomo Decalogi.

Ante probationem istius conclusionis suppono cũ eodem Patre Sanchez *tomo* 2.*Decalogi,lib*.7.*c*.22.*n*.11. quod Moniales possunt habere peculium de licentia sui prælati ad vsus pios, dummodo tale peculium sit reuocabile ad nutum prælati. Hoc autem peculium non est prohibitum Religiosis per Concilium Tridentinum, sicut Sanchez efficaciter probat cit. capite cum Nauarro, Fuluio Paciano, Grassis, Sà, Vega. Et probatur ex praxi omnium Religionum in Hispania, in qua multæ Moniales habent peculia aliquando centum ducatorum, & vltrà cum licentia prælatorum. Et hoc specialiter permittitur in conuentibus, in quibus communitas non suppeditat sufficienter omnia necessaria ad victum, & vestitum Monialium. Secundò suppono, quod has res æstimabiles auri, vel argenti, ad quas distrahendas pro Missis, & anima sua Monialis licentiam petebat, non eas illi

dedit conuentus, sed sæculares, consanguinei, vel amici, vel illa eas propriâ industriâ acquisiuit.

2 Hoc posito, probatur hæc opinio ex iis, quæ tradit Sanchez *citato lib.7.Decalogi c.28.n.12.* vbi ait cum Nauarro, Graffis, & Rodriguez, quod potest Religiosus etiamsi sit D. Francisci, scribere in papyro res pertinentes ad suum vsum, quibus vtitur, & petere in papyro à prælato, vt post suum obitum permittat, concedat, vt res illæ dentur certo, vel certis Religiosis: & quod prælatus potest concedere petitionem illam tali Religioso, non vt illud valeat sicut testamentum, vel codicillus; sed tanquam donatio causâ mortis cum licentia prælati. Eo nempe modo, quo idem Religiosus in vita donare posset donatione inter viuos alteri Religioso cum licentia prælati. Hoc enim (ait Sanchez) non est facere testamentũ, neque codicillum; quia talis donatio non habet vim ex dispositione defuncti, vt patet, sed ex voluntate prælati, qui semper potest reuocare illam licentiam, ac donationem, etiam post mortem defuncti. Adde quod in hac donatione factâ per mortem ab isto Religioso cum prædicta licentia, non interuenit forma testamenti, testium, videlicet & Notarij, sed est pura donatio facta cum licentia prælati, sicut poterat illud donare in vita, cum licentia eiusdem prælati. Denique quod hoc non sit facere testamentum, probatur: nam ista Monialis petens hanc licentiam à Prouinciali, non disponit absolutè vt testatrix, sed solum rogat, & petit vt Prouincialis consentiat, & proinde non testatur. Si ergo Monachus, vel Monialis potest in morte sic donare alteri Religioso cum licentia prælati, etiam poterit cũ eadem licentia donare sibi ipsi, vt scilicet res sui vsus distrahantur, & illarũ pretium

tium insumatur in suffragiis pro anima sua faciendis. Maximè cum Monialium conuentus paucissima suffragia curet fieri pro suis Monialibus defunctis. Et proinde est causa nimis pia vt prçlatus possit dare hãc licentiam : maximè cùm hæc donatio non fiat erga sæculares, nec res istæ fuerint ex bonis Religionis.
3 Secundò principaliter idem probo ex eo casu, quem resoluit Sanchez *citato lib. 7. Decalogi c. 22. n. 16.* vbi ait cum Corduba, Lopez, Vega, & Rodriguez, quod si quidam sæcularis dedit vni Moniali centum ducatos, vt consumat illos in suis necessitatibus: & hæc Monialis det illam pecuniam ad negotiandum cum illa, & de lucro licito negotiationis detur eidem Moniali singulis annis certus cẽsus, verbi gratiâ, decem ducatorum, & residuum maneat ipsi secundo sæculari, cui dedit pecuniam ad negotiandum : dicunt prædicti Doctores, quod poterit monasterium cum licentia Prouincialis post mortem illius Monialis donare illi sæculari, qui negotiatus est cum pecunia centum illos ducatos, quod erat capitale, vt illi maneant proprij in æternum. Ecce quomodo cõuentus cum licentia Prouincialis potest facere tam amplam donationem. Mobilia verò istius Monialis non debebant accedere ad summam centum ducatorum, & præterea non intendit dare illos sæcularibus. Addit verò Sanchez cit. loco duas conditiones requiri, vt ritè fiat hæc donatio; prima est vt fiat cum consensu ipsius conuentus Monialium, eo quod illa donatio in rigore est alienatio bonorum monasterij mobilium, & extra monasterium Secunda conditio est, vt ille sæcularis, cui donari debent illi cẽtum ducati, sit persona benemerita ipsius cõuentus. Et quod attinet ad primam conditionem, non requiritur in hoc

in hoc nostro casu, quod conuentus consentiat: nam ista bona Monialis non alienantur extra conuentum, sed manent intra conuentum, id est in anima Monialis, quæ tota vita conuentui seruiuit. Et quod spectat ad secundam conditionem vt scilicet persona sit benemerita, satis benemerita persona conuentus est ipsa Monialis, quæ per totam vitam conuentui semper inseruiuit.

4 Tertiò facit ad hoc quod tradit Sanch. *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 42. vbi ait cum Corduba, & Lopez, quod prælatus localis potest suo subdito dare licentiam vt insumat decem ducatos in vsus pios sibi placitos & non vltrà; quia dare licentiam vltra decem ducatos videtur pertinere ad Generalem Ordinis. Et hoc ait posse fieri attenta praxi, & statutis Religionis, & qualitate personæ donantis. Et hoc verius erit, & facilius in nostro casu, si constiterit quod ista Monialis has res acquisiuit labore manuum suarum, nam in tali casu ait Sanch. *cit. cap.* 19. quod sola Abbatissa potest dare licentiam Moniali, vt in suos vsus expendat acquisita labore manuum suarum, & cit. Gregorium Lopez, & Bartholam. Lædesmam, in numero 44. Nec contra hoc obstat Bulla D. Clementis VIII. in qua omnino prohibet prælatis ne dent licentiam subditis ad danda munera, & dona sæcularibus: nam in hoc casu hæc Monialis nihil donat sæcularibus, sed applicat animæ suæ. Adde quod illa Bulla Clementis VIII. non fuit vsu recepta in Hispania, vt tenet Sanchez *cit. cap.* 19. *num.* 42. & *num.* 100.

Ad argumentum in contrarium initio positum, concedo non posse Religiosum condere testamentum, neque ad illud faciendum posse prælatum licentiam concedere: sed dico licentiam datam huic Moniali

niali ad prædicta expendenda pro anima sua, non esse licentiam ad faciendum testamentum, vt clarè probaui suprà num. 3.

CASVS LXXXVI.

De quodam furto, & consultatione diaboli ad illud detegendum.

QVidam Religiosus furto abstulit rem notabilem sacram, & de loco sacro. Quod cùm esset omnino secretum, quidam sæcularis, cuius intererat, consuluit quandam maleficam diuinatricem, vt sibi reuelaret authorem furti. Illa consulto diabolo, dixit sæculari quærenti, authorem furti esse Fullanum Religiosum certæ Religionis. Iste sæcularis id intimauit prælato istius Religiosi. Qui vocauit subditum in secum, & interrogauit de delicto an ita esset, idq; in secreto. Religiosus confessus est delictum. Et paulò pòst, delictum factum est publicum, & publicè dictus Religiosus de furto diffamatus est.

Quæsitum est, an hic Religiosus posset puniri supplicio publico ob tale delictum? Et videtur quod non: nam cùm hoc delictum esset antea omnino secretum, iniustæ factum est publicum, mediante diabolo: iustitia verò non est exhibenda per media illicita & iniusta, neque delicta secreta possunt puniri pœnà publica, vt tenet communis opinio, maximè Nauarrus *in Rubr. de iudiciis à numero* 79. citans D. Thomam.

Respon

Responsio.

1 Si prima conclusio. Si iste Religiosus confessus est delictum coram prælato iuridicè, id est, coram Notario, & prælato interrogante, non tanquam patre, sed tanquam iudice, potuit prælatus illum punire, etiamsi delictum esset occultum. Sic decernitur *in cap.1.de accusat.in* 6.vbi textus, & glossa in explicatione casus dicit, Quod stante crimine furti occulto,& reo non diffamato, si iudex inquirens fecit me vocari, & me interrogauit de furto,& ego confessus sum, potest me iudex punire in publico:nec possum iudici opponere me non esse diffamatum, nec mihi fuisse exhibita capitula culparum. Pro quo glossa ibi citat multos textus qui ibi possunt videri. Dixi, si confessus fuit delictum iuridicè, & coram notario, nam si confessus fuit sine notario, & solum tanquam patri, non tanquam iudici,non poterit illum punire publicè,sed solum secretò.

2 Licet iste Religiosus non confiteretur delictum, & licet tale delictum foret antea omnino secretum, dato tamen quod publicum factum est, etiam mediante diabolo,si adsint probationes sufficientes, poterit puniri supplicio etiam si culpabiliter fuerit publicatum. Hanc conclusionem tenet in terminis Nauar.*in citata Rubrica de iudicijs num.*87.vbi loquens de teste qui in inquisitione generali illicitè coram iudice detexit aliquod delictum occultum proximi, quod detegere non valebat, ponit hæc verba:*Ex qua tamen bene,vel malè delicta deducta sunt in publicam iudicis notitiam, ille tenetur ad castigandum ea per inquisitionem particularem.* Sic ille. Quo nihil clarius dici potuit ad intentum.Et in huius confirmationem citat

tat ibi Nauarrus Sotum dicentem ad hoc intentum hoc intentum hoc modo. Sufficit notitia iudicialis habita per confessionem malè torti ad hoc vt iudex aliàs à torto inquirat contra delictum. Idem colligitur ex capit. *Ecce autem*, 24. q. 3. vbi dicitur: *Quod crimina vndecunque claruerint punienda sunt ipsis criminosis confiteri nolentibus.* Et in hoc sensu, & ad hoc intentum citat hunc textum glos. *primi cap. de accusat. in 6.* in verbo *confessus*, vbi glossa ponit hæc verba: *Quid enim quæremus de infamia, vel capitulis, ex quo claret de crimine?* Confirmo hoc amplius exemplo communiter adducto. Videlicet: Petrus accusauit Franciscum de quodam crimine occulto: & probauit delictum per testes falsos & iudex, vt persona particularis, scit Franciscum esse innocentem; in tali casu, si iste iudex protulerit sententiam, debet ferre sententiam secundum allegata, & probata contra Franciscum iuxta communem opinionem. Et in hoc nostro casu id maiorem locum habet, in quo delictum verum est iam plenè probatum, vt suppono, & publicum iam factum, maximè ob confessionem delinquentis. Dixi ob confessionem delinquentis, quia sine hac intelligo non potuisse hoc delictum plenè probari per testes. Probo quia cum istud crimen omnino secretum fuerit, & sola malefica ope diaboli fuerit præcipuus testis (vt ita dicam) delicti, talis malefica non potuit adduci in testem: testimonium enim personæ infamis, non est validum, vt patet: & sic nullus testis occulatus legitimus esse potuit istius delicti. Item per solam famã publicam non potuit damnari pœna ordinaria, tũ quia sola fama nõ sufficit ad irrogandã pœnã ordinariã, tũ quia fama debet oriri a personis fide dignis, & non infamibus: hæc autẽ orta est malefica infami,

& pro

& proinde si non esset confessio rei iuridica non posset puniri.
3 Ad argumentum oppositum in principio manet responsum ex illis, quæ diximus supra cum Nauarro *num.2.ex* citato capite, *Ecce autem*, videlicet per accidens esse quod furtum publicatum sit per media illicita: sufficit enim quod iam sit factum publicum, siue bene, siue malè, vt dixit Nauarrus. Iura enim præcipientia, vt delictum publicum puniatur, non distingunt an licitè, vel illicitè publicum factum sit: sed solum iubent quod delictum publicum puniatur ne crimina publica maneant impunita cum detrimento Reipublicæ. Neque ex hoc dicetur, quod prælatus iste fecit iustitiam per media illicita: cùm enim præcesserit confessio rei, & vera publicitas delicti, iam facit iustitiam per media licita.
4 Quamuis autem à me quæsitum non fuerit, quam pœnam incurrerit sæcularis qui maleficam consultauit de authore furti, sciens illam esse maleficant, & responsa dare ex sola consultatione dæmonis; quia vtile fuerit id pro aliquo casu puniendo scire. Dico primò peccatum esse grauissimum consulere maleficos ad scienda secreta. Nam hi malefici cùm habeant pactum formale cum diabolo, sunt suspecti in fide, & proinde tanquam tales accusari possunt ad tribunal sanctæ Inquisitionis. Is verò qui consultat malefico, si est persona Ecclesiastica, in cap. *Si qui Episcopus*.26.q.5. incurrit suspensionem officij, vel beneficij, & iubetur recludi in monasterio ad faciendum ibi pœnitentiam. Et Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap*.38. *num*.36. citatis multis Doctoribus, citat etiam ex iure canonico *capitulum* 2. *de sortilegijs*, vbi quidam, ex eo solum quod sumpsit Astrolabium ad scien

sciendum de quodam furto occulto nullam habens intentionem alloquendi diabolum, damnatus est tanquam grauissime peccans, & suspensus est ab altaris ministerio per annum. Denique quam graue peccatum hoc sit satis obligatur ex illo responso, quod dedit Elias ad Nuncios Regis Ochosiæ, qui ex mandato Regis ibant ad consulendum Beelzebub circa ægritudinem Regis. Ad quos dicit Elias, 4. *Reg.* 9. *Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem, & cat.* Et vltra hoc commercium consulendi diabolum pro furto occulto fit aliud peccatum grauissimum, quod est infamare proximum de crimine, quod est omnino occultum, quod de ordinario non est licitum, nisi quando crimen est contra communitatem: & neque tunc licet consulere diabolum pro illo cognoscendo.

CASVS LXXXVII.

De quadam dote, & donatione omnium bonorum.

QVidam vir cum vxore sua habebant vnicam filiam legitimam, quam matrimonio locarunt cuidam viro nobili: illique dotem constituerunt in hunc modum. Pro dote illi constituimus omnia nostra bona mobilia, & immobilia, præsentia, & futura quouis modo acquirenda etiam per donationes Regias; & manebat filia, & gener in domo paterna ex vno pane comedentes. Pater habebat aliam filiam illegitimam domi, quæ illi inseruiebat. Et pater cùm sit officialis Regis habet vltra duos mille ducatos ex sti-

pendio officij, ex quibus sumptus ordinarios domus sustentat, & residuum istius pecuniæ dat filiæ illegitimæ pro suo peculio,& pro suo seruitio.

Quæsitum est primò,an valida fuerit ista dotatio, siue donatio omnium bonorum præsentium,& futurorum. Videtur enim reprobata in iure eo quod per illam maneat homo impossibilitatus ad dandam eleemosynam : & ad testandum, & sic de alijs bonis actionibus quibus se priuat.

Secundò quæsitum est,an pater possit hodie donare filiæ illegitimæ illud residuum pecuniæ, eo quod filiæ legitimæ donauerit pro dote omnia bona sua mobilia, & immobilia, præsentia, & futura quouis modo acquirenda.Hoc enim posito,videtur non posse illud, residuum pecuniæ donare filiæ illegitimæ : cùm hæc pecunia sit bonum mobile, & ille omnia bona etiam mobilia promiserit, & donauerit filiæ legitimæ. An verò non obstante illâ dotatione, & donatione omnium bonorum : intelligendum sit quod pater in vita habeat dominium omnium reddituum suorum,ita vt possit de illis donare,ac disponere sicut voluerit ?

Responsio ad primum quæsitum.

1 Antequam respondeam ad primum quæsitum, noto donationem omnium bonorum esse suspectam, vt dixi, & in legibus ciuilibus correctam, ob causas proximè assignatas. De quo per summam, & sufficienter agit Rabello *lib.*18.*q.*7. *de donat.*vbi in summa dicit,donationem omnium bonorum præsentium esse prohibitam, & irritam per leges Castellæ, quas ibi citat. Si verò sit donatio omnium bonorum tam præsentium,quàm futurorum esse irritam,& illicitam,

etiam

etiam per legem Portugalliæ 4. *lib. Ordinat. tit.*4. §. *penultimo.* Et citat Doctores. Excipit tamen, quod si donatio omnium bonorum fiat Ecclesiæ, vel pauperibus propter Deum, erit donatio valida, iuxta illud Christi D. Math. 19. *Vade, vende omnia quæ habes, &c.* Excipit secundò, quod si donatio omnium bonorum fiat à patre erga filium, vel filiam ratione dotis pro matrimonio contrahendo, donatio erit valida; maximè si pater reseruauit sibi certam portionem de qua posset testari in morte, vt mihi constitit hunc patrem reseruasse vltra mille ducatos extra donationem, de quibus posset testari. Ex quibus omnibus constat donationem hanc fuisse validam; tum quia facta est à patre erga filiam pro dote, tum quia pater reseruauit sibi portionem, ex qua testari posset: & præterea quia victum, & cibum commune non abdicauit, sed simul cum filia, & genero mansit in eadem domo, sustentandus ex redditibus communibus.

2 Solum restat aduertere cum Iulio Claro *lib.* 4. §. *Donatio q.*19. *n.*7. vbi ait donationem omnium bonorum præsentium, & futurorum esse validam, si fiat causâ mortis. Vbi clarè innuit à contrario sensu, quod si sit, & fiat donatio inter viuos, non erit valida; cuius ratio est, quia donatio inter viuos statim sortitur suum effectum, & transfert dominium in donatarium. Donatio verò causâ mortis non sortitur effectum, nec transfert dominium in donatarium nisi post mortem donantis, vt communis opinio docet. An verò ista donatio fuerit inter viuos, vel causa mortis, mihi constare non potuit, quia extra informationẽ mihi dictũ est donatores in scriptura dixisse: *Quod ipsis donatores in vita sua fruerẽtur bonis dotatis, & illa possidebũt: & post mortẽ illorũ, filia & gener possidebũt liberè prædicta bona.*

Quæ verba si interuenerunt, clarè innuunt non fuisse illam donationem inter viuos, sed solùm causâ mortis, cùm in vita retinuerint sibi dominium bonorum, vel saltem vsumfructum illorum: quæ duo non se compatiuntur cum donatione inter viuos, quæ statim transfert dominiū rei donatæ in donatarium.

3 Solutio secundi dubij tum pendet ex proximè dictis, videlicet, qualis fuerit præcedens donatio: pendet etiam à cognoscenda intentione quam habuit ipse donator, quando fecit hanc donationem: an scilicet habuerit intentionem priuandi se, & dominio rerum donatarum, & vsufructu illarum, ita vt in illis rebus donatis solùm sibi maneret simplex, & nudus vsus, sicut seruus, & frater Minorita solùm habent in rebus quibus vtuntur, quarum non habent dominium, neque vsumfructū, sed solum simplicem vsum, & ideo res illas, quibus vtuntur donare non possunt. Ex cognitione inquam istius intentionis donatoris colligendum est, an pater iste possit donare filiæ illegitimæ pecuniam, de qua quærit, non obstante illa totali donatione facta filiæ legitimæ. Ad eum modum, quo Doctores dicunt; quod quando fui emissum votum à vouente & votum est dubium, ita vt non constet ex verbis quid fieri debeat: interrogandus est vouens, quam intentionem virtualem in vouendo habuerit: si verò ipse vouens dubius sit, & nesciat explicare mentem suam, interpretandum est votum vt obliget ad id quod minus est: quia fauendum est libertati voluntatis. Ita in terminis tenet Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *n.* 31. citans alios; & probat cum Panor. Syluest. & Angelo dicentibus quod iuramentum dubium interpretandum est strictè, vt minus obliget iurantem, quam fieri possit. Hinc iam constat

quid

quid dicendum sit ad secundum quæsitum. Si enim hic pater in donatione facta filiæ legitimæ habuit intentionem priuandi se dominio, & vsufructu rerum donatarum; & manendi cum solo vsu nudo, cessat omnis quæstio, & non potest donare filiæ illegitimæ illam pecuniam, quia habens solum simplicem vsum, non potest donare, sicut Religiosus Minorita. Si verò prædictus donator non meminerit intentionis quam habuit, & de hoc dubius sit, interpretandum est in fauorem libertatis ipsius, vt obligetur ad id quod minus est, & vt donare possit illam pecuniam filiæ illegitimæ saltem sicut vsufructuarius rerum donatarum.
4 Adhuc rem declaro alio exemplo Theologico. Fecit aliquis vir timoratus actionem aliquam, de qua dubitabat, an esse peccatum; sed deposuit dubium practicum, cogitans non esse peccatum: & postea constitit, quod à parte rei erat peccatum: Iste talis, si erat vir timoratus, & aliâs non esset facturus, si sciret esse peccatum, non peccauit, quia non habuit intentionem peccandi, & standum est illi intentioni priori: id est, si esset peccatum non facerem. Eodem modo: si iste homo hodie dicat, quod si quando fecit illam donationem filiæ legitimæ, sibi in mentem veniret priuandi se dominio & vsufructu; & potestate donandi; hodie dicat quod talem intentionem tunc non formaret: hodie credendum est ad illud se non intendisse obligare, & proinde posse dare prædictam pecuniam filiæ illegitimæ. Non enim credendum est quod vir grauis, literatus, & diues in donatione sua voluerit se priuare dominio omnium rerum, vsufructui, & potestate dandi aliquid de redditibus, ita vt maneret sicut seruus captiuus. Addo quod ex verbis suprà positis in fine numeri secundi, quæ dicuntur

fuisse posita in scriptura dotis,constat;quod parentes in donatione dixerunt se ambos in vita fruituros bonis illis dotatis : filia verò, & gener per mortem dotantium illa bona possessuros esse post mortem dotantium : quod clarissimum signum est illos non se priuasse in vita dominio,nec vsufructu illorum bonorum, sed fuisse donationem causa mortis, & proinde posse patrem hunc donare huic filiæ illegitimæ pecuniam,de qua quæritur.Obligatur tamen hic pater in conscientia tempore mortis donare filiæ legitimæ omnia bona mobilia,& immobilia tunc extantia:nec poterit in vita aliquid donare in fraudem dictæ filiæ legitimæ de industria, intendens illam lædere : quia hoc clarè est contra prædictam donationem.

5 Adhuc in fauorem illius filiæ illegitimæ , quod pater illi potuerit donare illam pecuniam : adduco id quod dicit, & probat Azor *tom.2. lib.7. cap.*10. *q.*10. vbi probat citans aliquos , quod licet ius commune prohibeat Clericis facere donationes de fructibus beneficij Ecclesiastici Hoc non obstante potest clericus de fructibus beneficij dare alimenta filio spurio, imò ad id obligari in conscientia. Imò addit posse eundem clericum de bonis beneficij dare filiæ spuriæ dotem pro matrimonio,si aliunde non habeat.Et ad hoc citat Curtium,Syluest.Cardin. Palæottum.Si autem hoc potest pater clericus de bonis beneficij Ecclesiastici erga filiam spuriam : à fortiori id poterit hic pater facere suæ filiæ spuriæ.

CASVS

CASVS LXXXVIII.

De quodam diuortio in duos coniuges.

QVædam mulier secundi matrimonij propter graues molestias, & rixas, quas habebat cum suo marito, fecit diuortium ad inuicem, in quo manet quinque ab hinc mensibus, & obtinuit à marito per scriptum, consensum diuortij: in qua scriptura maritus illi dedit licentiam vt posset manere in aliquo receptaculo mulierum non professarum, vulgo, *Recolhimento*, illa amplius procedens, coram sacrosancta Eucharistia, votum vouit se futuram esse Monialem professam in quacunque Religione, quæ ipsam vellet recipere.

Responsio.

1 Iste casus propositus est confusè: nam explicari oportuit, an hoc diuortium factum sit authoritate iudicis Ecclesiastici: & an sit data sententia diuortij perpetui, an solùm ad tempus: suppono enim vt rem certissimam coniuges non posse facere diuortium authoritate propria, vt inter alios supponit Henriquez *lib.*11.*de matr.c.*8.*n.*13. Tertiò declarandum fuit, an diuortium factum sit quoad thorum tantùm, an quoad thorum, & cohabitationem simul. Quartò an hoc diuortium factum sit culpâ ipsius viri, qui erat sæuus, & iniuriosus mulieri, an è cõtra sit factũ diuortium culpâ ipsius vxoris, quæ erat sęuiẽs in virũ, insti-

dias illi parans,& cæt.omnia enim hæc diuersam postulant responsionem.Quia igitur casus è longinquo positus, venit obscurus, sumendo illum in sensu, & praxi communiore diuortij, respondeo cum sequentibus declarationibus ,, videlicet.

2 Si hoc diuortium factum est per sententiam iudicis Ecclesiastici:& factum est in perpetuum : Et factum est quoad thorum, & habitationem simul : & non est factum culpâ mulieris sed viri. Hæc mulier sic separata,potest esse Monialis professa inuito marito, & intrare Religionem. Ista conclusio asseritur in simili ferè casu à Doctoribus in materia de matrimonio, dum tractant , an si alter coniux fuerit adulter, & ideo lata sit sententia diuortij (intellige perpetui) possit coniux innocens Religionem intrare, & profiteri, vel Ordines sacros recipere, idque inuito coniuge culpato;& respondent omnes,quod potest inuito altero,& culpato manente in sæculo. Hæc conclusio est expressa in capite *constitutus*,& cap.*veniens*,de conuers.coniugatorum,& cap. *Agathosa* 27.q.2. & ratio est,quia adulter omne ius coniugale amisit,quod solum obstaculo erat ingressui Religionis innocentis. Vltra citatos textus,ita tenet Sanchez *lib.10. de matrim. disp.11.* citans alios,& tenet Bonacina *tomo* 1. *tract.de pertinentibus ad vsum matrimonij,q.4.puncto* 5. *num.* 23. & alij. Hæc autem ratio militat omnino in diuortio facto in perpetuum propter sæuitiam, & furorem viri lata sententia perpetui diuortij quoad thorum & habitationem simul:tunc enim vir sæuus, & furens amittit omne ius coniugale per talem separationem. Imò maior causa separationis datur quando maritus est sæuus & crudelis ; cum periculo occidendi vxorem,tunc enim potest illa per se facere

diuor

diuortium fugiendo à marito ob periculum vitæ, vt tenet Reginaldus *tom. 2. libro 31. num. 316.* quod non potest propriâ authoritate facere in alijs causis diuortij. Si ergo in hoc casu vir iste nimis sæuus in vxorem, & cui non prodest dare cautionem, per sententiam iudicis priuetur thoro, & cohabitatione vxoris in perpetuum, clarum est quod per talem sententiam amittit omne ius coniugale: & proinde vxor illius innocens poterit profiteri Religionem eo inuito, & manente in sæculo, etiamsi ille relictus non voueat castitatem. Rationem hanc clariùs assignat Reginaldus *citato lib. 31. num. 330.* dicens quòd diuortij sententia absoluit innocentem à debito coniugalis societatis, dissoluitque contractum matrimonij quoad ius thori, & cohabitationis: quæ eadem verba in terminis desumpsit ex Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 9. q. 3. num. 30.* Si ergo diuortij perpetui sententia quoad thorum, & cohabitationem priuat iure coniugali in perpetuum, bene poterit coniux innocens ingredi Religionem inuito coniuge nocente, ad cuius cohabitationem non est amplius reuersurus. Et nihil interest an hoc diuortium perpetuum sit factum propter adulterium, an propter sæuitiam viri: cùm vtrobique militet eadem omnino ratio, & vtrumque priuet nocentem iure coniugali in perpetuum.

CASVS LXXXIX.

De quodam homicida professo in quadam Religione.

QVidam adolescens ex leui occasione, alium adolescentem, aliàs amicum verbis iniuriosis lacessiuit: & hoc non contentus, euaginato gladio illum impetijt: idque tam irato animo vt duo viri comitantes illum, detinere non potuerint. Cúmque iam propè accederet ad alium, gladio euaginato, is qui impetebatur protestatus est aggressori, vt desisteret, & retrocederet. Cúmque aggressor non desisteret, is qui impetebatur sciens aggressorem esse naturâ suâ audacem, rixosum, & iam aliàs homicidam, pro vitæ propriæ defensione archebusio aggressorem interfecit, credens aliàs vitam propriam esse positam in periculo. Hoc facto se absentauit, & in partibus remotis ingressus est quamdam Religionem, & in illa professus, iam ab annis quinque vel sex. Et vult hodie Ordines sacros recipere.

Quæritur primò: an illius professio valida fuerit non obstante motu proprio Sixti V. contra criminosos?

Secundò, an dato quod validè professus fuerit, possit hodie prælatus illius cum illo dispensare ad Ordines recipiendos per priuilegia Ordinum Mendicantium, quibus gaudet Religio istius professi: An verò indigeat speciali dispensatione Summi Pontificis?

Respon

Responsio ad primum.

1 Ad primum quæsitum dico, professionem fuisse validam, si fuit facta post Bullam Clementis VIII. per quam reduxit Bullam Sixti V. ad terminos iuris communis, de qua statim dicam: prælatus verò istius professi incurrit pœnas positas in dicta Bulla Sixti V. si prælatus recipiens illum, sciebat illum esse homicidam. Prima pars probatur, quod scilicet professio valida fuerit. Nam licet Sixtus V. in illa sua Bulla annullauerit professionem factam ab homicida: postea tamen Clemens VIII. prædictam Bullam Sixti V. reduxit ad terminos iuris communis, decernens vt professio foret valida, licet non esset seruata forma præscripta à Sixto V. prælatus verò recipiens criminosum non seruatâ dictâ formâ Bullæ Sixtianæ incurret pœnas positas à Sixto V. Hanc Bullam expediuit Clemens VIII. anno 1602. die 2. Aprilis. Constat verò quod professio homicidæ non prohibetur, neque annullatur in iure communi, vt ego probaui in meo 1. tom. *Dubiorum Regular. verbo Nouitius, quo ad qualitates requisitas à Sixto V. num.* 12. Vbi attuli duo exẽpla duorũ homicidarũ, qui fuerunt Religiosi, & id probaui ex vno textu Iuris canonici. Dixi prælatum, qui hunc recepit incurrisse pœnas impositas à Sixto V. si sciebat illum esse homicidã: quia si prælatus fecit informationes à Sixto V. præscriptas, & per illas non constitit de tali homicidio; prælatus illum recipiens non incurrit prædictas pœnas. Quia Sixtus V. in sua Bulla solum punit prælatos, qui temerè recipiunt criminosos, id est non præmissâ informatione præcedente, vt clarè probat Rodrigue

tom. 3.

tom.3. qq. Regul. qu.54.ar.4. adducens verba ipsius Bullæ.

2. Quod attinet ad secundum quæsitum, responsio illius pendet ex resolutione alterius dubij maioris; an videlicet homicidium istius professi fuerit voluntarium, an casuale? Item si fuit notorium, an occultum? Nam in irregularitate homicidij voluntarij notorij non possunt prælati regulares dispensare cum suis subditis, vt suppono certissimum.

Dico ergo imprimis, quod attentis circumstantiis in informatione suprà relatis, credo quod istud homicidium non fuit voluntarium. Probo ex iis, quæ tradit Suarez *tom. de censuris disp.44. sect.1. n.5.* vbi ait quod ad hoc vt incurratur irregularitas homicidij voluntarij, est necessaria expressa, ac spontanea voluntas occidendi. Et ait quod per has particulas excluditur voluntas se defendendi. Nam voluntas se defendendi, est voluntas necessaria, non spontanea. Et proinde cùm iste, de quo agimus, voluerit directè se defendere à viro potenti, rixoso, & se inuadente cum gladio euaginato, & nolente retrocedere, cùm occisor moneret vt desisteret; sequitur clarè, quod non habuit directam, ac spontaneam voluntatem occidendi, sed se defendendi, & proinde illius homicidium non fuit voluntarium, sed casuale. Addit Suarez cit. loco, quod si aliquis habeat voluntatem principaliter se defendendi, licet aliquantulum peccaminosè excedat, effectus ex illa secutus non est voluntarius. Imò probat ibidem Suarez *num.2.* ex Doctoribus, & textibus, quod si aliquis directè, & spontaneè habuit intentioné infligendi vulnus, sed non occidédi; sed postea ex vulnere inflicto mors fuit secuta, iste talis non fuit homicida voluntarius, sed casualis. Nam,

Nam, vt ait, homicidium voluntarium dicitur illud solum quod dierctè, & perfectè volitum est. Iste verò qui solum voluit vulnerare, & non occidere, directè non intendit homicidium. Et iste de quo agimus solum intendit se defendere.

3 Facit ad intentum quod tradit Comitolus *lib. 4. Respons. Moral. q. 10. n. 12.* vbi circa hanc materiam ponit hæc omnia verba sequentia: *Qui hominem paratum ad cedem intentâ sicâ, seu telo venientem, qui se conflictu casurum videt, potest antequam manus conferantur, cominus, vel eminus, aut disploso globulo, aut vibrans hastam interimere.* Sic ille. Quod clarissimè probat nostrum intentum. Facit etiam quod tradit Bonacina *tom. 2. tit. de restit. in particulari disp. 2. q. vltima sect. 1. puncto 8.* vbi agit quando inuasus possit licitè occidere inuadentem, de quo sic dicit: *Si inuasus probabiliter credat se grauiter lædendum, vel occidendum, si vim non repellat, seu inuasorem non occidat, & cæt.* Et in hoc casu clarè docet Bonacina posse licitè inuasum occidere aggressorem: quod in terminis contigit in casu de quo agimus. Potuit enim iste de quo agimus probabiliter timere periculum vitæ, videns venientem ad se hominem cum gladio euaginato, naturâ suâ rixosum, & iam reum homicidij: cùm de semel malo possit semper præsumi quod sit malus, iuxta regulam *iuris in sexto.* Facit etiam quod tradit Reginaldus *tomo 1. lib. 21. num. 57. §. Circa quam* vbi ait, quod si ego suspicor quod Petrus me vult occidere, & ego illum moneo, vt desistat, & ille non acquiescit; possum illum occidere tanquam iniustum aggressorem, si constet de periculo mortis, quod alia ratione vitare non possum. Denique facit quod tradit Azor *tom. 3. de quinto præcepto De-*

calo

calogilib.2.cap.1.q.2. vbi ait,quod inuasus potest occidere inuadentem, si probabiliter credit se grauiter lædendum,vel occidendum si vim non repellat:quod suprà iam retulimus ex Bonacina. Et in omnibus his
4 Doctoribus dicentibus posse sic inuasum licitè occidere inuadentem, videre licet quod inuasus sic occidens non peccat, cùm vim vi repellere liceat ex lumine naturali : si verò in tali occisione licita non interuenit peccatum, etiam non datur irregularitas orta ex homicidio voluntario:quia hæc irregularitas est pœna imposita propter peccatum : & vbi non est culpa, non est pœna, vt omnes Doctores fatentur. Quod verò ob licitam sui defensionem liceat occidere inuadentem, est communis Doctorum opinio, de quo inter alios, Sayro *in claui Regia lib.7.cap.10. num.14.* citans multos:qui tamen limitat dummodo seruetur moderamen inculpatæ tutelæ.

4 Sed modò videndum est pro nostro casu, an hic de quo agimus seruauerit moderamen inculpatæ tutelæ? Pro quo sciendum est primò ex Sayro *cit.cap.10. num.18.* & ex Vega Minimo *1.p.sum. casu 12.* in fine, & aliis, quod si inuasus potest se defendere fugiendo,vel clamando,vel solum vulnerando absque occisione,tenetur vel fugere,vel clamare, vel solum vulnerare,aliàs non seruat moderamen inculpatæ tutelę, nec vitat irregularitatem.Hic verò,de quo loquimur videtur quod potuerit facere aliquod ex illis tribus.

5 Ad huius rei notitiam respondeo cum Sayro cit. loco, qui postquam dixit teneri inuasum fugere, seu clamare si potest subdit hæc verba : *Quod si dum hæc considerat possitne fugere, aut clamare, videat se exponi graui periculo inuasoris illum opprimentis, non est quod in his considerandis se occupet, sed se etiam cum inuaso-*

ris

ris occisione defendat, quia semper est melior ratio patientis iniuriam. Sic Sayro. Vega verò ponit hæc verba circa fugam inuasi: *De quo sufficit aliqua probabilis coniectura: & non est necessarium examinare si alio modo possit vitare periculum: nam in similibus periculis deest vt plurimum sufficiens consideratio ad euadendum.* Sic ille. Nunc videat iste pater informans, quomodo se in isto casu gesserit, & quid cogitauerit, inde enim pēdet resolutio suę dubitationis, an scilicet seruauerit hoc moderamen inculpatæ tutelæ.

6 Secundò dico; si principale intentum quod habuit, fuit defendere vitam suam, quam credebat periclitari, si non occideret inuasorem, dato quod non seruauerit moderamen inculpatæ tutelæ fugiendo aut solum vulnerando, licet in eo peccasset mortaliter, eius tamen homicidium non fuit voluntarium propter causas suprà in principio adductas ex Suar. quia scilicet non fuit volitum in se & spontaneum, sed necessarium. Et proinde cùm non fuerit homicidium voluntarium, poterit cum isto Religioso ad suscipiendos Ordines sacros dispēsare suus prælatus, etiamsi sit prælatus localis. Sic tenet Henriquez *t.2. lib.14.c.10.§ 2. & eodē lib.c.19.§.3.* Idem tenet Riccius *4.p. decisio.* collect.930.*in fine:* & Barbosa *in remission. ad Triden. ad sess.14.cap.7.de reformat.* vbi citat alios multos Doctores. Qui hoc colligunt clarè ex cit. c.7. Tridentini: vbi Cōcilium imprimis dicit nullū prçlatum posse dispensare cum homicida, qui per insidias, & industriam proximum occiderit: & hic est propriè homicida voluntarius, cum quo solus Papa dispensat, si est notorium. Sed addit statim Concilium Trident. in hunc modū: *Si verò homicidiū non est ex proposito, sed casu, vel vim repellendo, vt qui se à morte defenderet*

fuisse

fuisse commissum narret, &c. In hoc casu ait Concilium, poterit Episcopus dispensare. Si verò potest Episcopus cum suo subdito dispensare, etiam poterit prælatus regularis id facere cum suo subdito, per priuilegia quæ ego citaui in meo primo tomo *Dubiorum Regular. verbo* Abbas *num.6. & verbo* Dispensare *num.9.* Et sic in hoc nostro casu poterit prælatus istius Religiosi cum illo dispensare viso quod illius homicidium factum præcipuè ob defensionem vitæ non fuit volontarium, sed casuale, etiamsi fuerit publicum, & notorium, vt dixi *citato num.9.*

6 Nunc resumendo superiùs dicta, Dico primò, quod si iste homicida in occisione seruauit moderamen inculpatæ tutelæ occidendo præcise ad defensionem vitæ, ita vt non peccauerit, non indiget dispensatione aliquâ ad Ordines suscipiendos: cùm enim in tali homicidio non peccauerit iuxta Doctores supra citatos *num.3.* non incurrit irregularitatem, quia vbi non est culpa, non est pœna irregularitatis. Dico secundò, quod si occidit principaliter ad tuendam propriam vitam, quam credebat aliàs periclitari, tunc licet non seruauerit moderamen inculpatæ tutelæ, & occidendo peccauerit, poterit cum illo dispensare suus prælatus per supradicta *num. 5.* quia illius homicidium non fuit voluntarium, sed casuale. Et sic ego consulo, quod pro maiori securitate obtineat à suo prælato dispensationem in irregularitate.

CASVS

CASVS XC.

De quodam statuto certæ Religionis circa non recipiendos descendentes à Iudæis.

IN quadam Religione facta sunt duo statuta, vnum post aliud. Primum statutum sic habet: *Remouemus omnem facultatem à prioribus, & prouincialibus, vt de cætero non possint recipere ad habitum, vel professionem iuuenes trahentes originem à sanguine Iudæorum, vel Sarracenorum. Et ideo præcipimus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, & sub pœna priuationis perpetuæ regiminis in Ordine, vt nullus recipiatur à prælatis prioribus, & prouincialibus in conuentibus nisi notoriæ, vel diligentissimo examine constet huiusmodi recipiendos ad habitum, vel professionem maculà huiusmodi prorsus carere, Irritum decernentes quidquid secus factum fuerit, nisi verâ ignorantiâ id fieret. Fiat nihilominus ipsis recipiendis super hoc publica protestatio.*

Secundum statutum eiusdem Religionis posterius fuit hoc. *Præcipimus omnibus, & singulis prælatis huius prouinciæ in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, & sub pœna absolutionis à suis officij, vt iuxta id quod aliàs in hac eadem prouincia à prædecessoribus nostris ordinatum fuit, neminem descendentem ex genere Iudæorum. Sarracenorum, vel Maurorum ad habitum nostri Ordinis recipiant: qua de re diligentem inquisitionem facere tenebuntur iuxta modum, & formam à patribus eiusdem prouinciæ matura deliberatione præfigendam, & publicandam. De*

bis verò, qui ex genere, & sanguine, ac familia descendunt nobilium, qui Lusitano idiomate dicuntur, Fidalgos de solar, & eorum, qui titulo Ducis, Marchionis, Comitis, & supra sunt insigniti, nulla alia probatio seu examen requiratur, quam quod ex huiusmodi Baronibus originem ducant. Et queniam parum prodesset huiusmodi sanguine notatos in hac prouincia ad habitum non recipere, si aliis in locis professos, ipsamet prouincia in filios reciperet: idcirco sub eodem formali præcepto præcipimus ne similes, seu tales in hac prouincia profiliari possint sub prætextu cuiuscumque facultatis, aut licentiæ obtentæ, vel obtinendæ. Irritum ex tunc decernentes quidquid secus factum fuerit.

His positis,quæritur primò,an secundum statutum limitet primum statutum, vel ipsum reuocet in totum,vel in parte:vel an simpliciter habeat vim obligandi tale primum statutum,sicut habebat antequam fieret secundum statutum?

Secundò quæritur, an si recipiatur in eadem prouincia aliquis iuuenis habitus pro christiano veteri, eo quod ante receptionem illius præmissæ sunt informationes solitæ fieri in prouincia,& nihil contra illum resultauit: postea tamen progressu temporis constitit illum descendere ex Iudæis post illius professionem,an inquam talis receptio,& professio validæ fuerint, vel inualidæ, ita quod post professionem possit expelli à dicta Religione?

Responsio ad primum.

1 Ad primum dico, quod secundum statutum non reuocat, neque contrariatur primo statuto, licet illud primum extendat,& in parte limitet. Quod verò pri

rò primum non reuocetur per ſecundum, probo ex traditis per Suarez *tom.de legib.lib.6.c.27.num.*10.vbi ponit hæc verba: *Lex poſterior non habens clauſulam derogantem, vel abrogantem priorem non reuocat illam niſi quando illi directè opponitur, ita vt niſi priori deroget, fiat inutilis.* Et ait hanc eſſe opinionem multorum Doctorum. Hoc autem ſecundum ſtatutum non habet clauſulam derogatoriam prioris ſtatuti, neque eſt oppoſitum primò: neque ſecundum ſtatutum erit inutile ſi primum non derogetur, vt patet. Ergo ſecundum non derogat primo. Secundò, idem probatur ex traditis à Nauar.*in conſilio* 1. *de pœnis n.* 1. vbi citans quandam legem iuris ciuilis, ait: *Quod à lege antiqua non eſt recedendum niſi quatenus per nouam reperitur eſſe receſſum.* At in hoc caſu ſtatutum ſecundum non recedit à primo in principali intento, quod eſt excludere ab Ordine Chriſtianos nouos: imò quoad hoc primum ſtatutum confirmatur per ſecundum, quatenus ſecundum excludens ſupradictos ait. *Iuxta id quod aliàs in hac eadem prouincia à prædeceſſoribus noſtris ordinatum fuit.* Idem probatur ex traditis à Nauarro *conſilio* 3. *de adulterijs*, vbi citans aliam legem iuris ciuilis, ait: *Lex noua remedium adducens, non cenſetur tollere aliud per alias leges iam inductum.* Et in hoc caſu ſecundum ſtatutum affert vnum remedium ad arcendos Chriſtianos nouos ab Ordine, quod eſt vt neque tales profeſſi in alijs prouincij, in corporentur in iſta: ergo dando hoc ſecundum remedium poſitũ à primo ſtatuto de talibus nõ recipiendis ad habitũ. Vltimò probatur ex dicto cõmuni Iuriſtarum dicẽtiũ, quod legũ correctio, & cõtrarietas quoad fieri poſſit, vitãda eſt: adeò, vt ſi neceſſe ſit pro cõcordãdis

duabus legibus, quæ videntur discordare, impropriare verba alterius legis, ita faciendum sit pro vitanda legum correctione, sicut tradit Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp* 1 .*n.6* citans multos. At in hoc casu non est necessarium impropriare verba alicuius statuti ex his duobus ad correctionem alicuius.

2 Dico secundò, quod secundum statutum est extensiuum, & ampliatiuum primi. Constat clarè, quia primum solum prohibet ne ad habitum, vel professionem recipiantur denuo iuuenes; secundum verò ampliat, vt neque tales professi in aliis prouinciis incorporentur in ista tanquam filij illius. Et sic secundum statutum ampliat, & confirmat primum: tantum abest vt reuocet.

3 Dico tertiò. Secundum statutum in aliqua parte limitat primum, quatenus in secundo dicitur, in facienda informatione pro recipiendis ad habitum filiis, & descendentibus à nobilibus, & baronibus, sufficere quod probetur ab illis descendere; innuens quod de istis non necesse sit inquirere an descendant à Iudæis, cùm vt plurimùm tales à nobilibus descendentes non credantur à Iudæis descendere: quæ limitatio non ponebatur in primo statuto. Licet verò secundum statutum sic limitet primum, non ideo derogat primo, quia limitare non est abrogare, vt patet: sed solum quoad partem modificare. Imò per istam limitationem magis firmatur primum statutum quoad intentum principale de excludendis Christianis nouis, iuxta illam regulam Iuristarum. *Exceptio firmat regulam.*

Responsio

Responsio ad secundum.

4 Responsio secundi quæsiti pendet à solutione alterius maioris dubij: an scilicet licitum,& validum sit statutum Religionis, per quod statuit ne ad professionem recipiantur tales descendentes a Iudæis (vulgo *Christianos nouos*) & quod si recipiantur illorum professio nulla sit, & proinde possint expelli ab Ordine? Nauarrus *in consilio 5. de Regularib. primæ impressionis*, dicens in Religione Minimorum dari tale statutum, asserit nullam Religionem posse facere tale statutum: si verò fiat, fore statutum nullum, neque per illud posse expelli ab Ordine professum tali sanguine maculatu ex vi talis statuti, sed professionem fore validam. Probat Nauarrus, quia Religio non potest facere statutũ contra ius commune; ius verò commune admittit, id est non excludit à Religione descendentes hos à Iudæis. Ad quod citat Nauarrus quædã verba Pij in quadam Bulla loquẽte de hac materia, in qua dicit citatus Papa ad hoc intentum, quod non est distinctio Iudæi, & Græci, iuxta Diuum Paulum. Idem habet frater Hieronymus Rodriguez *in suis resolutionibus resolutione* 101. *num.* 17. qui cum Rodriguez *tomo* 3. *qq. quæst.* 11. *art.* .. equitur Nauarrum adducens eandem rationem Nauarri. Et sic iuxta hanc opinionem respondeo ad primum quæsitum propositum: non potest hæc Religio facere, hoc statutum, neque virtute illius expellere professum, de quo est quæstio.

5 Hoc non obstante, mihi magis placet opinio Suarez, qui *tomo quarto de Relig. lib.* 2. *de ingressu in societatem cap.* 2. *à num.* 10. *vsque ad finem capitis*,

dicit primò quod sua Religio habet hoc ipsum statutum in terminis. Et quod hoc statutum factū est à patribus grauibus, & doctissimis congregatis: idque in vrbe Roma: debuerant verò tales patres bene scire tale statutum esse licitum. Et præterea debuit Romæ Papa scire de tali statuto, cui tamen Papa non contradixit. Addit deinde quod Papa suæ Religioni concessit priuilegium ad faciendas constitutiones quaslibet; quas viderint esse vtiles bono communi Religionis: & præterea quod idem Papa cōfirmauit omnes constitutiones prædictæ Religionis factas, & faciendas. Quæ concessio cùm sit priuilegium, communicatur cæteris Religionibus habentibus priuilegium communicationis. Et *in cit. cap. num. 5.* Respondet Suarez argumento Nauarri dicens, non posse Religionem facere statutum quod sit contrarium iuri communi positiuè bene tamen posse facere statutum contrarium iuri communi, negatiuè. Hoc est: Non potest Religio facere statutum contra ius, quādo ius positiuè, & formaliter dicit, fiat hoc, vel non fiat hoc: nam lex inferioris non potest tollere legem superioris, sicut dicitur in *Clementina.* Ne Romani *de elect.* Sed tamen poterit Religio facere statutum cōtrarium iuri communi negatiuè, id est in materia, in qua ius commune se habuit negatiuè, id est, nihil disposuit in particulari. In hoc enim Religio nō contrariatur in rigore iuri communi, sed disponit extra, vel præter ius cōmune. Et in casu nostri statuti, ius commune nullibi dicit positiuè, quod Christiani noui admittantur ad Religionem vel quod nō arceantur ab illa: sed habuit se ius commune in hoc negatiuè, id est nihil de hoc determinauit in particulari: & ex cōsequenti Religio, quæ fecit tale statutum de excludēdis

ab Or

ab Ordine descendentibus à Iudæis, facit statutum contrarium iuri communi solum negatiuè, quod in rigore non est contradicere iuri communi. Et sic iuxta hanc opinionem Suarez, professio descendentis à Iudæis, de quo quæritur, erit nulla ex vi statuti, poterítque proinde expelli ab Ordine, vbi constiterit de macula illius descendentiæ. Videatur Suarez *cit. loco* vbi fusiùs rem tractat, & respondet ad alia argumenta Nauarri. Et ponit Suarez hoc exemplum clarum; videlicet. Religio Minimorum habet statutum quod nullus ad professionem in illa admittatur nisi habuerit decem, & octo annos completos: quod statutum videtur contrarium Concilio Tridentino decernenti quod professio validè fiat in anno sexto decimo completo. Et tamen prædicta Religio hodie seruat suum statutum, & Tridentinum non illud annullauit. Ratio est, quia prædictum statutum Minimorum non contrariatur Tridentino positiuè. Nam Tridentinum non ait positiuè quod professio facta ante annum decimum octauum sit nulla; neque ait, quod nullus admittatur ad illam ante annum decimum octauum: solum ait quod sit nulla, si fiat ante annum decimum sextum: de professione verò facta in anno decimooctauo habuit se negatiuè, id est, nihil disposuit: & proinde tale statutum contrariatur Tridentino solum negatiuè: seu potius non est contra Tridentinum, sed præter Tridentinum.

6 Dico secundo, dato quod opinio Suarez non esset vera, & quod Religio non posset facere statutum de quo est quæstio, poterit adhuc Religio expellere talé professum, de quo quæritur in secundo quæsito, idque non ex vi statuti (dato quod esset nullum) sed ex eo quia in tali professione defuit cósensus ex parte

Religionis illum admittentis ad professioné. Etenim Religio non illi dedit suffragia ad professionem nisi sub conditione, si careret maculâ talis sanguinis; & proinde cùm talis conditio non sit sortita effectum, professio fuit nulla. Etenim professio est quidam cõtractus inter profitenté & Religionem admittẽtem. Est autem res certissima, quod contractus factus sub conditione, deficiente conditione, corruit contractus. Hoc ipsum affirmat Nauar. Rodrig. & Hieronymus Rodriguez cit. locis: qui licet negent posse Religionem facere statutum, de quo loquimur, omnes tamen concedunt posse Religionem expellere professum contra tale statutum cognito postea defectu natalium: & adducunt rationem proximè positam de defectu consensus ex parte Religionis: & proinde professio sine consensu Religionis est nulla.

7 Dico tertiò, quod vt possit expelli iste taliter inuentus maculatus post professionem, est omnino necessarium quod ante professionem fiat illi potestatio, quod expelletur ab Ordine quoties inuentus fuerit maculatus in natalibus Sic tenet Nauar. *cit. loco* §. *Secundo quod.* Et ratio naturalis dictat: nam in materia contractuum est de substantia contractus, quod conditio apposita contractui intimetur vtrique contrahenti, vt sciat ad quid se obliget, alioqui non annullabitur contractus ex defectu conditionis non intimatæ contrahentibus. Quod adeò verum est, vt dicat Reginaldus *lib. 25. n. 59.* quod in faciendo contractu conditionali, conditio debet esse expressa, & quod non sufficit tacita: pro quo citat Syluestr. & vnam legem iuris ciuilis. Imò addit Reginald. quod talis conditio debet apponi in principio contractus iuxta Syluest. ibidem citatum. Ob quam causam dico in

nostro

nostro casu, quod si huic professo non fuit facta prædicta protestatio ante professionem, quod scilicet illum admittebant sub prædicta conditione, non poterit Religio illum postea expellere. Contra hoc tamen non facit quod ait Nauarr. *citato* §. dicens, quod ad hoc sufficiet protestatio expressa, vel tacita: & non declarat qualis erit in hoc casu protestatio tacita. Ego, saluo meliori iudicio, credo per protestationem tacitam ibi intelligi, quando prædictum statutum Ordinis excludens à professione Christianos nouos fuerit notum ipsi profitenti. Si enim illius habeat notitiam, ipsum statutum facit protestationem, & proinde licet prælatus in professione non faciat expressam protestationē, fit tamen profitenti tacita protestatio ab ipso statuto, quia lex semper loquitur, & profitens sciebat illam legem: & ideo in nostro Ordine Minorum statuta generalia bis in anno leguntur in communitate, vt nō possit quis illorum ignorantiam allegare. Et ideo si hoc statutum istius Religionis legitur singulis annis in communitate, dico quod huic professo fit protestatio tacita in professione, quæ sufficit secundum Nauarrum. Si verò tale statutum non legitur in communitate, nec profitens illius habet notitiam, neque illi in professione fit expressa protestatio, non poterit postea expelli iuxta prædicta ex Reginaldo, quia non fuit illi notificata conditio contractus professionis.

8 Aliud dubium potest hîc oriri ex verbis positis in primo statuto istius Religionis: quatenus dicit: *Quod si secus factum fuerit, sit irritum, nisi vera ignorantia sit factum.* In quibus verbis clarè innuit, quod si aliquis iuuenis ad professionem admissus fuerit, ante quam professionem facta fuit informatio de

illius progenie,& ex facta informatione nihil contra ipſius progeniem reſultauit , & poſt factam profeſſionem conſtitit de illius defectu in natalibus,in tali caſu innuit primum ſtatutum quod profeſſio erit valida,eo quod ſit admiſſus per ignorantiam,& ſic non poterit expelli , etiamſi illi facta fuerit proteſtatio. Facit ad hoc quod ait Rodriguez *tom.3. qq. Regular. quæſt. 54. art.* 1. vbi probat, quod etiam ſtante Bullâ Sixti V. in ſuo robore contra criminoſos, per quam annullabat profeſſionem illorum qui commiſerant delicta grauia in ſæculo , & quod talis expelleretur: ait Rodrig. quod illo non obſtante , ſi tali tempore reciperetur aliquis ad habitum,& profeſſionem factâ prius informatione , & ex tali informatione nihil contra ipſum reſultauit : & poſt profeſſionem conſtitit, quod in ſæculo fuerat criminoſus : in tali caſu non poterat expelli : quia (ait Rodriguez)Sixtus V, non annullauit illius profeſſionem,ſed ſolum annullauit profeſſionem illius criminoſi , qui temerè fuit criminoſi , qui temerè fuit admiſſus , vt dicitur in Bulla illius : id eſt , ſi fuit receptus ſine diligentia prius facta, & ſine informatione. Si verò tunc prælatus faceret prius informationem , ex qua nihil reſultauit , & tamen à parte rei receptus erat criminoſus, prælatus non recipiebat temerè, ſed prudenter: & ideo tunc profeſſio valida erat , nec prælatus ſic recipiens incurrebat pœnas Bullæ Sixtianæ , iuxta Rodriguez. Quod idem applicari poteſt ad caſum iſtius primi ſtatuti:in quo dicitur quod irrita ſit profeſſio , niſi facta fuerit profeſſio ex vera ignorantia: & tunc prælatus recipiens illum qui deſcendit à Iudæis,præmiſsâ tamen informatione & non conſtito per informationem quod talis ſit, recipit illum cum

vera ignorantia, & proinde professio illius valida erit ex vi talis primi statuti.

9 Ad quod inconueniens vitandum prudenter in Ordine P. N. Francisci titulo de Nouitijs ordinatur, quod non obstante, quod informationes factæ ante professionem fuerunt bonæ, & iudicatæ à prælato, & & discretis: nihilominus in professione fiat protestatio profitenti, quod si aliquo tempore de opposito constiterit, expelletur ab Ordine, & hanc protestationem scriptam, & subscriptam à prælato, discretis, & ab ipso professo iubet seruari in archiuo conuentus, vt de illa constet in quouis tempore. Quibus sic stantibus, dicam ego quod in Ordine prædicto P. N. Francisci poterit professus expelli quouis tempore, quo post professionem constiterit illum esse comprehensum in aliquo illorum, quæ illi proposita sunt in præmissa protestatione.

CASVS XCI.

De permutatione cuiusdam beneficij.

DVo priores parochiales volunt permutare sua beneficia ad inuicem: quorum duorum beneficiorum alterum erat pinguius altero. Habens beneficium minus pingue postquam ambo consenserunt liberè in permutatione, si Papa dispensaret, promisit liberaliter priori beneficij pinguioris, quod ob solam gratificationem liberaliter volebat soluere omnes expensas faciendas in obtinenda pontificia dispensatione: & præterea, quod eidem priori conce

concedebat pro vita illius certus domos ad habitãdũ, idque gratis ſine pretio locationis. Et iterum declarauit idem prior beneficij tenuioris quod hæc omnia donabat liberaliter ob ſolam gratitudinem.

Quæritur primò, vtrùm peccauerint hi duo priores ſic paciſcendo antequam obtinerent beneplacitum Papæ, vel ſuperioris prælati potentis diſpenſare in prædicta permutatione?

Secundò quæritur, an poſſit fieri prædicta permutatio beneficiorum præcedente tali circunſtantiâ promiſſionis expenſarum, & donationis domus?

Reſponſio ad primum.

1 Ad primum quæſitum dico, non eſſe peccatum ſimoniæ ſi duo beneficiarij inter ſe prius tractent de permutatione, vel reſignatione ſui beneficij, ſemper apponentes conditionem, ſi Papa diſpenſauerit: & dummodo in illo prius pacto, vel tractatu non apponant aliquam circunſtantiam, vel conditionem clarè ſimoniacam. Hæc concluſio certa eſt, & aſſeritur ab Azorio *tom.2.l.7.c.p.29.q.*18. pro qua ibi citat Syluest. *verbo* permutatio 1. *q.* 5. qui Syluest. citat quandam gloſſam, & Goffredum, & Ioan. And. & Panorm. qui dicunt id poſſe fieri, dummodo in hoc tractatu de permutatione facienda ſe remittant ad voluntatem Papæ, vel ſuperioris. Et ait Syluest. quod licet non faciant hanc proteſtationem verbis expreſſis, *Si Papa voluerit*, ſufficit quod illam faciant virtualiter, illámque mente concipiant. Et ibi reſpondet Syluester duobus capitulis iuris canonici, in quibus videtur prohiberi iſte tractatus præcedens de futura permutatione. Et ad eoſdem textus reſpondet

Azor

Azor cit.loco. Ego hoc probo exemplo. Quæritur in materia de matrimonio an si vir promittat fœminæ suæ consanguineæ, se illá ducturum in matrimonium, si Papa dispensauerit, an taliter promittendo peccet eo quod promittat rem illicitam ducendo consanguineam: & an talis promissio obliget dispensante Papa? Omissis alijs, respondet Sanchez *lib.5.de matrim.* talem promissionem esse licitam: imò obligare ad contrahendum matrimonium cum illa, si Papa dispensauerit. Ratio est, quia talis promissio non est de re illicita: non enim est illicitum ducere consanguineam dispensante Papa. Eodem modo, licet illicitum sit permutare beneficium inconsulto Papa, vel tractare de illius permutatione non se remittendo ad Papæ consensum: non tamen est illicitum tractare de permutatione beneficij, remittendo se ad consensum futurum Papæ.

2 Secundò dico. Si iste prior beneficij pinguioris in principio tractatus dixit: *permutabo tecum meum beneficium si soluas expensas dispensationis, & vsum domus mihi dederis ad habitandum,* & alius acceptaui, & promisit, ambo commiserunt peccatum simoniæ. Hæc conclusio est certa, & clara, asseritur à Suarez *tom.1.de Relig.cap.45*, vbi duo dicit. Primum est: quod si post tractatum, vel pactum de permutatione licitum, sine vlla labe simoniaca, ego promitto solum ex gratitudine dare pecuniam, vel aliquid pretio æstimabile, talis promissio gratuita post contractum licitum non facit contractum simoniacum. Secundò dicit Suarez, quod si ego antequam consentiam in permutatione, vel resignatione beneficij feci promissionem dandi pecuniam, vel aliquid temporale, addendo quod illud dabo pro gratificatione, talis actus

lis actus est simoniacus; quia iam interuenit pactum simoniacum dandi temporale pro spirituali: est enim tunc contractus, qui dicitur, faciam si feceris: vel faciam si dederis. Et ponit Suarez hæc verba: *Siquis à me peteret vt librum donarem liberaliter, & ego responderem: dabo tibi liberaliter si tu mihi simili liberalitate donaueris vas tale, aliàs non donabo: profectò verbis dicerem me velle donare liberaliter: re tamen verâ illud esset permutare, aut vendere*. Sic ille. Et concludit Suarez quod in nostro casu promissio illa gratificationis prius postulata, & deducta in pactum, est pretio æstimabilis, & re ipsa extorquetur pro spirituali beneficio: vel è contrà per obsequium temporale extorquetur promissio beneficij quod est emere beneficium. Et magis se declarans Suarez *cit. loco num.* 13. sic dicit: Post receptum purè, & sine conditione obsequium vel domũ, ex quo nata est obligatio antidoralis, non est simonia dare spirituale, vel Ecclesiasticum beneficiũ, non solum intentione explendi talem obligationem, sed etiam verbis explicando talem intentionem. Modò videant hi duo priores quomodo se gesserint in isto præuio tractatu, & quam intentionem habuerint. Et per hoc, responsum etiam manet ad secundum quæsitum.

3 Et pro maiori præsentis casus resolutione, dico tertiò, quod habens beneficium maius, & pinguius potest illud permutare cum alio minori, & minus pingui, cum declaratione quod Papa imponat aliquam pensionem illi qui acceptat beneficium pinguius, soluẽdã illi, qui pinguius beneficium dimittit. Vel sub conditione, quod Papa det aliud beneficium paruum dimittenti illud pinguius vltra illud beneficiũ minus pingue, quod habebat is qui permutauit cum pinguiori. Hæc conclusio est Azorij *loco cit. q.* 15.

& Los

& Lessij in loco paulò pòst citando,& omnes in illa conueniunt,quia Papa in his potest dispensare.

4 Huius occasione propono breuiter hoc loco illud dubiú,de quo Doctores in materia de beneficijs: vtrùm scilicet possit vnum beneficium permutari cum alio compensando pecunia excessum fructuum vnius beneficij pinguioris: Ad quam quæstionem respondet Vasquez *tomo opusculorum tract.de beneficijs c.* 2.§.4.*dubio* 3. dicendo talem permutationem esse simoniacam, & proinde fieri non posse. Et ait hanc opinionem esse Nauarri, Adriani, Angeli,& Couar. in locis qui apud Vasquez videri possunt.

5 Hoc non obstante oppositum tenet Lessius *lib.*2. *de simoniaca cap.*25. *dubio* 16.*num.*101. vbi probat id posse fieri cum dispensatione Papæ. Pro qua opinione citat Sotum Cajetanum,Syluest. Panormitanum, Angelum.Probat hoc Lessius, quia illa pecunia non petitur neque accipitur pro excessu fructum manente annexo ipsi beneficio pinguiori : sed petitur pro incommode temporali, quod patitur is qui dimittit beneficium pinguius spoliando se illis fructibus beneficij.Et ob hanc causam poterit petere à Papa, vt faciat sibi compensationé reseruãdo sibi pensioné in beneficio pinguiori,quod dimittit,vel vt recipiés beneficiũ pinguius aliquid sibi soluat ex suo patrimonio pro sua læsione.Sic ibi Lessius addens alia,& respondens fundamento,cui nititur Vasquez.Qui voluerit hanc opinionem sequi, securè id poterit facere cum talibus Doctoribus.Ex hoc manet magis probatum id quod supra diximus numero 1.non peccasse hos duos priores prius inter se paciscendo de dando id quod in informatione dicitur, si expressè conuenerunt inter se quod id facerent de

con

consensu Summi Pontificis. Aduertit tamen bene Azor citato loco, solum Papam posse imponere hanc pensionem in permutatione beneficij pinguioris, non verò id posse facere Episcopum, vel alium prælatum inferiorem Papâ: id enim illi prohibetur in capite 1. ne beneficia cum diminutione conferantur.

CASVS XCII.

De quodam Religioso applicante se seruitio Commissarij generalis sanctæ Cruciatæ.

COmmissarius generalis sanctæ Cruciatæ perijt licentiam à quodam prælato regulari certæ Religionis, vt quidam subditus eiusdem prælati posset ire ad certam ciuitatem pro faciendo certo negotio eiusdem Commissarij sanctæ Cruciatæ. Prælatus regularis negauit illi licentiam. Quo viso dictus Commissarius per epistolam vocauit dictum Religiosum, qui non petitâ licentiâ à suo prælato, adiuit prædictum Commissarium Cruciatæ. Qui dictum Religiosum mandauit in locum distantem per multas leucas, vt ibi certum negotiũ perageret. Prȩlatus istius Religiosi conquestus est apud D. Nunciũ Collectoré Apostolicum: qui proprio mandato in scriptis præcepit, vt vbicunque talis Religiosus inueniretur, tanquam apostata comprehenderetur, & de hoc eidem Collectori fieret intimatio. Hoc sciens Commissarius sanctæ Cruciatæ expediuit aliud mandatum in scriptis in oppositum, in quo declarauit prædictum Religiosum non fuisse apostatam, nec posse vt talem comprehendi, nec puniri: eo quod ipse Commissarius Cru

Cruciatæ ex vi officij haberet potestatem ad applicandum,& occupandum in obsequio sanctæ Cruciatæ quemcunque vellet Religiosum.

Quæsitum fuit,cuius mandato in hoc casu parendum fuerit:an D.Collectoris mandato,an verò Commissarij Cruciatæ mandato?

1 Respondi obediendum esse mandato D. Collectoris, & proinde illum Religiosum habendum esse pro vero apostata. Ad huius probationem suppono, quod Concilium Tridentini num.*sess.25.cap.4.de Regular.* circa Religiosos sic decernit:*Prohibet sancta Sydodus ne quis regularis sine sui superioris licentia,prædicationis,vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu subijciat se obsequio alicuius principis,vel communitatis, aut alterius cuiuscunque personæ seu loci:neque ei aliquod priuilegium,seu facultas ab alijs super ijs obtenta suffragetur: quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio superioris puniatur.* Sic Concilium citato loco, quo nihil Clarius ad intentú desiderari potest.Ex quibus verbis clare constat, quod neque Commissarius Cruciatæ, neque vllus Archiepiscopus potest applicare, vel occupare aliquem Religiosum in aliquo opere quantumcunque pio, & publico absque licentia expressa prælati talis Religiosi. Constat etiam quod Religiosus de quo agitur,peccauit mortaliter contra decretum Tridentini,& quod fuit verus apostata,eo quod à conuentu exierit sine licentia sui prælati:citat Cócilium Tridentinum citato loco ad marginem capitulum *quanto*, de officio ordinarij, & Clementinam *Ne in agro* §. *quia vero*, de stat.Monachorum, vbi fit eadem prohibitio Religiosis: & proinde hæc prohibitio continetur in duobus capitibus iuris canonici, & in Concilio Tridentino.

2 Dico ergo primò, quod quando Commissarius Cruciatæ allegauerit se habere facultatem ad applicandum,& occupādum in obsequio Cruciatæ quemcumque Religiosum maluerit, potest Nuncius Apostolicus, imò prælatus Religiosi petere,vt ostendat, & exhibeat commissionem Papæ, quam ad id dicit habere. Probo primò ex eo quod tradit Mascardus *tomo 2. de probat. conclusione* 945. *&* 946. videlicet, quod iurisdictio extraordinaria, seu delegata non præsumitur, sed debet probari clarè, maximè quando talis iurisdictio est exorbitans, & correctiua iuris, pro quo multa citat Mascardus. At iurisdictio hæc quam publicat Commissarius Cruciatæ, est exorbitans, & correctiua iuris canonici,& Tridentini, imò illis contraria: ergo talem facultatem tenetur ostendere, & probare. Secundò probatur, quia Cardinali dicenti se habere aliquid in mandatis non creditur, nisi ostendat mandatum, vt tenet Mascardus *tomo 1. de probation. conclusione* 491. *numero* 8. citans Bartolum, Ioannem Adr. Albanum, & Cardinalem. Et hoc ait certius esse, quando Cardinalis dixerit, se habere aliquid in mandatis,quod est in præiudicium tertij, vt ibidem ait Mascardus *numero* 11. citans alios. At in nostro casu Commissarius Cruciatæ est minor Cardinale: ergo licet dicat se habere facultatem applicandi ad suum obsequium aliquem Religiosum, debet illam exhibere, aliàs non credetur illi maximè cùm ista applicatio sit clarè in præiudicium prælati regularis, à cuius obedientia subtrahitur talis Religiosus. Tertiò facit pro hoc quod ego vidi meis oculis in hac ciuitate Olysipponis, vbi cùm controuersia esset in quodam casu iurisdictionis an scilicet posset Collector

ctor Apostolicus recipere appellationem à Commissario Cruciatæ factam ad ipsum Collectorem, & ad hoc ipse Collector conuocaret multos Theologos, & Canonistas, illi Doctores dixerunt Collectori necessarium esse videre litteras Pontificias suæ commissionis, & delegationis Papalis, vt ex illis constaret an posset recipere appellationem illam factam à Commissario sanctæ Cruciatæ ad Collectorem. Qui dominus Collector statim iussit per secretarium suum legi Bullam suæ commissionis, ex qua constitit ipsum potuisse talem appellationem recipere. Et cum esset Nuncius Apostolicus non est dedignatus litteras suæ commissionis ostendere. Quod multo magis locum habebit in Commissario sanctæ Cruciatæ si dixerit se facultatem habere applicandi Religiosum ad suum obsequium absque licentia sui prælati, quod est contra Tridentinum, & canones citatos. Quartò facit quod tradit Sà *verbò* Excommunicatio *num.* 10. vbi dicit quod excommunicatio lata à delegato, qui copiam suæ commissionis parti petenti noluit dare, est nulla. Et citat Innocent. Panorm. & Felinum, Facit denique, quod in *compendio Mendicantium verbo* Exemptio §. 32. Leo decimus exemit fratres Minores à iurisdictione Commissariorum Cruciatæ, & alijs consimilibus, præcipiens huiusmodi Commissarijs sub grauibus censuris, ne assumant fratres Minores prælatos, ad prædicandam Cruciatam. Idem habetur *in eodem compendio, verbo* Cruciata §. 4. cum grauibus pœnis ex eodem Lone X.

3 Dico secundò, quod si Commissarius Cruciatæ ostenderit facultatem papalem, per quam illi concedatur, quod posit applicare ad suum obsequium quemuis Religiosum etiã absque licentia sui prælati;

vel dicat quod possit illum applicare sibi, non obstante Concilio Tridentino, tunc cessabit omnis quæstio,& licitè id faciet, potest enim Papa derogare iuri,ac Tridentino. Si verò Bulla ipsius Commissarij has clausulas vel aliquam illarum non contineat,non poterit aliquem Religiosum suo obsequio applicare absque licentia sui prælati iuxta Tridentinum suprà citatum. Dato vero quod Bulla ipsius dicat quod poterit assumere ad suum obsequium quemuis Religiosum,nihil aliud addendo,non poterit illum assumere absque licentia sui prælati. Nam Papa in suis rescriptis, & priuilegiis non derogat iuri communi,nisi id exprimat, vt Doctores communiter docent *ad caput primum de constit.* cum legum correctio maximè vitanda sit. Neque Commissarius sanctæ Cruciatæ in hoc casu allegare poterit, quod iam petierat licentiam à prælato locali prædicti Religiosi. Nam dictus prælatus localis licentiam denegauit: & sic licentia petita, & negata, non est licentia.

4 Dico tertiò,quod quandiu Commissarius sanctæ Cruciatæ non ostenderit Bullam Papæ, per quam illi concedatur posse applicare ad suum obsequium Religiosum absque licentia sui prælati, credendum est eum talem facultatem non habere, neque Summum Pontificem id illi concessisse. Ad cuius probationem suppono quod si Papa Commissario Cruciatę talem facultatem concessisset, id foret magnum priuilegium,vtpote, vt faceret contra ordinem iuris, & Tridentini:quo posito sic probo,primò:nam priuilegium non solet concedi cum præiudicio tertij,maximè si talis tertius habet iam quæsitum ius in re, nisi princeps illud exprimat:sic tenet Suarez *tomo de legibus*

bus libro 8.*capite* 27.*num*.9.pro quo citat textus vtriusque iuris, & multos Doctores; addens hoc esse verum, etiamsi priuilegium concedatur motu proprio. At exire Religiosum a conuentu, & subiicere se seruitio alicuius domini Ecclesiastici absque licentia prælati, à cuius obedientia subtrahitur, infert magnú præiudicium eidem prælato: ergo non est credédum Papam tale priuilegium concessisse, nisi ostendatur. Secundò quia argumentum a sequela absurditatis, est satis firmum: videlicet, si hoc fieret, sequeretur absurdum, ergo non est faciendum. Quod inquam hic modus argumentandi sit validus, constat ex *capite* Dudum *de prabend.& dignitat*.vbi glossa verbo *Absurdum*, citat alium textum: quo posito, arguo sic: Si Commissarius Cruciatæ, vel aliquis prælatus Ecclesiasticus haberet facultatem applicandi ad suum obsequium aliquem Religiosum absque licétia sui prælati, sequerentur multa absurda: ergo non est credédum Papã tale priuilegium concedere. Probo sequelã. Primò enim posset contingere, quod Cómissarius Cruciatæ per ignorãtiã facti applicaret suo obsequio Religiosũ malæ vitæ, & malis moribus imbutũ, qui proinde extra conuentum habens libertatem plurima daret scandala, cũ præiudicio, & infamia suę Religionis. Secundò posset applicare suo obsequio Religiosum valde necessariũ cõuentui, videlicet lectorem actualé Theologiæ, idq; cum detrimento cõuentus in quo legit Theologiam. Quod idem detrimentũ pateretur conuétus si tépore quadragesimæ applicare vellet ad suum obsequium insignem prædicatorem, qui prædicat in suo conuentu. Tertiò posset non vnum tantùm, sed tres vel quatuor prædicatores graues, vel Theologos simul assumere ad prædicandã Cruciatã,

in quadragesima,ex quo detrimentum pateretur conuentus.Cumque hæc sint absurda,amputanda est occasio illorum. Tertiò hoc probo ex Concilio Tridentino *sess.*24. *c.*20. *de reform.* vbi ponit hæc verba: *Legati quoque etiam de latere, Nuntij, gubernatores Ecclesiastici,& cæt.in prædictis impedire non præsumant, aut eorum iurisdictionem præripere,vel turbare:sed nec etiam contra Clericos, aliásque personas Ecclesiasticas procedant nisi Episcopo prius requisito.* Si ergo Papa, seu Concilium non vult quod legatus à latere, vel Núcius procedat contra aliquem Clericum nisi prius requisito Episcopo, quomodo credendum est velle Papam,vt Commissarius Cruciatæ applicet ad suum obsequium aliquem Religiosum irrequisito suo prælato regulari? Vltimò, quia Papa non debet velle vt Commissarius Cruciatæ abroget statuta generalia Religionum:at in Ordine istius Religiosi, de quo est quæstio,datur statutum generale decernens, quod si alicui Religioso, Generalis Ordinis,vel Prouincialis mittat aliquam licentiam eundi ad aliquod oppidum, vel vrbem, dictus Religiosus non vadat nisi prius ostensâ licentiâ prælato locali, aliàs secus faciens puniatur vt apostata. Hic v[illegible] Religiosus neque ostendit prælato locali epistolam Commissarij Cruciatæ, per quam illum ad se vocauit.

5 Adhuc aduerto pro maiori confirmatione dictorũ, quod prohibitio ne aliquis Religiosus applicet se obsequio alicuius prælati, vel domini sæcularis absque licentia sui prælati, est decreta in Concilio Trident. & in Concilio Viennensi in citata Clementina suprà *n.*1. At decreta Concilij generalis, maximè Tridentini, non reuocantur per reuocationes generalès posteriorum Pontificum, nisi in illis exprimatur, & dicatur:

dicatur : *Non obstante Concilio Tridentino, vel quouis alio Concilio generali.* Idque propter rationes, & multos graues Doctores, quos ad hoc citat Sanch. *lib.3. de matrim. disp. 26. n. 7.* & proinde licet Bulla Commissarij Cruciatæ illi concederet vt posset ad suum obsequium applicare Religiosum, & non diceret: *Non obstante Concilio Tridentino*, nihil suffragaretur, & dictum Concilij Tridentini decretum non maneret reuocatum. Et ex his omnibus supradictis constat, quod Religiosus, de quo agimus, fuit verus apostata.

CASVS XCIII.

De quodam Vicario generali excommunicante Religiosum exemptum.

QVidam Religiosus ex quodam Ordine non mendicante professus, transiuit ad alium Ordinem mendicantem, & in illo professus fuit post annum Nouitiatus, & in secunda Religione mendicante vixit per annos quindecim sine vlla reclamatione habitus, vt verè professus secundæ Religionis : progressu temporis aliquas culpas graues commisit propter quas carceri mancipatus est à prælato secundæ Religionis. Ille vt se à carcere liberaret, per epistolam reclamauit coram Vicario generali Archiepiscopi, dicens se velle probare quod professio facta in secunda Religione fuerit nulla, eo quod quando exiuit à sua prima Religione ad secundam non attulit licentiam prælati prioris Religionis. Vicarius

generalis ad instantiam reclamantis mandauit prælato locali ipsius carcerati, sub excommunicatione, vt illum de carcere eductum deponeret extra conuentũ in quadam congregatione Clericorum, vt inde securus posset causam suã prosequi. Ad hoc mandatũ respondit prælatus localis, prædictum Religiosum detineri in carcere propter culpas per sententiam in capitulo iudicatas: & præterea prædictum Religiosum non posse audiri circa nullitatem suæ professionis, eo quod iam transiissent anni quindecim post suam professionem: Tridentinum verò præcipere, vt professus post quinquennium non audiatur circa nullitatem suæ professionis. Postea cùm idem prælatus ex decreto sui prouincialis propter easdem culpas vellet illum in naui imponere portandum ad Insulas, tanquam in pœnam exilij, prædictus Vicarius generalis sub eadem pœna excommunicationis præcepit prælato locali, ne dictum Religiosum ad Insulas mandaret. Cui mandato cum etiam prælatus localis non paruerit, Vicarius generalis speciali, & publico mandato declarauit excommunicatum prædictum prælatum, in quadam parochia in die festo, quæ parochia erat vicina illi conuentui, idque coram omni populo illius parochiæ.

Quæsitum fuit, an prædictus Vicarius generalis potuerit validè excommunicare dictum prælatum regularem ob causam prædictam?

1 Ante responsionem præmitto primò, Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19. de regular.* præcipere, quod si aliquis professus voluerit probare se non esse professum, non admittatur ad id probandum nisi intra quinquennium à die professionis. Et addit quod causas nullitatis suæ professionis debet allegare, & proba

probare coram suo prẹlato regulari,& coram Ordina rio. Secundò suppono, quod excommunicatio nulla non ligat,neque vllam parit obligationem,vt omnes fatentur, & patet ex illo dicto communi: Ex nihilo nihil fit.

2 Tertiò suppono iuxta communem opinionem Doctorum, quod excommunicatio potest esse iniusta,& nulla ob duas præcipuè causas: prima est ex parte ipsius excommunicantis, quia scilicet excommunicans caret iurisdictione ad excommunicandum. Secunda causa est ex parte ipsius causæ, ob quam mouetur, & fundatur ad excommunicandum, quia scilicet talis causa est iniusta, & illicita, & proinde excommunicatio in tali causa fundata, est nulla: vel etiam quia continet errorem intolerabilem, quod paulò post exemplo declarabitur. Ita Doctores communiter, maximè Nauarrus *in summa cap.* 27. *numero* 3. *&* 4. Reginaldus *tomo* 1. *libr.* 9. *à numero* 104. *& sequenti,* & Henriquez *lib.*13.*cap.*15.*&* 16. vbi citat multos alios. Hoc posito dico indubitanter hanc sententiam declaratoriam prælati regularis tanquam excommunicati, fuisse nullam clarissimè ob sequentes causas,seu nullitates.

3 Prima causa nullitatis fuit, nam Vicarius generalis,vel Ordinarius non potest excommunicare Religiosum exemptum habentem priuilegium ne possit excommunicari nisi de speciali licentia, & commissione sedis Apostolicæ, quale priuilegium habebat iste prælatus excommunicatus à Vicario generali. Constat hoc ex toto verbo *Exemptio* in compendio Mendicantium, maximè §.8.9. 22. & 24. & in particulari *citato* §. 9. concedit Papa Clemens IV. fratribus Minoribus,vt non posint excõmunicari,suspẽdi,

vel interdici per vllum legatum, vel subdelegatum, nisi sit legatus à latere, & nisi litteræ talis delegati Papæ, faciant plenam, & expressam mentionem de prædicto Ordine,& dicto indulto. Et in *cit.loco* §.22. Sixtus IV. Idem in substantia concessit: & Ordinariis qui contrarium fecerint imponit pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione Ecclesiarum. Cæteris verò prælatis, & Rectoribus imponit pœnam excommunicationis,& priuationis beneficiorum, & inhabilitatis ad futura. Et *in* §. 24. conceditur Patribus Carmelitis, quod nullus Ordinarius possit illos excommunicare absque speciali Sedis Apostolicæ commissione faciente plenam,& expressam mentionem prædicti indulti, & quod processus factus in contrarium sit nullus. Similis concessio continetur in omnibus supra citatis §§. citato verbo *exempti.* Idem priuilegium concessit Paulus III. Patribus Societatis Iesu, teste Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 33. *n.* 23. vbi doctissimè probat non posse Episcopos excommunicare Religiosos exemptos nisi id illis expressè à Papa, vel à Concilio generali fuerit permissum. Pro quo ponit exemplum in Concilio Tridentino, quod in duobus locis commisit Episcopis, vt possint cogere Religiosos cum censuris: videlicet *in sess.* 22. *in decreto de vitandis, in celebratione Missæ*, & *in sess.* 25. *c.* 16. *de regular.* sicut ibi potest videri. Quando verò ibi Concilium loquitur de subiectione Religiosorum ad Episcopos, & concedit aliquid Episcopis circa Religiosos, si non exprimit, quod possint illos cogere per censuras, non poterunt illos excommunicare licet Episcopis concedat aliquam iurisdictionem circa Religiosos. Exemplum clarum est in

Triden-

Tridentino *sess.25.cap.13. de regular.* vbi conceditur Episcopis quod possint compellere Religiosos, vt vadant ad processiones: & non exprimit quod possint eos compellere per censuras. Ac proinde ad citatum locum Tridentini dicunt Doctores posse Episcopos compellere Religiosos vt vadăt ad processiones priuando illos ne prædicent, vel ne confessiones audiant in sua diœcesi: non verò poterunt cogere per censuras, quia id illis Concilium ibi non permittit, sic præter Sanchez tenet Barbosa *ad cit. cap.13.* Tridentini, dicens sic sæpe fuisse declaratum à congregat. Cardinalium, & citat Quarantam, Sanchez, Rodriguez: & Sanchez citat alios multos. Et denique sic habetur in *cap.1. de priuileg. in 6.* Vide tamen Salgadum *de regia protect. 2. p. cap.9. num.*109. Barbosam *de officio, & potestate Episc. alleg. 78. n. 25. secundum Lugdunens.*

4 Nec potest dicere Vicarius generalis hanc excommunicationem se fulminasse ex speciali commissione Sedis Apostolicæ, cùm enim Tridentinum *citato cap.* 19. committat Episcopo vt sit iudex in causa nullitatis professionis, consequenter illi videtur committere vt possit excommunicare pro illa causa terminanda. Non obstat, quia ibi Concilium non concedit expressè Episcopo vt possit excommunicare Religiosum exemptum, & oportebat id expressè concedere iuxta exemplum paulò suprà positum. *De compulsione ad processiones.* Vide Riccium *in praxi decis.363.n.6.* Secúdò dico, quod imò potius Tridentinũ ibi priuauit Episcopum iurisdictione excommunicădi quoad hunc casum particularem: nam cùm ibi iubeat vt professus post quinquennium non audiatur, & professus, de quo agitur reclamet post annos quindecim,

decim, non potest Vicarius generalis illum audire; quod si non potest in eius casu procedere, non poterat ex consequẽti pro prædicto casu excommunicare.
5 Secunda nullitas clara huius excommunicationis est, quod audiuit reclamantem post quinquennium, imò post quindennium sine speciali rescripto Papæ. Cùm enim Concilium expresè dicat quod non possit audiri, non potest Vicarius generalis dispensare in Concilio Tridentino, & factum contra dictum Concilium erit nullum, iuxta illam regulam iuris in 6. *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infestis haberi:* vbi glossa multos textus adducit. Probatur etiam ex *cap. 2. de testibus*, vbi dicitur quod facta contra legem non habent firmitatem. Si verò respondeas quod Tridentinum citato loco non ponit clausulam irritantem dicens: Si audiatur post quinquennium sit nullum, & proinde non erit actus nullus audire illum post quinquennium, cùm multa fieri prohibeantur, quæ tamen facta valent. Respondeo, quod licet lex non ponat clausulam irritantem, actus factus contra illam erit nullus, si talis lex præscribat formam seruandam in actu faciendo, & talis forma omittatur à iudice delegato. Sic communiter tradunt Doctores maximè Reginaldus *to. 1. lib. 13. q. 4. n. 184.* & Suarez *tom. de legibus lib. 5. cap. 31. n. 9.* vbi citat quatuor vel quinque textus, & quandam glossam. Præcipuus textus ad hoc est in cap. *Cum dilecta*, de rescriptis: vbi Papa sic dicit: *Quorum processus cassauimus, quia contra nostri mandati tenorem, & cæt.* In citato verò capite Tridentini præscribitur forma substantialis seruanda in reclamatione professi: & hanc formam Vicarius generalis non seruauit, vt patet: ergo illius factum fuit nullum, etiam si
ibi

ibi Concilium non posuerit clausulam irritantem. Et quod reclamans post quinquennium non possit audiri sine rescripto speciali Papæ. Probatur ex ipsa praxi, pro qua cito duo exempla. Primum quod ego vidi. Nam cùm ego essem Prouincialis, quædam Monialis meæ prouinciæ post quinquẽnium voluit probare nullitatem professionis, quæ tamen prius impetrauit rescriptum Papæ, quod ego meis oculis vidi. Secundum exemplum sit alterius Monialis conuentus *de Odiuellas* prope Olysipponem, quæ ad reclamandum contra suam professionem post quinquennium, prius duo rescripta Papæ impetrauit, vt posset audiri. Quod potest etiam probari *ex cap.* coram *de in integrum restit.* in quo duo Episcopi litigantes, & iussi apparere Romæ in certo termino assignato, & illi nec per procuratores comparuerint, pronuntiauit Papa illos ius suum amisisse, sed eo non obstante, Papa per rescriptum particulare eos ad litigandum admisit. Quod facit directè ad istum casum. Et quãuis aliqui Doctores, vt Rodrig. *tom.* 3. *qq.q.* 17. *art.* 16. & alij dicant, quod si durante quinquennio, durauit impedimentum professionis, ob quod non potuit reclamare in quinquennio, vt quia viuebat pater professi, ob cuius grauem metum est professus, & post quinquennium mortuus est pater, & cessauit metus, vel simile impedimentum: quamuis inquam in hoc casu Rodriguez, & alij dicant posse tunc professum audiri post quinquennium; melius tamen nouissimè Bonacina *tom.* 1. *tit. de clausura, q.* 2. *sub titulo, quo tempore facienda sit reclamatio n.q.* §. *Ergo vero*, absolutè probat quatuor, vel quinque rationibus efficacibus, quod transacto quinquennio nõ potest audiri professus reclamans, etiam si intra quinquenniũ impeditus

fuerit

fuerit ad reclamandum. Er quod eſt maius, & tollit omne dubium, dicit Bonacina, quod Papa Gregor. XIII. ita declarauit ad inſtantiam congregationis Cardinalium quod ſcilicet non poſſit reclamari poſt quinquennium, etiam ſi allegetur vim, & metum ſemper duraſſe. Et citat Bonacina Pariſium, & Cauallos teſtificantes de eadem declaratione Gregorij XIII. eandem declarationem citat Marſillat in ſuo tomo declarationum ad *citatum cap.* 19. *Tridentini de regul.* videatur modò quam ſufficientem cauſam daturus ſit iſte reclamans eo quod non reclamauerit in quinquennio, ſed poſt quindennium.

6 Tertia nullitas clara iſtius ſententiæ fuit, quod Vicarius generalis ad audiendum iſtum reclamantẽ, & faciendum proceſſum circa ſuam profeſſionem, non vocauit prælatum regularem iſtius Religioſi, quia Concilio Trident.*cit. cap.*1. conſtituitur iudex, & coniudex profeſſionis ſimul, & æqualiter cum Ordinario, & proinde facta à ſolo Vicario generali fuerunt irrita, tanquam à iudice non competente, id eſt non totali. Probatur, quia quãdo Papa committit aliquam cauſam ſimpliciter duobus iudicibus, & abſque clauſula vlla, non poteſt vnus eorum ſine altero procedere, aliàs ſecus factum erit nullum. Habetur expreſsè *in cap.* Cauſam matrimonij *de officio, & poteſtate iudicis deleg.* vbi ſic dicitur: *Quia cum cauſa duobus committitur, ſententia vnius non tenet.* Idem dicitur *in c.* Cum cauſa *& in c.* vno delegatorum *eodem titulo:* pro quo videatur copioſiùs gloſſa *in capite 2. de arbitris in 6. in verbo, Circa iudices.* Ad Concilium Tridentinum committit cauſam nullitatis profeſſionum duobus, prælato ſcilicet regulari, & ordinario: ergo Ordinarius non poteſt procedere in

illc

illa sine prælato regularis, aliàs processus erit nullus. Neque sufficiet quod in hac causa Ordinarius faciat prius per se solum processum, & postea vocet prælatum regularem, vt ambo proferant sententiam: nā facere processum est actus iurisdictionis, vt patet, & debet fieri à iudice competēte, aliàs erit inualidus: ergo debet fieri ab vtroq; iudice si causa duobus simul commissa fuit. Sic tenet in hac particulari materia frater Ludouicus de Beia *in suis Respons. moralium 4.p.casu 18.post medium §. Aduertant*, vbi ait sic iudicatum fuisse per Nuncium Collectorem Olysippone in quodam simili casu in quo Ordinarius voluit per se solū iudicare nullitatē professionis absq; prælato reclamantis. Et addit ibidem prædictus Beia sic postea fuisse declaratum, & iudicatum Romæ per illustriss. dominos Cardinales, quorum declarationem ipse asserit se vidisse. Ex quibus omnibus constat, quod non poterit dari praxis, vel consuetudo quod in hoc casu reclamationis possit Vicarius Episcopi solus facere processum sine prælato regulari: talis enim cōsuetudo non erit cōsuetudo, sed corruptela contra expressum Concilium generale Ecclesiæ. Denique Marzilla *cit. tomo declarat. Cardinalium ad cit. cap.* 19. testatur, quod dicti Cardinales sic declararunt decisione 69. *Congregatio Concilij censuit, regularem deducentem intra quinquennium nullitatem professioris, teneri eam probare coniunctim coram proprio superiore regulari, & coram Ordinario.* Quo nihil clarius dici potuit.

7 Quarta nullitas istius excommunicationis, est ex parte causæ ob quam prælatus iste localis fuit excommunicatus, videlicet quia noluit obedire Vicario generali depositando istum reclamantem extra conuentum, & extra carcerem vbi libere posset alle-

gare

gare de sua professione. Et dico hanc causa fuisse iniustam, & nullam: quia excommunicauit talem prælatum eo quod noluit facere rem illicitam. Probo, & declaro ex Nauar. *in sum. cap.* 27. *n.* 4. vbi differens quando sit excommunicatio iniusta, & nulla, inter alia exempla ponit hæc verba: *Quartus casus est quando excommunicatio continet errorem intolerabilem, qualem habet illa, quæ datur contra aliquem, eo quod rectè aliquid fecit: aut quia non fecit aliquid illicitum.* Sic ille. Et idem docent Doctores suprà citati *num.* 2. At in hoc casu Vicarius generalis excommunicauit hunc prælatum localem eo quod aliquid rectè fecit, & eo quod noluit aliquid illicitum facere. Nolens enim depositare carceratum extra conuentum, vt reclamaret de sua professione post quinquennium, & sine ordine prælati regularis, qui erat iudex, rectè fecit iuxta Tridentinum & proinde fuit excômunicatus, quia noluit facere aliquid illicitum. Illicitè enim faceret, & contra Tridentinum, si consentiret vt professus post quinquennium audiretur, & audiretur, à solo Ordinario non assistente prælato reclamantis. Et ex consequente cùm fuerit excommunicatus eo quod noluit illicitum facere contra Tridentinum, excommunicatio fuit nulla, vtpote continens errorem intolerabilem, iuxta Nauar. & alios citatos *nu.* 2 maximè Reginaldum ibi citatum *num.* 106. Et hinc etiam manet responsum ad aliam secundam causam excommunicationis, quia videlicet prælatus localis noluit obedire Vicario generali prohibenti ne dictus reclamans naui imponeretur ad Insulas adeundas loco exilij. Iam enim Vicarius generalis id non poterat mandare vltra quinquennium, & sine assistentia prælati regularis, qui erat coniudex in eadem causa professionis, iuxta supradicta.

8 Quin

8 Quinta nullitas huius excommunicationis fuit, quod cùm Vicarius generalis esset iudex in hac causa professionis reclamatæ simul cum Prælato regulari,& essent ambo iudices æquales per Tridentinum suprà citatum; Vicarius generalis excommunicauit Prælatum Religiosum suum coæqualem iudicem.Est autem res inaudita quod quando duo homines assignantur iudices super vnam causam, vnus illorum possit alterum excommunicare circa tangentia eandem causam. Facit ad hoc expresè quod dicitur in cap. *Innotuit, de elect.* vbi Papa dicit, *Quod par in parem non habet potestatem.* Et habetur *in l.* ille à quo, §. Tempestiuum, *ff. ad Trebellianum*,& per alios textus adductos à glossa in cap. *Innotuit*, verbo *In parem.*

9 Sexta nullitas istius excommunicationis fuit,quod Vicarius generalis non citauit Guardianum ad audiendam prolationem sententiæ, sed illo non citato publicauerunt illum excommunicatum in sua Parochia in quodam die festo: cùm tamen de iure necessarium sit vt ante publicationem sententiæ citetur reus ad illam audiendam, vt possit, si voluerit, appellare. Sic expresè tenet Camillus Borellus *tom.1. suarum decisionum, decis. seu tit.44. num.233. & seqq.* pro quo citat duas leges iuris ciuilis, & decem Doctores, quod si sententia prolata fuerit sine citatione partis, erit nulla, etiam si sit sententia Papæ, vel Imperatoris. Et ait ibi *num.236.* sic obseruari in Rota Romana. Et est hoc conforme iuri positiuo, & praxi. Nam si praxis Ecclesiæ & ciuilis obligat, & citat reum, vt sit præsens, & videat iurare testes, si fortè velit illis quidquam opponere, maior obligatio videtur vt citetur reus ad prolationem sententiæ latæ contra illum, vt possit appellare contra illam. Idem colligitur ex deci-

sionibus Rotæ Rom. Nam Farinacius *tomo* 1. *decisionum, decis.* 90. *num.* 3. dicit, quod ad certum casum cuiusdam declaratoriæ, præcessit mandatum iudicis Sandrini ad citandam partem, & quod fuit intimatum procuratori partis, & affixum ad valuas cuiusdam Ecclesiæ. Et tandem sic decretum est in *Clementina* sæpe contingit, *de verborum significatione, prope finem*, vbi sic dicitur: *Sententiam verò diffinitiuam, (citatis ad id, licet non peremptoriè, partibus, & pro vt magis sibi placuerit) stans, vel sedens proferat.* Quo nihil clarius dici potuit ad probandum quod iudex debet citare partes ad audiendam prolationem sententiæ, circa quod dicit Camillus Borellus *tomo* 2. *suarum decisionum, tit.* 30. *num.* 181. quod ad hanc citationem non sufficit, quod iudex dicat, vt reus coram se compareat intra octo dies, verbi gratia, vt alleget suam iustitiam: sed necessariam esse specialem, & præcisam citationem ad audiendam sententiam. Et citat ad hoc quandam decisionem Rotæ Rom. quam etiam citat Farinacius *tomo* 2. *decis.* 486. Addo hîc quod Vicarius generalis non ostendit Guardiano processum à se factum, vt posset contra illum allegare; vt videre est in eodem processu, qui non fuit Guardiano ostensus. Pro quo videatur *capitulum* Qualiter, & quando *secundum, de accusationibus*, vbi mandatur quod reo ostendantur contenta in processu.

10 Septima nullitas, quia Guardianus appellauit statim à primo mandato, quo præcepit Vicarius generalis, vt carceratum Religiosum extra conuentum depositaret. Et non obstante hac appellatione, Vicarius generalis processit vsque ad sententiam: in quo videtur nulliter processisse. Nam appellatio suspendit excommunicationem: de quo multa tradit Bonacina

tom. 1.

tom.1.disp.1.de censuris,q.2. puncto 2. probans cum multis quod appellatio præmissa excusat ab incurrenda censura subsequente. Et fauet in particulari *capitulum* præterea,*de appellat.in* 6. citatum,vbi Papa dicit, quod si iudex alicui mandauit in hunc modum : *Nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum esse cognoscas.* Et respondet Papa, quod si intra dictos viginti dies appellauit ille, cui impositum est mandatum, non incurrit excommunicationem, quia appellatio illam suspendit. Et in hoc casu, mandante Vicario generali vt Guardianus intra tres dies carceratum extra conuentum poneret : Guardianus statim à mandato appellauit, & ideo excommunicationem non incurrit : & ex consequenti illicitè postea Vicarius generalis declarauit Guardianum incurrisse excommunicationem. Tenebatur autem Vicarius acceptare appellationem iustam Guardiani, recusantis dictum carceratum ob culpas depositare extra conuentum : inde enim sequeretur scandalum sæcularium, & annullaretur sententia Religionis, quæ dictum Religiosum ob culpas ad carcerem iuste damnauerat.

CASVS XCIV.

De quadam donatione facta à quodam Episcopo suis consanguineis.

QVidam Episcopus solum titularis(vulgo *de Anel*) olim professus in quadam Religione Mendicante, inseruiebat cuidam Archiepiscopo in pontificalibus exercendis : & præterea erat deputatus in Tribunali S. Officij, & tam ab Archiepiscopo, quàm à Tri-

bunali sancti Officij recipiebat annuas pensiones pecuniarias pro sua sustentatione. Ex prædictis pensionibus pecuniariis ferè sibi subtrahens de congrua sustentatione, emit hortum, & certos redditus annuos tritici, & olei perpetuos, quos donauit scripturâ publicâ duobus nepotibus ex sorore pauperibus pro sua sustentatione, & vt litteras discerent in publica Academia, idem Episcopus emit aliquos bonos libros, quos voluit donare Religioni, de qua fuerat assumptus, cum aliis libris, quos in dicta Religione acquisierat, & quorum vsum Religio illi concesserat.

Quæsitum est primò, an dictus Episcopus potuerit in conscientia donare prædictis nepotibus dictos redditus annuos tritici, & olei: possitque illis aliquid amplius donare in redditibus annuis perpetuis?

Quæritur secundò, an post mortem istius Episcopi posset Fiscus pontificalis prædictos redditus perpetuos recuperare tanquam spolia pertinentia ad Cameram Apostolicam?

Quæritur tertiò, an prædictos libros, quos emit in statu Episcopali, possit donare Religioni, de qua fuit assumptus: & quomodo, & quando possit facere prædictam donationem librorum?

Illud imprimis admoneo in Portugallia receptas non esse constitutiones Apostolicas de spoliis Episcoporum, & Clericorum agentes, imò antiquam consuetudinem contrarium obtinere. Nauarrus *de spolijs Clericorum*, §.14.*n*.4. Azor *instit. Moral*: 2.*p*.*lib*.8.*cap*.4. Gabriel Pereira *decis*.95. *à n*.10. Ideo semotâ Regni consuetudine ad casum propositum de iure respondemus.

Responsio ad primum.

Ad primum respondeo potuisse prædictum Episcopum

pum sine vllo scrupulo conscientiæ prædictos redditus annuales tritici emere, & donare dictis nepotibus, & eodem modo poterit eisdem amplius aliquid donare validè donatione inter viuos. Ad hoc probandum sufficiebat sententia lata in Rota Romana in casu omnino simili, quem casum refert Farinacius 2. *parte suarum decisionum Rotalium decis.* 241. *& decis.* 306. vbi ponit hunc casum. Quidam Religiosus fuit electus Episcopus certi Episcopatus, & ex redditibus Episcopatus subtrahens de sua sustentatione emit quasdam domus magni pretij, illásque donauit duabus neptibus filiis sororis suæ. Mortuo Episcopo Capitulum sede vacante nomine Ecclesiæ suæ, litem mouit contra neptes Episcopi, volens annullare prædictam donationem domorum factam ab Episcopo, domósque prædictas recuperare pro Ecclesia. Delatus est casus ad Rotam Romanam, & in illa iudicatum fuit prædictam donationem factam in vita ab Episcopo fuisse validam. Assignat ibi Farinacius rationes, quas considerarunt iudices Rotæ ad talem sententiam ferendam. Prima est, quia Prælatus habens in vita administrationem reddituum æquiparatur vsufructuario, & proinde potest per actum inter viuos disponere de fructibus beneficij. Pro quo citat vnam glossam iuris canonici, & aliam decisionem Rotæ. Secunda ratio Farinacij est, quia beneficiarius potest dotare consanguineos pauperes: pro quo citat Abbatem, Alexandrum, Capellam Tolosanam, Boëtium, & alios multos graues Doctores, qui apud illum videri poterunt. Tertia ratio Farinacij est, quia ille Episcopus dictam pecuniam, quâ domos emit subtraxit de sua commoda sustentatione parcè viuendo. Est autem communis opinio Doctorum, quod beneficiarius po-

test in vita donare illud quod in vita subtraxit de sua commoda sustentatione. Sic tenet inter alios Bonac. *tom.2. disput.3.de contract.punct.5.num.5.§.Sentiendum*, & Reginaldus *tom.2.lib.30. tract.3. num.39*. Quarta ratio est, quia Episcopus promiserat illam dotem neptibus, & ob talem promissionem tenebatur in conscientia domos illis donare. Denique concludit Farinacius hoc verum esse tam in Episcopo Clerico, quàm in Episcopo Religioso: quia Episcopus Religiosus tam dominus est suorum redditu um quam Episcopus Clericus est dominus suorum. Pro quo citat Baldum, Cardinalem & Nauarrum, qui dicit hanc esse praxim istius orbis: quæ dicta à Farinacio habent maiorem locum in hoc nostro casu, quia hic Episcopus, de quo loquimur, non habebat propriè redditus beneficij Ecclesiastici, cùm esset Episcopus solum titularis, sed solum habebat stipendia illa data sibi ab Archiepiscopo, & à Tribunali sancti officij, qui non sunt redditus beneficij: sicut erant redditus illius Episcopi, de quo loquitur Farinacius, qui erat Episcopus ordinarius.

Prædictis argumentis Farinacij possumus addere sequentia. Nam teste Reginaldo *cit. tract. num.101.* & quinque Doctoribus, quos ibi citat, potest beneficiarius sororem, vel aliam consanguineam dotare de fructibus beneficij, vt commodè nubat. Potest item alere fratrem, vel cognatum in studiis litterarum, & illum ad gradus promouere. Pro quo citat Molinam, qui *tomo 1. de iustit.tract.2.disput.146.* dicit In hoc casu pauperes censeri, non solum illos qui indigent victu, & vestitu requisitis ad sustentationem naturæ; sed etiam illos qui egent rebus opportunis ad conuenientiam sui status. Et addit Reginaldus *ibidem num. 103. §. Caterum*, cum Nauarro & Molina, Beneficiarium

auctum

auctum in suo statu Ecclesiastico posse licitè cõsanguineis dare; non quidem tantum quantum illi exigere solent; nec quantum suaserit affectio inordinata erga consanguineos, sed moderatè arbitrio prudentis, & timorati viri, circumstantiis omnibus consideratis, & quantum requiri iudicabitur, vt dedecus merito non sit ipsi beneficiario propinquos sibi tam arctè coniunctos se adeò abiectos habere. Sic ille. Et quamuis omnia supradicta ordinariè intelligantur quod possint Beneficiarij donare consanguineis donatione inter viuos, non verò donatione causâ mortis, quæ æquiualet testamento. Nihilominus ait Vasquez *tomo opusculorum, opusc. de reddit. Eccles. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 70. *&* 71. quod Beneficiarius constitutus in mortis articulo, potest facere donationem validam, si statim transferat dominium rei donatæ in donatarium, & non transferat illud dominium post mortem: tunc enim talis donatio cum dominio statim translato ante mortem, æquiualet donationi inter viuos: pro quo citat Sarmientum, Syluest. & Nauar. Idem omnino sentit Bonacina *tom.* 2. *disput.* 3. *de contract. q. vlt. puncto* 5. *num.* 1. §. *Ego vero.* Hic verò Episcopus, de quo loquimur, donauit nepotibus donatione clarâ inter viuos. Vltimò confirmatur ex eo quod tradunt hodie Doctores ferè communiter dicentes quod saltem in Hispania consuetudine antiquâ, & toleratâ Beneficiarij possunt facere testamentum de superfluis ex residuo suorum reddituum Ecclesiasticorum, & illa donare ad libitum pro causis piis. Ita sentit Azor *tom.* 2. *lib.* 8. *q.* 4. §. *Vt hac omnia*, citans Couar. & alios graues Doctores. Idem tenet Reginald. *citat. tract.* 3. *num.* 121. §. *Secundum est.* Et quamuis ex ibi à Reginaldo hoc non intelligatur de Episcopis, qui non possunt testamentum facere

AAa 4 sine

ſine licentia Papæ : neque item poſſit intelligi de Epiſcopo Religioſo, qui non poteſt facere teſtamentum, hoc non obſtat quin poſſit Epiſcopus Religioſus donare donatione inter viuos eo modo quo citati Authores dicunt, maximè Vaſquez, cùm plenam adminiſtrationem habeat reddituum dum viuit, ſicut habet vſufructuarius ad expendendum in opera pia, quale opus pium fuit factum iſtius Epiſcopi in ſuſtentandis nepotibus. Vide pro maiori complemento Villalobos *in ſumma tom.2.tract.35.dubio* 40.*num.6.*

Reſponſio ad ſecundum quæſitum.

Ad ſecundum quæſitum dico, quod donatio iam facta nepotibus ab iſto Epiſcopo, neque eſt ſpolium, nec pertinet ad Cameram Apoſtolicam, ac proinde non poteſt Fiſcalis Pontificius illa bona ſic tradita à nepotibus auferre.

Pro fundamento iſtius dicti, pono hic definitionem ſpolij. Definitio ergo ſpolij ponitur à Nauarro *in Commentario de ſpolijs Clericorum num.* 1. §. *De ſpolijs autem*, vbi ſic definit : *Spolia ſunt bona ab Eccleſiaſtica perſona immediatè quæſita, vel mediatè quæſita ex bonis Eccleſiaſticis, vel redditibus eorum debitis, quæ non fuerunt ante mortem eius iuſtè impenſa; nec facta iure patrimonialia, nec quæſita alteri, irreuocabiliter.* Sic ille : & Azor *tom.2. lib.8. cap.1. quæſ.2.* breuius, & clariùs ſic definit: *Spolia Clericorum ſunt bona à Clericis quibuſcumque etiam Religioſis ratione, & iure Eccleſiæ acquiſita, vel ex negotiatione contra canones comparata, & poſt obitum relicta.* Ex ſua definitione colligit Nauarrus aliqua corollaria : quorum vnum præcipuum eſt hoc, quod ſcilicet illa, quæ Beneficiarius donauit in vita iuſtè ad opera pia,

pia, non est spolium, quia non manet post mortem donantis, cùm iam sit donatum iustè: spolium autem propriè dicitur illud quod est in possessione Beneficiati quando moritur. Idem colligitur ex definitione spolij tradita à Reginaldo in vltimis verbis, cùm dicit, *Spolia esse bona post Clerici mortem relicta.* Quapropter bona quæ Beneficiarius licitè dedit in vita, nec iam habet in morte, non sunt spolia, nec pertinent ad spolia. Idem tenet Bonacina *disput.* 3. *de contractibus, quæst.*22. vbi ait quod spolia Clericorum intelliguntur illa quæ moriente Beneficiario inter ipsius bona reperiuntur, non pertinentia ad ipsius hæredes. At constat quod bona ab hoc Episcopo tradita nepotibus, iam illa non habet in se, neque per mortem suam inueniuntur in bonis illius: Ergo, &c. & confirmatur adhuc ex etymologia nominis spolij: nemo enim propriè dicitur spoliari rebus quas iam habuit, & actu non habet: sed solum dicitur spoliari rebus, quas actu habet, vel possidet. Secundò probatur exemplo omnino simili. Nam Fiscus Regius, vel Pontificius, non confiscat, neque reuocat donationes, quas fecit hæreticus ante delictum, quia tunc validè illas fecit eo quod suorum bonorum tunc erat verus dominus illorum, quæ habebat dominium; sed solum reuocat, & confiscat donationes hæretici, quas fecit post delictum, quia post delictum iam amiserat dominium bonorum. Sic tenet communis opinio Iuristarum, & Theologorum citata à Sanch. *lib.*2. *Decal.cap.*22.*n.*31. eodem modo Fiscus Sum. Pontificis in materia spolij non reuocabit donationes factas à Beneficiario ante mortem in vita, quia tunc Beneficiarius habebat plenam administrationem, & dominium suorum bonorum, sed solùm reuocabit, & confiscabit donatio-

nes factas post mortem videlicet factas per testamentum, vel donatione causâ mortis. At constat quod hic Episcopus donauit nepotibus multo ante mortem, & donatione inter viuos, translato dominio ad illos. Et in terminis, quod donatio beneficiarij facta inter viuos non sit spolium, tenet Bonacina *tom.2. disput.3 de contractibus, quæst. vltima puncto 5. num.10. §. Tertia causa*, vbi assignat causam iam sup. à nobis datam, videlicet quia spolia sunt tantum illa bona quæ manent post mortem, vel tempore mortis ipsius Beneficiarij.

Tertiò probatur alio exemplo simili. Nam distributiones quotidianæ assignatæ interessentibus horis canonicis non sunt spolia vt tenet, & probat fusè Bonacina *cit.q.vlt.punct.2. §. Secundo distributiones*, vbi citat multos, & graues Doctores. Idem tenet Zerol.*2.p. praxis Episcopalis, verbo* Spolium, *num.24.* & Azor *cit. lib.8. cap.3. q.9.* & tamen pecunia data in his distributionibus quotidianis, manat, & nascitur directè ex redditibus Ecclesiasticis, seu redditibus beneficij, vt patet. Assignant ibi Doctores citati causam cur hæ distributiones quotidianæ non sunt spolia, licet nascantur ex redditibus Ecclesiasticis, quia (inquiunt) hæ distributiones sunt denarius diurnus, & dantur pro mercede ipsi beneficiario laboranti in choro; dignus est enim mercede sua. Pro quo etiam facit quod tradit Bonacina *cit. proximè loco, §. Primo spolium*, vbi dicit, quod non cadit sub spolio illud quod persona Ecclesiastica proprio labore acquisiuit exercendo officium Magistri, Cantoris, Secretarij, & similium. Applicando ergo hæc casui præsenti, constat quod pensiones, seu stipendia quæ huic Episcopo dabantur singulis annis ab Archiepiscopo, & à Tribunali sancti Officij, non erant spolia, sed stipendia annualia,

&

& ferè denarius diurnus debitus suo labori, eo quod non haberet beneficium Ecclesiasticum vnde sustentaretur, & idem magis adhuc declarat Bonacina *loco proximè cit. num.* 2. dicens quod redditus quibus Beneficiarius indiget ad congruam sustentationem, non sunt spolia, sed sunt quasi bona patrimonialia.

Ex dictis constat, quod sicut iste Episcopus non peccauit faciendo prædictam donationem nepotibus, neque talis donatio manet subiecta spolio, ita iudicandum erit de quacumque alia donatione, quam faciet in futurum si fuerit donatio inter viuos abdicato statim à se dominio rei donatæ, in illa nec peccabit, nec res donata pertinebit ad spolium ob rationes suprapositas.

Responsio ad tertium quæsitum.

Ad tertium quæsitum dico imprimis, quod libri illi quos habebat iste Episcopus acquisitos in Religione antequam eligeretur ad episcopatum, pertinent ad suam Religionem. Tenebatur enim vbi primum electus fuit dictos libros tradere Religioni, vt constat ex *compendio Mendicantium*, §. *Bona.* In quo Alexander IV. in virtute sanctæ obedientiæ præcipit fratribus Minoribus, qui promoti fuerint ad Episcopatum, vel similem dignitatem, vt libros, & bona antea habita, tradant Prælatis Ordinis. Hic autem Episcopus erat assumptus ex Ordine Minorum. Et Clemens IV. idem præcipit Religiosis B. Patris Dominici, vt refert Rodrig. *tom.* 2. *qq.* *q.*48. *art.* 6. Imò de omnibus Religiosis hoc intelligitur. Si enim iuxta illud commune dictum, quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterium; libri acquisiti à Monacho

cho in Monasterio erunt ipsius Monasterij, nec poterit secum illos deferre ad Episcopatum. Episcopus verò de quo loquimur, quando fuit promotus ad Episcopatum petiis licentiam à Prælatis Ordinis vt sibi in vita concederent solum vsum librorum, quos in Religione acquisiuerat: & ita illos eidem concessit Religio: ac proinde post mortem debent ad Religionem redire, cùm non sint bona huius Episcopi, sed Religionis, & proinde non sunt spolium. Si verò quis prætendat hos libros pertinere ad spolium, quia Gregor. XIII. in sua Bulla, quæ incipit, *Officij nostri*, declarauit, & præcepit, quod omnia bona Religiosi morientis extra Ordinem pertinerent ad spolium Cameræ Apostolicæ. Respondetur ibi Papam solum loqui de bonis quæ Religiosus acquisiuit extra Ordinem, vt patet ex verbis Bullæ, ibi: *Extra claustra Monasteriorum acquisita*. At verò libri acquisiti sunt intra claustra Monasterij. Ergo,&c. Secundò respondetur ibi Papam loqui de Religiosis ordinariis, qui non sunt liberi ab obedientia Prælatorum, & tenentur ad obseruantias regulæ: hi enim solùm de ordinario intelliguntur nomine Religiosorum. Non verò ibi loquitur Papa de Episcopis qui fuerunt Religiosi, hi enim communiter non appellantur Religiosi simpliciter: videatur Nauarrus *in consilio 15. titulo de regularibus primæ impressionis per totum titulum.*

Tota dubitatio est de libris quos iste Episcopus emit, seu acquisiuit in Episcopatu. Ad quod respondeo, quod si de his libris non disposuit in vita per donationem inter viuos, tales libri pertinent ad spólium, vt patet ex supradictis. Si verò illos in vita donauit Religioni donatione inter viuos, pertinent ad Religionem, vt satis probatum fuit in præcedentibus.

bus. Potuit autem validè libros acquisitos in Episcopatu donare Religioni donatione inter viuos, reseruato sibi vsufructu talium librorum, & transferendo statim dominium librorum in Religionem. Potest enim quis validè donare rem aliquam Petro translato statim dominio rei donatæ in Petrum, sed reseruato sibi in vita vsufructu talis rei, vt expresè habetur in *lib.4. Ordin. istius Regni, tit.37. §.2.* & sic etiam tradit Farinacius & Vasquez citato loco.

Adhuc potest dubitari, si quando iste Episcopus fuit electus petiuit à Religione licentiam retinendi apud se libros acquisitos in Ordine, & Prælati id concesserunt sub conditione, quod libros, quos postea adquireret in Episcopatu relinqueret Religioni post mortem. Quæris (inquam) an in tali casu libri, quos acquisiuit in Episcopatu pertineant ad Religionem? Credo quod si Episcopus consensit, & ita promisit, prædicti libri pòst acquisiti etiam pertinent ad Religionem. Probatur hoc ex dictis à Farinacio loco suprà citato, vbi dicit Episcopum (de quo ibi loquitur) qui donauit domos neptibus fuisse obligatum facere talem donationem, quia neptibus antè promiserat se illis donaturum tales domos pro dote matrimonij, & ex ista promissione poterat Episcopus conueniri, id est obligari, quia scilicet promisit donare rem cuius habebat dominium, & administrationem. Pro quo citat Farinacius capitulum *quicunque suffragio* 12. q. 2. vbi dicitur, quod si Episcopus promisit alicui aliquid pro remuneratione laboris alicuius, potest Episcopus de iure compelli ad illud soluendum. Hic autem Episcopus (de quo loquimur) si promisit Religioni se illi donaturum etiam libros acquirendos in Episcopatu, clarum est quod id promisit

ſit propter remunerationem boni operis in illum collati à Religione illi concedente vſum librorum, quos in Religione acquiſiuit: & proinde poterit ad hoc obligari quod habet maiorem locum in hoc Epiſcopo titulari, quàm in Epiſcopo de quo loquitur Farinacius. Ille enim cùm eſſet Epiſcopus ordinarius habebat redditus Eccleſiaſticos, ex quibus emit domos. Noſter verò hic Epiſcopus non emit libros ex redditibus Eccleſiaſticis, quia illos non habebat, & præterea illos libros, quos emit in Epiſcopatu poterat donare in vita donatione inter viuos, cùm illorum haberet dominium, & adminiſtrationem ſicut manet probatum in præcedentibus. Sub cenſura Eccleſiæ, & Doctorum.

CASVS XCV.

De profeſſione cuiuſdam Monialis, pro qua maior pars Conuentus non eſt ſuffragata.

IN quodam conuéntu Monialium ex mandato Prouincialis recepta ſunt ſuffragia ad profeſſionem cuiuſdam Nouitiæ. Omnes Moniales Conuentus habentes ſuffragium erant viginti tres. Prouíncialis ad hæc ſuffragia excipienda delegauit quémdam Religioſum, cui commiſit vt nomine ipſius Prouincialis poſſet dare ſuffragium in illa receptione Nouitiæ ad profeſſionem. Pro Nouitia ſuffragatæ ſunt vndecim ſuffragia, & cum vóto delegati fuerunt duodecim pro Nouitia, & contra illam ſuffragatæ ſunt duodecim Moniales.

niales. Videns Prouincialis Nouitiam solum habere dimidiam partem suffragiorum, cùm oporteret habere vltra dimidiam partem Conuentus pro se, accessit ad Conuentum, & in forma visitationis inquisiuit de moribus, & vita Nouitiæ, ex qua visitatione constitit Nouitiam nullam habuisse culpam, vel defectum, sed esse aptam, & habilem ad profitendum, & ex praua affectione, vel quasi coniuratione illi fuisse suffragia denegata: & aliquæ Moniales ex illis quæ pro Nouitia non sunt suffragatæ, iurarunt Nouitiam non habere defectus. Quo viso, Prouincialis iussit vt admitteretur ad professionem, non obstante quod pro illa non suffragata fuerit maior pars Conuentus: & non obstante quod in tali Religione sit statutum, quod Nouitius, pro quo maior pars Conuentus non fuerit suffragata, statim à Conuentu eiiciatur. Ab hoc mandato Prouincialis, & à professione sic facta appellauit ad Papam Abbatissa illius Conuentus, quam appellationem delegatus Prouincialis, qui Nouitiam ad professionem recepit, non admisit, eâque appellatione non obstante ad professionem admisit. His positis, quæruntur sequentia.

Quæritur primò, an Prouincialis posset ferre suffragium in professione istius Nouitiæ, & ex consequenti, an potuerit committere illi Religioso, vt pro se daret suffragium ad illam professionem?

Secundò quæritur, an valida fuerit talis professio, non obstante quod pro Nouitia suffragata sit solùm media pars Conuentus: & non obstante citato statuto Religionis iubente talem Nouitiam statim expelli.

Quæritur tertiò, an teneretur Prouincialis acceptare appellationem Abbatissæ factam ad Papam nominatim, nominando D. Papam Vrbanum VIII.

Ad

Ad primum quæsitum.

Quod attinet ad primum quæsitum, videtur quod Prouincialis non possit ferre suffragium pro Nouitiæ professione. Sic videtur sentire Nauarrus *consil. 62. de regular. primæ impressionis*, vbi dicit quod Generalis certæ Religionis non potuit facere Monachum quemdam Nouitium, pro quo suffragata fuit sola media pars Conuentus, & altera media pars suffragia denegauit, & citat ad hoc Panormitanum dicentem non posse Generalem creare Monachum absque consensu Conuentus, id est absque consensu maioris partis Conuentus. Ad cuius probationem aliqui hanc rationem adducunt: nam Ecclesia præcepit vt Nouitij vno anno integro maneant in Nouitiatu. Huius verò mandati finis, & ratio est, vt Religiosi in illo anno possint experiri an Nouitius habeat partes, & conditiones ad statum Religiosum conuenientes: & præterea vt Nouitius in illo anno possit experiri leges, mores, & conditiones status religiosi an sibi conueniant, & possit cum illis in tota vita sua conformari. At Prouincialis qui discurrit per Prouinciam, & paruo tempore moratur in Conuentu vbi est Nouitius, non potest experimentum perfectum sumere de vita Nouitij, nec proinde pro illo sufficienter suffragari; & ex consequenti non poterit committere alicui Religioso vt in persona ipsius Prouincialis pro Nouitij professione ferat suffragium.

Hoc non obstante, dico posse Prouincialem validè dare suffragium pro Nouitij, vel Nouitiæ professione. Hanc conclusionem probaui iam sufficienter meo primo tomo *Responsionum Moralium 1. p. casu* 11. *num. 2. & seqq. & tom. 2. Dub. Regular. verbo Nouitiæ:* & ex ibi

ibi dictis adducam breuiter rationes pro isto casu probando,qui est omnino idem. Probatur ergo quod Prouincialis possit dare suffragium pro Nouitiæ professione, primò, quia si quælibet Monialis dat suffragium pro Nouitia, quia quælibet Monialis est pars illius Conuentus;à fortiori poterit Prouincialis idem ferre suffragium, quia non solùm est pars illius Conuentus, sed etiam caput ipsius, quæ est pars præcipua. Secundò probatur, quia Prouincialis recipit Nouitiam ad habitum & Nouitiatum, quod est maius, & recipit Abbatissam ad officium Abbatissæ, dando suffragium pro illius electione, quod est maius: ergo poterit dare suffragium pro Nouitiæ professione,quod est minus: valet consequentia ex illa reg.iuris *in 6. de reg. iuris*, quæ dicit: *Cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus.* Vbi glossa ponit exempla ad hoc conducentia. Quæ regula habet maiorem locum quando istud minus,& plus sunt connexa, & illud minus ordinatur ad illud maius, vel est pendens ab illo maiori: sicut receptio ad Nouitiatum est ordinata ad professionem, & professio est quid dependens à receptione ad habitum: ergo Prouincialis potens maius,quod est recipere ad habitum, poterit etiam dando suffragium recipere Nouitiam ad professionem, quod est minus. Declaratur hæc regula ex eò quod tradit glossa *in cap.* Visis 16. *q.* 2. vbi citat vnum textum dicentem, quod si Episcopus gubernat animas,quod est plus,etiam gubernabit pecuniam Ecclesiæ, quod est minus. Et confirmatur adhuc, quia vt praxis obseruat, Prouincialis aliquando in suis manibus dat professionem Nouitiæ, nec profitetur Nouitia in manibus Abbatissæ, sed in manibus Prouincialis: ergo poterit Prouincialis dare suffragium ad istam professionem, quam per se ipsum

admittit,quod est quid minus, & ordinatum ad ipsam professionem. Facit ad hoc etiam textus *in cap.*per venerabilem, *qui filij sint legitimi*, vbi Papa sic ait: *Quod in maiori conceditur,licitum esse videtur & in minori.*Quo nihil clarius dici potuit ad intentum, & glossa ibidem in verbo *Minori*; citat aliquos textus ad intentum.

Ex his sequitur clara responsio,& probatio secundi dicti in hoc primo quæsito, potuisse videlicet Prouincialem committere illi Religioso,vt in receptione suffragiorum ad istam professionem daret suffragium in persona ipsius Prouincialis: probatur,inquam,quia id quod quis potest facere de potentia, seu iurisdictione ordinaria, benè potest alteri committere, seu delegare: vt habetur expresse *in cap.* Cum Episcopus,*de offic. ordinarij in 6.* & latè probat Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. disp.*31. *num.*1. ergo cùm probatum maneat posse Prouincialem potestate ordinariâ dare suffragium pro Nouitiæ professione, benè poterit delegare hanc potestatem alicui subdito, vt pro se suffragium ferat in eadem professione Nouitiæ. Probatur hoc ipsum clarè ex cap. *Quia propter*, *de elect.* vbi expresse dicitur quod canonicus absens, & non potens venire ad electionem Episcopi, potest absens committere vni de collegio vt pro se ferat suffragium in illa electione. Verba textus sunt hæc: *Et tunc si voluerit, vni committat de ipso collegio vicem suam.* Ecce quomodo potest quis committere alicui vt pro se suffragium ferat in electione Episcopi: quantò magis in electione, seu professione Nouitiæ. Confirmatur hoc ex praxi Religionis Franciscanæ, in qua contigit casus iste,nam licet per statuta generalia istius Ordinis,Commissarius ad celebrandum capitulum, in aliqua Prouincia, non possit in diffinitorio dare suffragiũ in electione Guardianorum,

dianorum, attento solo officio Commissarij, potest tamen Prælatus generalis illum mittens ad celebrandum illud capitulum committere eidem vt pro se det suffragium in electione Guardianorum, & in omnibus aliis electionibus: vt probaui *in 2.tom.Dub.Regul. verbo* Commissarius Prouinciæ, *num.* 2. ex statuto generali Salmanticensi.

Ad argumenta contra hanc conclusionem posita, quod attinet ad dictum Nauarri, dico quod Nauarrus *cit. loco* non dicit, quod Generalis non possit dare suffragium pro Nouitio: sed solum dicit quod Generalis de potentia absoluta non possit facere Monachum sine maiori parte Conuentus, cuius suffragia tenetur audire. Nam iuxta Panorm. *cit.* creare Monachum pertinet ad Conuentum & Prælatum simul per suffragia: solùm ergo vult Nauar.quod Generalis per se solum absque suffragiis Conuentus non potest facere Monachum: quod non tollit quin possit Generalis dare suum suffragium pro Nouitij professione, sicut vnus Religiosus eiusdem Conuentus, cuius Generalis est caput, vt ostendimus in præcedentibus. Ad aliud argumentum in oppositum dico, verum esse quod annus Nouitiatus datur ad sumendam experientiam de moribus, & vita Nouitij, sed dico quod Prouincialis poterit sufficienter experiri mores,& conditiones Nouitij, quamuis in Conuentu Nouitij non resideat de ordinario. Nam potest Prouincialis sumere informationem de moribus Nouitij à Religiosis fide dignis eiusdem Conuentus, & hæc informatio satis sufficiet vt Prouincialis det suffragium Nouitio. Hoc declaro, & confirmo tribus exemplis seqq. In capitulo generali Minorum, v. g. Romæ celebrato, Religiosus Lusitanus in electione Generalis dat suffragium Patri

 Italo,

Italo, vel Gallo, quem nunquam vidit, neque mores illius expertus est per conuersationem, sed ex sola bona informatione aliorum capitularium. Si ergo hæc sola informatio sufficit ad dandum suffragium in electione Generalis Ordinis, sufficiet etiam sola bona informatio ad dandum suffragium pro Nouitij professione.

Secundum exemplum sit. Recipiuntur hodie suffragia, pro Nouitij professione in hoc Conuentu; quidam Religiosus quatuor tantum abhinc diebus est assignatus in hoc Conuentu vt habitaret. Iste absque dubio feret suffragium in ista receptione cùm sit habitator Conuentus, & tamen per quatuor tantum dies non potuit ad oculum experiri mores Nouitij, sed solum per informationé aliorum Religiosorum: quam etiam informationem habuit Prouincialis de Nouitia nostri casus. Tertium exemplum adhuc est efficacius, & est tale. Sanchez *lib. 5. Decalogi cap. 4.* citans multos, & graues Doctores, quorum vnus est Nauar. *in consil. 42. de Regular.* dicit fuisse validam professionem cuiusdam Nouitij, qui solum per vnum mensem, & dimidium mensis stetit intra claustra Monasterij, & totum reliquum tempus Nouitiatus mansit extra Monasterium occupatus in quodam negotio, ad quod peragendum Prælatus illum misit cum habitu Nouitij, quo negotio finito reuersus est ad Conuentum, & fecit validam professionem. In quo casu Religiosi Conuentus paruam experientiam sumere poterant de moribus Nouitij tanto tempore absentis à conuentu: nisi per solam bonam informationem.

Responsio ad secundum quæsitum.

Quod attinet ad secundum quæsitum videtur quod ista

ista professio fuerit nulla. Primò, quia statutum generale istius Ordinis decernit vt si pro Nouitio non fuerit suffragata maior pars Conuentus, statim expellatur ab Ordine absque vllo recursu. At pro ista Nouitia non est suffragata maior pars Conuentus, sed solum dimidia, idque admisso, & computato suffragio Religiosi delegati, qui nomine Prouincialis dedit suffragium Nouitiæ. Secundò probatur ex praxi omnium Religionum, & ex communi Doctorum opinione dicentium, quod vt Nouitius possit validam professionem emittere, requiritur, vt pro illo suffragetur maior pars Conuentus: vbi enim maior pars alicuius communitatis non consentit, non dicitur consentire tota communitas, vt patet in electionibus. Hos Doctores citat, & sequitur Sanchez *lib. 5. Decal. cap. 4. num. 65.* & citat 16. graues Doctores, qui pro suo dicto afferunt rationes, quas apud Sanchez videre licebit.

Hoc non obstante dico, quod ista professio fuit valida, non obstante quod pro nouitia non sit suffragata maior pars conuentus; imò etiam esset valida si pro illa suffragata fuisset pars conuentus cum vno, vel duobus suffragiis infra dimidium. Fundamentum principale istius conclusionis est, quoniam huic Nouitiæ denegata sunt suffragia iniustè, & manifestè: constitit enim per visitationem iuridicam conuentus, & per iuramentum Monialium, quod Nouitia non habebat culpas, nec defectus, ob quos possint illi suffragia denegari idque iurarunt etiam aliquæ, quæ suffragium non illi dederunt. Quo posito, & constito quod Nouitia esset benemerita, clarè constat quod iniustè illi sunt denegata suffragia. Quando verò Nouitio iniustè denegantur suffragia, potest, imò tenetur

prælatus talem Nouitium admittere ad professionem. Hoc sentit clarè Rodrig. *tom.3. qq.q.17.art.7. in fine*, & Villalob.*2.p.tract.33. diffic.20. num.4. in fine*, & Hieronymus Rodrig.*in suo tomo Resolutionum, resol.*101. concordat & Turrecrem. apud Sanch. *lib. & cap. sup. cit. num.65. prope finem.*

Ratio principalis horum Doctorum est, quia Religiosi suffragantes pro Nouitij professione obligantur ex iustitia illi dare suffragium, si culpas, & defectus non habuerit, & proinde peccant mortaliter si iniustè illi negent suffragium, & ex consequenti obligatur conuentus tali Nouitio benemerito dare professionem iniustè negatam. Hoc sentit Suar. *tom.3. de Relig. lib.4. de voto, cap.4. num.7.* vbi dicit, quod Religiosus negans suffragium Nouitio iniustè, peccat mortaliter, & contra iustitiam, & contra charitatem, ob rationes, quas ibi assignat; & quod talis Religiosus peccet contra iustitiam probatur. Nam Nouitius per ingressum Religionis facit quasi virtualem contractum cum Religione, & Religio cum illo, per quem contractum Religio se obligat Nouitio ad illi dandam professionem, si benemeritus inueniatur. Et sic Nouitius ratione huius virtualis contractus acquirit ius ad professionem, si bene procedit: sicut ait Suar. *eodem tomo 3. lib.5. cap.10. num.9.* Idem tenet Corduba super Regulam Minorum *cap.2. q.2. & 11.* & Miranda *tom.2. q.25. art.7.* Peccante igitur Religioso contra iustitiam negando suffragium Nouitio iniustè, & cùm Religio quasi ex iustitia teneatur Nouitio benemerito dare professionem, constat quod peccatum contra iustitiam inducit obligationem restituendi: & proinde Prælatus istius conuentus, de quo est quæstio, ex obligatione iustitiæ tenebitur dare professionem isti

Nouitiæ,

Nouitiæ, contra iustitiam illi denegatam. Et confirmatur, seu declaratur exemplo. Nam qui habet ius ad rem, verbi gratia, ad beneficium, vel ad legatum sibi relictum, potest de iustitia illud in iudicio exigere. Cùm ergo ista Nouitia non haberet culpas, nec defectus, acquisiuit ius ad professionem, & Religio tenetur eam illi dare. Nolente igitur conuentu illàm ad professionem admittere; Prouincialis tenebitur ferè per viam restitutionis illam admittere. Quod sic declaro: Scit Prælatus quando subditus suus debet aliquid de iustitia, quod est obnoxium restitutioni, & subditus non vult restituere, potest, imò debet Prælatus obligare subditum vt restituat, eôque nolente, rem illam ab eo auferre, & dare creditori. Cùm ergo iste conuentus teneretur quasi de iustitia Nouitiæ benemeritæ professionem dare, & nihilominus illam denegauit, poterit Prouincialis illam dare quasi per viam restitutionis. Sic in substantia tradit Bonacina *tom.2.disp.3.de contràct.q.1.puncto* 1.*num.*16.§.*Secundò à legitimo*, citans Medinam, Sà, & Sanch.

2 Principaliter probatur prædicta conclusio: nam ille qui cum fraude, vel malitia, fuit causa ne aliquis intraret Religionem, vel fuit causa vt Nouitius à Religione exiret, tenetur restituere damnum, si fortè aliquod Religio ea de causa incurrit: & hoc debet restitui ad arbitrium boni viri, iuxta Bonacinam *tom.2. disput.2. de restit.quæst.1.proposit.2.num.*4. qui citat Molinam, Sayrum, Vasquez, Aragonem, & alios. At iste conuentus ex malitia voluit expellere hanc Nouitiam, imo quantum fuit in se illam expulit: ergo est obligatus illi facere restitutionem possibilem: & in defectum conuentus potest Prouincialis illam facere. Pro quo adhuc facit, quod illa est mulier, cuius fama

magis læditur in expulsione ab Ordine, quam fama Nouitij, ab Ordine expulsi. Rarissimè enim Nouitia expellitur à Nouitiatu, sicut sæpius eiiciuntur Nouitij masculi. Vltimò facit adhuc pro valore huius professionis, quod multi, & graues Doctores dicunt, Prælatum pro Nouitij professione, teneri recipere, & audire suffragia conuentus, sed non teneri sequi suffragia: quinimo si conuentus neget suffragia Nouitio, hoc non obstante posse Prælatum dictum Nouitium ad professionem admittere. Hos multos, & graues Doctores citat Sanch. *lib.* 5. *Decalogi*, *cap.*4.*num.*64. & præter illos idem tenet Vega Minimus *in summa verbo* Nouitius, *casu* 4. *col.* 587. dicens absolutè quod professio facta per Prælatum sine suffragiis conuentus est valida. Idem tenet Miranda super regulam Minorum cap.47. §. *Cerca desto.* Et quamuis opinio contraria sit probabilior, & securior: hæc tamen ob multitudinem Doctorum non caret probabilitate. Et proinde Prouincialis qui illam sequeretur non esset condemnandus, maximè quando sciret, ac videret conuentum suffragia negasse absque vlla causa,& ex praua affectione erga Nouitium, vt contigit in isto casu.

Ad primum argumentum in oppositum adductum, dicendum est, statutum illud decernens eiiciendum statim esse Nouitium, pro quo maior pars conuentus non fuit suffragata, intelligendum esse quando conuentus iustè ob culpas suffragia negauit. Secus si iniustè sine culpis negauit, tunc enim non eiiciendus, sed retinendus erit propter causas efficaces à nobis suprà adductas, cùm in tali casu teneatur Religio quasi ex iustitia illum ad professionem admittere, vt dicunt multi Doctores pro hoc in præcedentibus citati. Addi potest pro ista solutione, quod constitit ex visitatio-

ne

ne conuentus facta per Prouincialem, quod pro Nouitia suffragatæ sunt Moniales, quæ erant melioris vitæ, & magis obseruantes: & proinde erant pars sanior conuentus, quam erant illæ quæ suffragia negarunt. Et constat quod in electionibus habetur respectus ad partem saniorem suffragantium, adeò vt aliquando standum sit paucioribus suffragantibus, si sint saniores, & melioris zeli, quàm sit standum pluribus suffragantibus si sint minoris zeli, & Religionis, vt habetur clarè in capite *Ecclesia vestra*, & in capite *In Genesi*, vbi glossa in verbo *Ad zelum*, ponit hæc verba: *Non semper standum est numero suffragiorum, sed illa pars maior, & sanior censetur, quæ est iustior, & maiori nititur æquitate.*

Eodem modo respondendum est ad secundum argumentum fundatum in praxi, & communi opinione, videlicet quod praxis, & communis opinio de non admittendo Nouitio ad professionem, si non habuerit maiorem partem suffragiorum conuentus, est intelligenda, dummodo suffragia iustè sint illi negata ob culpas. Et quod statutum illud Ordinis citatum de expellendo Nouitio, pro quo maior pars conuentus non sit suffragata, sic debeat intelligi, declaro hoc exemplo. Nam in alio statuto Ordinis decernitur, vt Religiosus, qui alium vulnerauerit, pœna carceris, & aliis grauissimis puniatur. Demus ergo quod aliquis Religiosus alium vulnerauit, vel occidit, iustè tamen, & in veram sui defensionem seruato moderamine inculpatæ tutelæ; nunquid iste occidens punietur illa pœna? Non profectò, quia occidit iustè. Eodem modo in nostro casu attendendum est, an fuerint huic Nouitiæ suffragia iustè denegata, an iniustè? Et constito quod negata sint in-

iustè, non habet locum citatum statutum Religionis.

Et propter has, & alias causas, sic fuit iudicatum in tribunali Illustrissimi domini Collectoris, fuisse scilicet validam prædictam professionem. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

Responsio ad tertium quæsitum.

Ad tertium quæsitum, videtur quod Abbatissa licitè, ac validè appellauerit à tali professione, & quod illius appellatio debuit admitti: & ideo illâ appellante antequam professio fieret, subsequens professio fuerit nulla, iuxta id quod dicitur in iure, videlicet quod facta pendente appellatione, sunt nulla, vt *in cap.* Dilectis filiis, *de appellat.* Quod verò Abbatissa potuerit appellare à professione futura, si fieret: probatur, quia quilibet potest appellare pro bono communi, vel de illo quod iudicat sibi esse nociuum, vt patet *ex cap.* Super eo, *de off. & potest. iudicis delegati.* Abbatissa verò iudicabat illam professionem nociuam esse suo conuentui, cuius bonum commune tenebatur procurare. Item quilibet de capitulo potest appellare ab electione, si illicitè fiat: & hoc maximè locum habet quando appellatur ad Papam, ad quem quilibet potest prouocare omisso medio, seu Prælato inferiori, vt patet ex tribus capitibus iuris canonici citatis à Miranda in lib. Ordinis iudiciarij, *q.* 30. *art.* 10. Abbatissa verò appellauit ad Papam immediatè, & nominatim.

Hoc non obstante, dico talem appellationem locum non habuisse, & illa non obstante professionem validam fuisse. Probo imprimis, quia appellatio fuit

friuola.

friuola. Est autem appellatio friuola illa quæ ponitur sine causa legitima: vt quando quis appellat non grauatus iniustè. Neque verò Abbatissa, nec Moniales grauabantur iniustè per professionem istius Nouitiæ, cùm illa esset benemerita. Imò ipsa Abbatissa, cum Monialibus suffragia negantibus, Nouitiam grauarunt iniustè, vt patet ex supradictis. Videatur Rodrig. *tomo* 1. *qq. q.*8. *art.*13. Iam verò appellatio friuola reiici debet; imò punitur in iure *cap.* Pastoralis, *de appell.*& cap. *cum appellationibus*, de appel. in 6. Secundò, hæc appellatio locum non habuit, quia Abbatissa appellauit à Guardiano, qui de mandato D. Collectoris Nouitiam ad professionem recepit: & sic dictus Guardianus dans professionem de mandato D. Collectoris, fuit merus executor: & à mero executore non licet appellare. *cap.* Nouit. *de appellat.* cum gloss. ibidem, verbo *Debuissent.* Tertiò, quia in rebus notoriis non admittitur appellatio, vt patet *ex cap.* proposuit, *de appellat.* & ex multis Doctoribus, quos citat Camillus Borellus *tom.*2. *suarum decisionum*, *tit.*33. *num.*173. *& seqq.* At constat ex processu facto in ista causa fuisse notorium in conuentu hanc Nouitiam caruisse culpa, & contra illam aliquas Moniales maleuolè insurrexisse, & ferè coniurasse, de quo fuerunt indicia vehementia.

Hinc patet responsio ad tres obiectiones in contrarium, quæ videbantur probare, potuisse Abbatissam appellare; & quod quando appellatur ad Papam, non possit appellatio impediri. Hæc enim omnia intelliguntur quando appellatio est iusta, & non friuola: & appellans est verè grauatus: quæ omnia huic appellationi defuerunt, vt dictum est in præcedentibus. Præterea, id quod dicitur, appellatione pendente nihil

esse

esse innouandum, intelligitur de appellatione iusta & acceptata: non verò de appellatione iniusta, & reiecta, qualis ista fuit: & præterea intelligitur nisi appellatio fiat de notoriis: hæc enim omnia etiam habent locum in appellatione facta ad Papam.

Et adhuc ex superabundantia dico, professionem hanc non posse annullari, dato quod foret dubia (qualis non est) hoc probo argumento adducto à Patre Sanchez *lib.2. de Matrim. disput.35. num.19.* vbi dicit, quod stante dubio an matrimonium validum sit, enitendum est vt actus valeat & non pereat: ad quod citat duos textus iuris ciuilis & iudicandum esse in fauorem matrimonij. Cuius ratio esse potest, quia dissoluendo tale matrimonium dubium, potest dari periculum dissoluendi matrimonium aliàs validum. Eodem modo, dato quod ista professio esset dubia, (qualis non est) cùm professio sit quasi matrimonium spiritale, non est dissoluenda, sed curandum est, vt actus valeat in fauorem professionis, ne detur periculum dissoluendi professionem validam. Maximè cum iuxta Zerolam 1.*parte prax.Episc.verbo,Professio* 38. si professio fiat non seruata regula Religionis, ligat saltem in foro conscientiæ: pro quo citat Doctores. Sub censura Ecclesiæ & Doctorum.

CASVS XCVI.

De sponsalibus quibusdam, & matrimonio.

QVidam iurauit cuidam mulieri virgini se illam ducturum in vxorem, & sub hac spe, & promissione illam deflorauit, indéque prægnans mansit, & postea

postea coram quinque testibus illa sponsalia ratificauit. Hoc non obstante, postmodum contraxit sponsalia cum alia: & furtim impetrauit licentiam à Vicario generali, vt cum ista secunda contraheret matrimonium, omissis denunciationibus: & de facto contraxit. Sed ad hoc vocauit quemdam Sacerdotem non Parochum, neque cum licentia Parochi: & sic coram illo celebrauit matrimonium extra Ecclesiam Parochialem, in quadam parua Ecclesia.

Quæritur an prima fœmina habeat ius ad illum reposcendum in maritum:an verò debeat manere cum secunda, cum qua de facto contraxit?

Et quod debeat manere cum secunda, videtur primò, quia cùm celebrauerit matrimonium cum secunda, vinculum matrimonij est vinculum sacramenti, quod est fortius quàm vinculum iuramenti facti fœminæ priori: ac proinde vinculum sacramenti cum secunda debet præualere. Confirmatur, seu declaratur, qnia Papa cum causa dispensat in vinculo iuramenti, non tamen dispensat in vinculo matrimonij consummati. Secundò probatur, quia res tradita vni per contractum indissolubilem, non potest amplius tradi alteri, cui solùm promissa est: verbi gratia, promisit Petrus Ioanni dare gladium quemdam: postea eundem gladium vendidit Francisco: non tenetur postea dare gladium Ioanni, cui gladium solum promisit. Sic in isto casu. Promisit iste primæ mulieri matrimonium, postea matrimonium contraxit cum secunda: non poterit matrimonium iam contrahere cum priore. Tertiò, quia matrimonium subsequens dissoluit sponsalia præcedentia facta cum alia, vt praxis obseruat.

Hoc non obstante, dico hunc esse obligandum contrahere

trahere cum prima, relicta secunda. Ratio est, quia matrimonium cum secunda fuit omnino nullum, vt statim probabo: ergo non potuit annullare sponsalia præcedentia, iuxta regulam iuris *in 6.* dicentem: *Non præstat impedimentum quod de iure non sortitur effectum.* Et per illud commune dictum, *Quod nullum est, nihil potest operari.* Quod autem matrimonium cum secunda fuerit nullum, constat clarè, quia fuit celebratum sine Parocho, & sine licentia Parochi. Concilium verò Tridentinum *sessione* 24. *cap.*1. *de reformatione,* definit esse nullum matrimonium celebratum sine Parocho, vel sine alio Clerico de licentia Parochi. Quod verò matrimonium subsequens, si sit nullum, non dissoluit sponsalia præcedentia, tenet, ac probat Sanchez *lib.*1.*de Matrimon. disput.*48. *num.*1. citans octo Doctores grauissimos. & idem tenet Bonacina *tomo* 1. *tit.de sponsal.q.*1. *puncto* 7. *num.*1. citans alios. Vide glossam supra citatam de regul. iuris, vbi ponit alia exempla.

Maior dubitatio esse posset, quando hic homo, de quo loquimur, habitâ licentiâ ad contrahendum cum secunda, omissis denunciationibus contraheret verè cum secunda non obstante iuramento facto primæ, eiúsque defloratione? Ad quod respondendum est debuisse contrahere cum secunda: quia tunc matrimonium foret validum: & vinculum matrimonij est maius, quàm vinculum iuramenti facti priori fœminæ. Et hoc solum probant argumenta in principio in oppositum adducta. Neque obstaret tunc iuramentum factum priori fœminæ, illiúsque defloratio, quia hæc duo sunt impedimentum solum impediens, & non dirimens, & proinde non annullarent subsequens matrimonium ritè celebratum. Hinc patet solutio

lutio argumentorum positorum in principio.

Ad primum dico quod in matrimonio facto cum secunda, non fuit vinculum sacramenti. Cùm enim non fuerit validum matrimonium, non potuit esse sacramentum: & proinde tunc debebatur matrimonium primæ in conscientia, ac de iustitia, propter promissionem iuratam, & propter deflorationem. Ad secundum concessâ maiore, neganda est minor, ac dicendum, quod iste non tradidit se fœminæ secundæ, quia cum illa non contraxit verùm matrimonium. Traditio enim corporum inter coniuges non fit nisi per verum matrimonium, verúmque sacramentum, quod in hoc casu non interuenit. Ad tertium dico illa capita iuris citata dicentia per subsequens matrimonium dissolui sponsalia præcedentia intelliguntur, quando matrimonium subsequens est verum, & validum. Hoc autem matrimonium, de quo agimus, non fuit validum, vt probatum est: & proinde citata capita hîc locum non habent: & sic respondet Bonacina *citat. loco.*

Quæris: an prædictus vir qui contraxit matrimonium cum secunda, sit obligandus ducere primam in vxorem, dato quod illa prima sit sibi valde inferior in nobilitate? Respondeo, quod non obstante tali inæqualitate, tenetur illam ducere propter iuramentum, & deflorationem. Sic tradit Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. disput.* 11. *num.* 2. citans alios graues Doctores. Et probat, quia sciens fœminam esse sibi inæqualem in nobilitate, & nihilominus illi promittens matrimonium cum iuramento, cedit iuri suo, seu iuri suæ nobilitatis, iuxta regulam iuris dicentem: *Scienti, & consentienti non fit iniuria.* Hoc idem tradit Molina *tomo* 2. *de iustitia tract.* 2. *disput.* 271. §. *Quod-*

dam

dam exemplum, vbi alias probationes adducit, quæ ibi poterunt videri.

CASVS XCVII.

De quadam muliere baptizante filium suum.

QVædam mulier sciens filium suum baptizatum fuisse à quodam Clerico descendente ex Iudæis vulgo *Christiano nouo*) eundem filium iterum domi baptizauit. Quæritur primò, vtrùm hæc mulier sic baptizando filium incurrerit impedimentum petendi debitum à marito propter cognationem spiritualem contractam cum marito ex baptismo filij?

Quæritur secundò, an ista mulier peccauerit in rebaptizando filium?

Responsio.

Ad primum pòtest responderi ex iis, quæ tradit Sanchez *lib.7.de Matrim.disput.62.num.6.&* 7. vbi dicit, quod ex baptismo iterato sub conditione, eo quod dubitatur de prioris baptismi validitate, postquam constiterit priorem fuisse validum, non oritur cognatio spiritualis. Sed dum id non constat, præsumit Ecclesia cognationem. Quod ait Sanchez esse intelligendum, quando est merum dubium. Si enim sint variæ opiniones de valore prioris baptismi, subdit *num.*7. quod si sint duæ opiniones, quarum altera neget valorem baptismi, altera verò affirmet, poterit quispiam tutâ conscientiâ alteram eligere, & tenendo baptismum

baptismum non fuisse validum, dicet consequenter non fuisse certam cognationem ex baptismo sic iterato. Contrarium verò dicet si illam opinionem amplectatur, quæ dicit esse validum. Et cùm vtraque opinio fuerit probabilis, poterit vtramuis tuta conscientia amplecti. Sic Sanchez *cit. loco.*

Ex doctrina huius grauissimi Doctoris constat ad hunc casum non posse resolutè responderi, siquidem pendet ex hoc, vt sciamus an Baptismus illius Clerici fuerit validus vel nullus. Si enim fuit validus, & collatus cum debita intentione, Baptismus secundus matris fuit nullus: & proinde non contraxit vllam cognationem spiritualem cum marito, sed poterit petere debitum, vt probat Sanchez *citato loco numero* 4. *&* 5. Secus dicendum si Baptismus talis Clerici fuerit nullus, eo quod collatus fuerit sine debita intentione. Et per hoc sufficienter manet responsum ad casum præsentem.

Tota dubitatio est in applicanda hac doctrina ad casum præsentem. Quod enim prior Baptismus Clerici fuerit validus, & proinde mulier secundò baptizans non contraxerit cognationem spiritualem cum marito: probatur primò, quia secundum ius naturale, ac positiuum, præsumendum est bene de proximo: & sic præsumendum est de Clerico prius baptizante, quod baptizauerit cum debita intentione. Et præterea, quia in dubio debemus inclinare in partem benignam, vt dicitur in capite *Estote*, de regulis iuris. Præterea, quia enitendum est vt actus valeat potius quàm vt pereat, vt dicitur *in cap.* Abbatissa *de sententia, & re iudicata, in 6.*

E contra verò quod Baptismus talis Clerici fuerit nullus ex defectu intentionis, & proinde Baptismus

fœminæ fuerit validus, & ex conſequenti contraxerit cognationem: probatur, quia fortiſſima præſumptio ſumitur ex conſuetis, & ex commmuniter accidentibus, vt latè & efficaciter probat Bonacina *tomo* 2. *fol.*181.§.*Quando dubitatur.* At conſtat ex multis euentis apud Tribunal ſancti Officij, quod Clerici Chriſtiani noui ſæpius inuenti ſunt baptizare ſine intentione: & hac de cauſa Clemens VIII. & Paulus V. per proprias Bullas mandarunt ne vllus Clericus Chriſtianus nouus haberet officium Parochi cum cura animarum, eo quod ſæpius inuenti ſunt non facere verum Sacramentum. Ex quibus omnibus reſultat contra tales Clericos præſumptio iuris, & de iure; & ideo cùm ſit ſatis probabile, quod prior baptiſmus iſtius Clerici fuerit nullus, baptiſmus mulieris fuit validus, & proinde contraxit cognationem ſpiritualem cum marito, & ex conſequenti nullus adinuicem poteſt petere debitum coniugale. Ecce quomodo vtraque opinio de validitate iſtius baptiſmi ſit probabilis.

Deſcendendo nunc magis ad particulare, dico quod non errabit ſequens opinionem, quod baptiſmus Clerici validus fuerit, & quod mulier inualidè baptizauerit. Probatur primò, quia opinio de validitate baptiſmi dati à Clerico, eſt opinio probabilis, vt ſuprà vidimus, quia bene præſumendum eſt de proximo, &c. Præſumptio enim de valore actus fortior eſt omnibus aliis præſumptionibus, vt probat Maſcardus citans multos, *tom.*3.*concluſ.*1225.*num.*20. Secundò probatur *ex cap.* à quodam Iudæo, *de conſecrat. diſt.* 4. vbi Papa Nicolaus dicit non eſſe iterandum baptiſmum collatum à quodam Iudæo, de quo non conſtabat, an eſſet Chriſtrianus, an paganus. Vbi

ſupponit

ſupponit Papa fuiſſe verum baptiſmum collatum à Iudæo. Et ſic idem poſſumus credere de hoc noſtro baptiſmo : & proinde iſtam mulierem poſtea baptizantem non contuliſſe verum baptiſmum,& proinde non contraxiſſe cognationem cum marito. Et dato quod opinio de nullitate baptiſmi Clerici eſſet minus probabilis,& eſſet probabilior opinio de valore baptiſmi dati à muliere, adhuc tamen teneri poteſt ſecurè prior opinio de valore baptiſmi dati à Clerico, & ex conſequenti quod mulier non incurrerit cognationem.Quia quando inſtat aliqua magna difficultas, & periculum, bene poteſt teneri opinio minus probabilis, & minus ſecura ad vitandum illud periculum : vt tenet, & probat efficaciter Sanchez *lib.2. de Matrim. diſp.36.n.80.* citans alios. At conſtat, quod ex eo quod dicamus mulierem validè baptizaſſe, & proinde contraxiſſe cognationem, ſequitur magna difficultas, & magnum periculum incontinentiæ in petendo debito : ergo tunc teneri poteſt opinio minus probabilis, quod ſcilicet illius baptiſmus fuerit nullus.

Ad vltimum quæſitum dico, probabilius eſſe quod iſta mulier non peccauit mortaliter rebaptizando filium, piè enim credi debet id feciſſe bonâ fide, & ex zelo ſalutis ſpiritualis filij, & præterea quia erat mulier ignorans legem Eccleſiæ, & denique quia non baptizauit abſolutè, ſed ſub conditione.

CASVS XCVIII.

De ieiunio Religioſorum.

IN gratiam Religioſorum reſoluam breuiter duo dubia, quibus vidi aliquando aliquos moleſtari.

?rius eſt, an ipſi teneantur ad ieiunia iniuncta per ſo-
um Epiſcopum, vel per ſolam conſuetudinem, non
rerò per totam Eccleſiam? Scio enim varias de hoc
:ſſe opiniones. Ego omiſsâ longiori diſputatione, re-
olutè dico cum Sanchez nouiſſimè *in ſuo tomo conſi-*
iorum, ſiue opuſculorum, lib. 5. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 1. Re-
igioſos ad talia ieiunia indicta per Epiſcopos, vel
per conſuetudinem ſæcularium, non obligari. Citat
Sanchez ad hoc Medinam, Ledeſmam, Anglez, An-
oninum, Sylueſt. qui dicunt, quod conſuetudo ſæcu-
arium non obligat Clericos, neque conſuetudo loci
vniuerſitatem, neque è contra, quia ſunt diuerſi ſta-
us,& diuerſis ſtatutis gubernatur. Et addit, quod ali-
quando Compluti ciues non comedunt carnes,& ſcho-
aſtici illas comedunt.

Secundum eſt, an dato quod ferè communis opi-
nio dicit ſeptuagenarios excuſari à ieiunio, niſi ali-
quis ſit robuſtæ complexionis, cui ieiunium in illa
ætate non noceat. Si aliquis ſeptuagenarius ſit ro-
buſtæ complexionis cui ieiunium non noceat, tenea-
ur nihilominus ad ieiunandum? Reſpondet San-
chez *citato dubio* 4. *num.* 7. non teneri. Aſſignat hanc
pulchram, & claram rationem. Nam Eccleſia non
obligat ad ieiunium ante vigeſimum primum an-
num, quia ante illum pueri non habent vires, & ro-
bur ad ſupportandum ieiunium: & tamen ſi ante an-
num vigeſimum primum ſit aliquis iuuenis robuſtæ
complexionis, cui ieiunium non noceat; nemo illum
ad ieiunium dicit obligari. Ergo ſimiliter, ſi de-
ur ſeptuagenarius qui ſit robuſtæ complexionis, &
cui poſt annum ſeptuageſimum ieiunium non no-
ceat, ad ieiunium non erit obligandus. Sic San-
chez citans Anglez *in floribus prima parte mat. de ieiu-*
nio,

*nio, quaest.6. dubio 6. fol.*401. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS XCIX.

De quadam dote promissa à patre Iudæo pro filia ingressa monasterium.

QVidam homo Iudæus habebat filiam, quam fecit recipi in monasterio Monialium. Pro dote promisit monasterio (inter alia) vnum modium magnum tritici perpetuum, quem non statim tradidit monasterio: sed singulis annis certam pecuniæ summam dabat conuentui, donec traderet conuentui possessionem quietam illius magni modij tritici. Et antequam illud traderet, filia professionem emisit. Post paucos annos iste comprehensus est à DD. Inquisitoribus, & carceribus sancti officij mancipatus. Deinde in actu publico fidei per sententiam declaratus fuit hæreticus: & proinde omnia bona illius fisco Regio adiudicata.

Quæsitum fuit, an confiscatis bonis illius, monasterium debeat amittere dotem promissam pro filia: an verò teneatur fiscus de bonis illis soluere monasterio dotem promissam pro filia?

Responsio.

Pro responsione suppono quod iste pater fecit contractum onerosum cum monasterio, vt patet. Promisit enim monasterio illos redditus tritici cum onere vt aleret filiam professam. Cúmque iam monasterium

CCc 3 fecerit,

fecerit, quod promisit, admittens filiam ad professionem, sequitur quod pater est debitor, & monasterium est creditor. Creditor enim iuxta Calepinum, est ille cui aliquid ex quacunque causa debetur : & huic conuentui debentur illi redditus tritici promissi per contractum onerosum.

Secundò suppono vt certissimum ex iure vtroque, & Doctoribus, quod hæreticus à die commissi criminis amittit omnia bona mobilia, & immobilia applicanda fisco : & quod quando per sententiam declaratur hæreticus, illiúsque bona declarantur confiscata, talis sententia retrotrahitur, illúmque priuat omnibus bonis à die commissi criminis. Pro quo sufficiat videre Sanchez, *tomo* 1. *Decalogi lib.*2. *toto cap.* 23. & Iulium Clarum *in praxi crimin.q.*78.Quo supposito,

Sit prima conclusio.

Si quando pater cùm fecit istum contractum cum Monasterio, nondum commiserat crimen hæresis,non potest Fiscus accipere pretium illius modij tritici promissi : imò tenetur illud soluere conuentui, quia est debitum contractum ante delictum. Hæc est communis opinio Doctorum, maximè Iulij Clari *cit. q.* 78. *num.*16. vbi citat multos, dicens esse communem opinionem. Idem tenet Bonacina *tom.* 2. *tit. de contract. disput.* 3. *q.* 8. *puncto vlt.* §. 4. vbi dicunt teneri Fiscum soluere debita contracta ab hæretico ante delictum. Cuius causa est, quia reus ante delictum erat verus dominus suorum bonorum, illorúmque habebat verum dominium, & proinde poterat illa donare, obligare,vel alienare. Si autem quæras : & quomodo sciri poterit, an ista alienatio, vel dotis promissio facta

fuerit

fuerit ante, vel poſt delictum? Reſpondet Bonacina *cit. loco*, quod ſtante hoc dubio, tenetur Fiſcus probabare, quod talia debita non fuerint contracta ante delictum, ſed poſt illud. Et idem tenet Sanchez *cit. cap.*22. *num.*77.

Tota dubitatio eſt, ſi iſte pater fecit iſtum contractum poſt iam commiſſum à ſe delictum hæreſis: an fuerit validus contractus, & potuerit validè ſe obligare conuentui, ita vt Fiſcus teneatur ſoluere hanc dotem ab illo promiſſam Monaſterio?

Secunda concluſio.

Quamuis iſte pater fecerit iſtum contractum cum Monaſterio pro dote filiæ, poſt delictum à ſe commiſſum, contractus nihilominus fuit validus, & proinde Fiſcus non poteſt illum annullare; ſed potius tenetur ſoluere prædictam dotem conuentui, ex bonis relictis à patre Iudæo. Hanc concluſionem videtur docere Iulius Clarus *cit.q.*78.*num.*18. vbi agens de Fiſco, ponit hæc verba: *Cæterum poſt commiſſum delictum regulariter etiam valet alienatio ante ſententiam facta titulo oneroſo, neque reuocantur alienata, niſi appareat contrahentem fuiſſe participem fraudis.* Sic ille. Iſta verò alienatio, vel promiſſio dotis fuit facta ante ſententiam, cum titulo oneroſo, vt diximus: neque conſtat quod hîc interuenerit fraus ex parte conuentus: & ait ibi Iulius Clarus hãc eſſe opinionem communem. Quamuis autem hic Doctor ibi limitet, hoc non intelligi vbi bona confiſcantur ipſo iure (quale eſt crimen hæreſis) nihilominus manet hoc fixum ex alio capite; vt enim dicam, fuit hoc debitum contractum poſt delictum, cuius pretium, vel vtilitas conuerſa

est in bona, & vtilitatem patris: & tunc est obligatio dare satisfactionem creditori Monasterio. Secundò, videtur hæc opinio Farinacij *tomo de Accusation. & delictis quæst.* 24. *num.* 46. *&* 47. vbi ait, quod dos data filiæ à patre hæretico non confiscatur: ad quod probandum multa adducit. Et præcipua eius ratio est, quia dotare filias est de lumine naturali, vt patet: at contra lumen naturale non potest ius positiuum disponere, siue sit Ecclesiasticum, siue ciuile, vt habetur *in Clementina* pastorali, *de re iudicata.* Et confirmatur amplius hoc dictum Farinacij: quia si dotem pater hæreticus post delictum dedit filiæ iam coniugatæ, gener istius patris habet ius in tali dote acquisitum, quia fructus dotis dantur marito ad sustentanda onera matrimonij: & sic constante matrimonio, non potest à genero auferri. Quod etiam ob eandem causam militat in dote promissa Monasterio pro filia Moniali; datur enim talis dos ad sustentanda onera Monasterij pro alenda filia: ac proinde non poterit talis dos auferri à Monasterio. Quod adhuc probatur ex Nauarro *tomo consiliorum lib.*3. *tit. de testament. consil.*9. & ex Rodriguez *tomo* 2. *qq. quæst.* 127. *art.* 1. cum aliis ibi citatis dicentibus, quod si cuidam puellæ relinquatur legatum vt nubat, & illa eligat potius profiteri in Monasterio, non perdit legatum: quia (inquiunt) multo magis fauendum est Religioni, quàm matrimonio. Et proinde cùm non possit Fiscus confiscare dotem datam filiæ à patre hæretico pro matrimonio: sic non poterit confiscare hanc dotem promissam Monasterio à patre Iudæo pro dote filiæ Monialis. Hæc verò opinio Farinacij dicentis non posse Fiscum auferre dotem datam filiæ à patre hæretico, asseritur etiam à Baiardo *in commento ad*

Iulium

Iulium Clarum, *quæst.* 78. vbi dicit, quod licet ob crimen læsæ Maiestatis omnia bona patris ita confiscentur, vt nulla portio reseruetur filiis. Nihilominus filiæ fœminæ reseruatur portio pro illa dotanda. Et idem Baiardus *eadem quæst. num.* 109. citans alios, ait non posse Fiscum petere à patre alimenta filij banniti, quia sunt debita iure naturali.

Iam ergo ex prædictis conclusionibus constat non posse Fiscum hanc dotem auferre à Monasterio. Nunc amplius id confirmo ex communi illo dicto Doctorum in materia de Fisco dicentium, quod licet Fiscus non teneatur soluere debita creditoribus rei condemnati, si tamen constiterit, quod pretium, vel emolumentum fuerit datum condemnato ab ipso creditore, & hodie tale pretium, vel emolumentum reperitur inter bona condemnati: vel constat quod tale pretium conuersum fuit in bonum ipsius condemnati, tunc Fiscus tenetur hoc debitum soluere creditori. Sit exemplum: vendiderat hæreticus paulò antè quasdam domos Petro, pro quibus hæreticus recepit pretium, quod hodie extat inter bona hæretici. In hoc casu, si Fiscus velit confiscare prædictas domos, debet soluere Petro pretium illarum, quia pretium, & pecunia data à Petro pro illis hodie reperitur inter bona hæretici. Hæc opinio communis maximè asseritur à Sanchez *tom.* 1. *Decalogi*, *lib.* 2. *cap.* 22. *à num.* 68. vsque ad finem capitis, vbi citat multos, & graues Doctores explicantes quomodo cognosci possit pretiũ datũ hæretico à creditore extare hodie inter bona hæretici: vel fuisse conuersum in vtilitatẽ ipsius, tam hæretici, quàm Fisci, qui occupauit locupletiorẽ substantiam delinquentis. Et ait Sanchez hoc posse cognosci, si delinquens cum illo pretio aluit se, & suã familiam.

Secundò, si cum illa pecunia res suas meliores effecit: vt restaurando agros, oliueta, domos, &c. tunc enim illa pecunia dicitur extare inter bona delinquentis: & cùm cedant in vtilitatem Fisci, tenetur Fiscus illam pecuniam soluere creditori. Quæ omnia applicantur nostro casui in hunc modum. Iste pater Monialis est debitor, & debet monasterio trecentos aureos pro dote promissa. Isti trecenti aurei hodie extant inter bona istius patris hæretici, siquidem illa nunquam dedit monasterio, & cum illis aluit familiam, & succurrit necessitatibus domus suæ, propter quod Fiscus confiscauit locupletiorem substantiam hæretici, vt patet, quàm confiscaret si hæreticus soluisset illos trecentos aureos monasterio. Licet verò conuentus non dederit pecuniam hæretico debitori, donauit tamen rem magno pretio æstimabilem, videlicet obligando se ad alendam filiam in tota vita: propter quod iste pater contraxit debitum trecentorum aureorum, quæ non soluit monasterio, sed illos conuertit in suam vtilitatem: ergo tenetur Fiscus illa soluere monasterio.

Facit adhuc pro ista sententia, quod tenet Iulius Clarus *quæst.*78. *in praxi crim. num.*31. videlicet, quod licet Fiscus præferatur creditoribus ex contractu: id est, quando talis debitor se obligauit per contractum. In hoc verò casu iste pater se obligauit per contractum cum monasterio, ídque ante sententiam condemnatoriam. Facit adhuc pro nobis quod tradit Sanch. *tom.*1. *Decal. lib.*2. *cap.*19. citans Curtium, Speculatorem, Nellum, Gigas, & alios dicentes, alimenta debita filiis à parentibus, & singulis annis dari solita, non confiscari: & proinde videtur quod iste redditus tritici promissus monasterio ab isto patre

tre pro alimento filiæ non sit confiscandus. Facit adhuc quod dicit Molina *tomo* 1. *de iust.tract.* 2.*disp.*95. *col.*401. & Baiardus *cit. q.*78. *ad Iulium Clarum*, *n.*100. cum Couar. ab vtroque citato, qui omnes dicunt, quod si delinquens fecit aliquam alienationem ex causa necessaria, vt pro alimentis comparandis, tunc talis alienatio valida est, neque à Fisco poterit reuocari. At constat quod iste pater fecit hanc alienationem, vel promissionem monasterio ex causa necessaria, videlicet pro filia locanda matrimonio spirituali, & illa alenda in monasterio: ergo non poterit à Fisco reuocari. Tandem facit ad hoc quod tradit Rebello *tomo de obligat. iustit. lib.* 1. *de contract. in genere*, *q.* 7. *sect.*2. *num.*26. citans Bartolum, videlicet, quod si socer det dotem filiæ in fraudem creditoris, seu det dotem genero in fraudem creditorum: si gener non fuit conscius talis fraudis, non dabitur actio aduersus eum à prioribus creditoribus. Quod potest nostro casui sic applicari. Si pater istius Monialis quando promisit monasterio hanc dotem pro filia, iam erat hæreticus, iam fecit hoc in fraudem Fisci, qui erat quasi creditor. Sed promisit, & dedit hanc dotem monasterio veluti genero pro sustentanda filia: ergo Fisco non competit actio pro ista dote, quia conuentus non fuit conscius fraudis istius patris, sed accepit illam dotem ab illo, sicut gener accipit dotem à socero pro alenda filia.

Et adhuc pro illo, quod suprà dixi ex Farinacio teneri patrem dare dotem filiæ pro contrahendo matrimonio, ídque ex iure naturali, ad maiorem dicti firmitatem addo, eandem obligationem habere patrem dandi dotem filiæ pro ingressu monasterij. Sic tenet Sanchez *lib.*4.*de Matrim.dispu.*26. *num.*7. citans

quinque

quinque graues Doctores. Imò addit plus obligari patrem ad dotem dandam filiæ pro ingressu monasterij, si illa liberè eligat Monachatum, quàm pro matrimonio contrahendo. Quia fauorabilior est ingressus monasterij, quàm dos pro matrimonio carnali. Pro quo citat textum vnum iuris ciuilis. Ergo cùm hic pater dederit monasterio hanc dotem pro recipienda filia ad professionem, non potest Fiscus annullare hanc donationem, seu contractum onerosum factum cum monasterio. Et sunt valde notanda verba, quibus Sanchez concludit prædictam doctrinam, quæ talia sunt: *Et hac ratione possunt bona restitutioni subiecta distrahi pro dote descendentis à testatore volentis ingredi monasterium, sicut pro dote ad matrimonium temporale*, &c. Et citat pro hoc Algazer, Antonium Gomez, & Menochium. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS C.

De quadam vxore Iudæi condemnati per Dominos Inquisitores.

QVædam mulier non descendens à Iudæis, nupsit cuidam viro descendenti à Iudæis, quod illa ignorabat. Cum quo nupta per aliquos annos cohabitauit. Post quos maritus carceri sancti Officij mancipatus est. Inde ad actum publicum adductus per dominos Inquisitores damnatus est, & declaratus hæreticus cum omnium bonorum confiscatione. Post sententiam, & per actam illius pœnitentiam vxor illius noluit cum illo cohabitare, sed mansit in sua do-

mo

mo separata cum sua medietate bonorum. Iudex sæcularis obligauit vxorem ad cohabitandum cum marito, illúmque alendum, sicut nunc cohabitat. Et nupserant antea per contractus medietatis bonorum. Fiscus verò tulit medietatem bonorum mariti.

Quæritur, an possit hæc mulier tali marito cohabitans, de bonis suis, seu de sua illa medietate bonorum, quam maritus gubernat, aliquid clam subtrahere, & dare suis consanguineis, vel insumere in aliis sibi placitis? Et videtur quod non possit: nam maritus habet administrationem bonorum communium, sicut dicitur in iure: & hic maritus hodie habet administrationem istius domus, & bonorũ vxoris. Vxor verò non potest donare de bonis communibus sine licentia mariti, iuxta communem Doctorum opinionem, & praxim. Neque obstat quod iste maritus admiserit iam suam medietatem bonorum; nam hoc contigit per casum fortuitum, de quo nemo tenetur: & quando duo coniuges per casum fortuitum amittunt magnam partem substantiæ, damnum hoc attingit vtrumque coniugem ex æquo, & pro rata.

Responsio.

Ante responsionem suppono primò, quod vbi primum aliquis ex coniugibus per sententiam Inquisitorum fuit declaratus hæreticus, coniux innocens absque alia sententia diuortij potest facere diuortium, & viuere sine alio coniuge damnatò. Sic expresse tenet Sanchez *lib.1.de Matrim. disput.15. num.20.* citans Castrum, Barbosam, Couar. Graffium, Ludouic. Lopez, Henriquez, Sotum. Idem tenet Repertorium Inquisitorum, verbo, *Fornicatio, §. Sed fornicatio:* vbi citat Abbatem,

batem,& alios. Idem tenet Rodriguez *tom.3.Addit.ad summam,c.182.concl.4.* & Lessio *lib.2. de statu Religioso c.41.num.29.*dicens quod ad faciendum hoc diuortium sufficit sententia declaratoria criminis.Et probat Sanchez *cit.loco*;quia cum hoc diuortium sit quædam pœna consequens hæresim, eo ipso quod coniux per sententiam declaratur hæreticus, damnatur etiam hac pœnâ diuortij,sicut damnatur amissione bonorum, & aliis pœnis hæreticorum.

Secundò suppono, quod iudex sæcularis non poterat obligare hanc mulierem ad recipiendum istum maritum, & cohabitandum cum illo: nam diuortium inter coniugatos est causa Ecclesiastica annexa sacramento vt patet: iudex verò sæcularis non potest se ingerere in causis Ecclesiasticis, vt est notissimum. Hoc probat efficaciter Sanchez *lib.10. de Matrim. disput.8. num.15.* vbi probat cum multis Doctoribus, & textibus, quod iudex sæcularis non potest iudicare de diuortio faciendo ob crimen adulterij: sed quod id pertinet ad iudicem Ecclesiasticum. Quod à fortiori dicendum est in isto casu, in quo diuortium fit ob crimen hæresis, quod est clarè Ecclesiasticum. Cùm ergo solus iudex Ecclesiasticus sit iudex diuortij, ipse solus, non verò iudex sæcularis poterit obligare coniugatos vt cohabitent sine eo quod faciant diuortium propter hæresim. Nam ad eundem iudicem spectat decernere quod non sit faciendum diuortium,ad quem spectat iudicare quod sit faciendum diuortium: iuxta illud commune dictum,contrariorum eadem est disciplina.

Hoc posito,ad quæsitum principale istius dubij,dico mulierem istam licitè posse in secreto surripere bona suæ medietatis, illáque dare consanguineis, vel quibus

quibus voluerit. Probo hoc, quia vxor potest donare licitè de suis bonis quorum habet administrationem, qualia sunt paraphernalia, vt dicunt communiter Doctores, maximè Lessius *lib.2. de iniur.* Fortun. *c.12. dubio 14. §. Si det ex suis.* At ista medietas bonorum, cum qua mansit ista mulier, est propria istius mulieris, illique assignata per Fiscum: & istius medietatis habet hæc mulier administrationem, non verò maritus: nam maritus fuit intrusus in domum illius post hæresim per iudicem sæcularem, vt aleretur ab illa, non verò vt sua bona administraret. Quod iudex sæcularis facere non poterat, iuxta prædicta in secundo supposito. Cùm ergo hoc dimidium bonorum sit istius vxoris etiam quoad administrationem, sequitur quod possit de ista medietate sicut voluerit, modo in præcedentibus explicato, disponere.

Secundò probatur, quia hæc mulier tenetur isti marito dare alimenta, cùm non habeat vnde sustentetur, vt probat Sanchez *lib. 9. de Matrim. disput. 4. num.27.* pro quo citat vnam legem ciuilem, & Doctores iuris ciuilis. At constat, quod dans alimenta alicui donat de re sua: & de illa re, ex qua dat alimenta, potest cuilibet alteri ad libitum donare. Et sit exemplum in patre dante alimenta filio; potest enim de illis suis bonis quibus alit filium donare alteri sicut voluerit. Dando igitur hæc vxor alimenta marito de suis bonis, poterit etiam de eisdem bonis donare consanguineis, & aliis absque licentia mariti. Tertiò, quando aliqua mulier coniugata scit clarè maritum suum facultates communes prodigere, ludendo, luxuriosè viuendo, & donando prodigè, potest hæc mulier in secreto abscindere, & retinere bona illa mobilia per quæ suam medietatem conseruet illæsam, ne

sua

sua dos, vel medietas exhauriatur,vt communiter tradunt Doctores,maximè Lessius *cit.dubio* 14.§.10.*si maritus.* At ista vxor scit quod maritus per suam hæresim prodegit medietatem bonorum suorum : & præterea potest timere quod iterum relabetur in hæresim iuxta regulam iuris;*Semel malus semper præsumitur malus.* Si verò relapsus fuerit, iterum Fiscus tollet medietatem medietatis vxoris : ergo potest hæc vxor abscondere, & clàm surripere quæ bona voluerit de sua medietate. Quartò, facit ad hoc lex Portugalliæ *lib.*4. *Ordin.tit.*96. vbi dicitur, quod quando pater, vel mater dederunt dotem filio pro matrimonio, vel illi fecerunt donationem notabilem, quæ excedat legitimam sibi obuenturam ex morte parentum : in tali casu talis filius sic dotatus non poterit admitti ad collationem, vel hæreditatem cum aliis fratribus, quia iam talis filius abundè suscepit portionem suam : excipit ibi lex, si talis filius velit adducere ad collationem, id quod iam acceperat à parentibus. Et hoc ordinat ibi lex, ne talis filius tollat duas legitimas siue portiones. Hoc videtur applicandum ad nostrum casum : nam iste maritus iam tulit suam medietatem bonorum, vel illam amisit propter hæresim : iam ergo non poterit habere aliam medietatem in medietate bonorum, relictâ vxori : sed poterit vxor de sua medietate disponere ad libitum, dummodo det alimenta sufficientia marito. Vltimò facit ad hoc quod tradit Bonacina *tomo* 2. *disput.* 5. *circa quartum præceptum Decalogi q.vnica,puncto* 7.*num.*8. videlicet, quod si dos data vxori fuit confiscata ob aliquam culpam ipsius,maritus non tenetur illi dare alimenta : & citat ad hoc Sanchez, Surdum, & alios. Excipit,modò vxor à parentibus alimenta non possit obtinere : ergo à simili,

neque

neque ista vxor tenebitur alere maritum, qui sua culpa amisit medietatem suorum bonorum, nisi ipse careat parentibus, qui possint, ac velint illum alere, vel nisi ipse possit de labore suo victum quærere.

Ad primum argumentum in oppositum adductum in principio, negandum est hunc maritum habere hodie administrationem medietatis bonorum istius mulieris, iuxta dicta à nobis in secundo supposito, & in primo nostro argumento. Ratio est, quia iudex sæcularis, qui ipsum coëgit ad cohabitandum cum muliere, non potuit illam ad hoc obligare; maximè cùm domini Inquisitores illam ad cohabitandum non obligauerint, ad quos id ex officio pertinebat. Ad secundum dico hunc maritum non amisisse suam medietatem bonorum per casum fortuitum, sed per suam culpam deliberatam. Nam casus fortuitus est ille, qui dicitur inopinatus rei euentus, quem humana diligentia præuidere non potuit, nec vitare, vt turbo, grando, & similes, vt definit Reginaldus *lib.20. sum.n.126.* At iste maritus potuit vitare, & debuit præuidere quod ob suam hæresim confiscanda esset sua medietas bonorum: & proinde amissio medietatis bonorum suorum non fuit casus fortuitus. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS CI.

De quodam Clerico indebitè ordinato.

QVidam Clericus suscepit tres gradus tantum Ordinum Minorum, omisso quarto: nec meminit qualis fuerit ille gradus omissus, primúsne, tertius,

vel quartus. Postea suscepit tres Ordines sacros, & sæpius Missam celebrauit, sciens, & aduertens malum quod faciebat. Quæritur primò, an incurrerit irregularitatem sic celebrando? Secundò, quis possit cum illo dispensare? Tertiò, an debeat iterum recipere omnes quatuor gradus minores, non obstante quod iam tres receperit?

Responsio.

Dico primò, hunc Clericum grauiter peccasse, & incurrisse suspensionem, recipiens tres Ordines sacros non habendo omnes quatuor minores. Hæc conclusio colligitur clarè ex eo quod tradit Nauarrus *lib.* 1. *consiliorum, tit. de temporibus Ordinat. consilio* 35. vbi ait peccasse mortaliter quemdam Clericum, & incurrisse suspensionem eo quod receperit tres Ordines sacros non habens prius quatuor Ordines minores. Hic autem de quo loquimur, recepit tres Ordines sacros non habens nisi tres Ordines minores. Rationem ibi tangit Nauarrus, dicens quod iste talis fuit ordinatus per saltum: id est, recepit Ordinem superiorem, non habens Ordinem vel Ordines inferiores, vt definitur in capite vltimo de Clerico per saltum promoto. Idem tenet Suarez *tomo de censuris*, *disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 41. vbi ait cum Doctoribus, quod septem Ordines ita sunt subordinati inter se, vt per minorem ad proximè superiorem sit ascendendum. Hic verò Clericus recepit tres Ordines sacros, qui sunt superiores, non habens omnes quatuor minores, qui sunt inferiores: & sic mansit suspensus ne posset ministrare in Ordine superiori, nec potuit Missam celebrare sine dispensatione.

Dico

Dico secundò, quod iste Clericus celebrans Missam non habens quatuor Ordines minores, incurrit irregularitatem. Hæc est certissima: per id quod Doctores communiter dicunt, quod scilicet suspensus ab aliquo Ordine sacro, & in illo ministrans, fit irregularis, maximè si id faciat sciens, vt iste fecit. Sic tenet Nauarrus *in summa*, *cap*.27. *num*. 244. citans Ostiensem, & Panormitanum. Idem dicunt multi alij Doctores, maximè Henriq. *lib*. 13. *cap*. 52. *prope finem*. Et iste Clericus celebrauit Missam, & sic ministrauit in Ordine, in quo erat suspensus, ídque fecit scienter, ac proinde clarè incurrit irregularitatem.

Tota dubitatio est, quisnam possit cum isto Clerico dispensare quoad irregularitatem, & absoluere illum à suspensione? Suar. *citata disput*.31. *sectione eadem*, *num*.12. ait Episcopum non posse dispensare cum illo, vt Missam celebret, neque vt recipiat gradum illum Minorum, quem omisit. Mouetur ex Concilio Trid. quod *sess*.23.*cap*.14. *de reform*. ait quod Episcopus possit dispensare cum promotis per saltum, si non ministrauerint. Propter quod (ait Suarez) si taliter promotus ministrauit (vt iste fecit) non poterit Episcopus cum illo dispensare, vt Missam celebret.

Quo non obstante, ego dico tertiò, quod si iste casus est occultus, potest Episcopus in illo dispensare. Sic tenet expresse Henriquez *tom*.2. *lib*.14. *cap*.6. *n*. 3. *in textu*, *& in margine*. Pro quo citat Nauarrum dicentem *in summa cap*. 27. *num*. 250. idem quod tenet Henriq. Idem tenet Rodrig. *in sum*. *cap*.17. *de sacram. Ordinis*, *conclus*. 9. *prope finem*, citans Henriquez, & citat ad hoc Henriquez Concilium Tridentinum, quod *sess*.14.*cap*.6.*de reform*. concedit amplam potesta-

tem Episcopo ad absoluendum, & dispensandum in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus prouenientibus ex delicto occulto, in quibuscunque casibus occultis, Sedi Apostolicæ reseruatis. Hæc verò irregularitas, & suspensio, de quibus agimus, proueniunt ex delicto vt patet: & suppono quod iste casus est occultus. Quæ concessio est amplissima. Et quamuis aliqui Doctores dicant illam concessionem Tridentini factam Episcopis esse reuocatam per Bullam Cœnæ, quæ singulis annis publicatur; non dicunt esse reuocatam in totum, sed quoad solam absolutionem ab hæresi occulta ibi concessa à Tridentino. Non verò quoad alios casus, & quoad dispensationes. Imò Sanchez *tom.*1. *Decalogi*, *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 27. citat vltra quindecim Doctores graues, & recentiores, dicentes prædictam concessionem Tridentini etiam quoad absolutionem ab hæresi, non esse reuocatam per Bullam Cœnæ. Et proinde à fortiori poterit hodie Episcopus dispensare cum irregularitate, & suspensione istius Clerici. Locus verò ille Tridentini citatus à Suarez, vbi Concilium innuit non posse Episcopum dispensare cum Clerico promoto per saltum si ministrauit: intelligi debet, si delictum illius fuit publicum. Nam si fuit secretum, poterit dispensare iuxta amplam illam Tridentini concessionem modò citatam ex eodem Tridentino *sess.*14.*cap.*6.

Et noto pro maiori claritate, quod iste Clericus duo debet petere ab Episcopo; primum vt dispenset cum illo vt possit recipere Ordinem illum minorem omissum modo statim explicando, iuxta Suarez *citata sect.* 2. *num.* 48. *in fine*. Secundò debet petere dispensationem, vt possit celebrare Missam, & in Ordine Diaconi, vel Subdiaconi ministrare, quia

in

in his omibus erat suspensus per promotionem per saltum.

Vlterius noto quod si iste Clericus existens in hoc statu cantauit solemniter Euangelium, vel Epistolam exercens officium Diaconi, vel Subdiaconi, hoc etiam debet Episcopo explicare vt illum absoluat à suspensionibus, & dispenset in irregularitatibus ibi incursis: currit enim eadem ratio in diaconatu, & subdiaconatu ministratis in suspensione, atque in celebratione Missæ à suspenso, vt ex Nauarro, & Maiolo colligit Suarez *cit. sect.* 1. *num.* 48. Quamuis Suarez ibidem cum Syluestro dicat, quod ordinatus per saltum non incurrit irregularitatem ministrando in Ordine inferiore, quem legitimè suscepit. Opinio verò Nauarri probatur, quia iste suscepit diaconatum, & subdiaconatum per saltum; cùm hi duo Ordines sint superiores Ordinibus minoribus: ergo in illis duobus per saltum susceptis mansit suspensus, & eget particulari dispensatione.

Dico quartò, quod iste Clericus debet iterum suscipere omnes quatuor Ordines minores, supposito quod non recordetur quem gradum minorum omiserit. Nam stante hoc dubio verè dubitatur de omnibus gradibus minorum Ordinum, & non dubitatur de omnibus minoribus in speciali. Iam verò Ordo sacer de quo meritò dubitatur, an fuerit ritè susceptus, debet iterum recipi sub conditione, vt habetur expressè *in cap.* Veniens *de Presbyt. non baptizato*, vbi Papa iubet, quod si aliquis in Presbyterum ordinatus deprehenderit se non fuisse baptizatum, baptizetur, & iterum omnes Ordines suscipiat: quia Ordines priores non profuerunt homini non baptizato. Et ait Papa ibidem, quod ista secunda susceptio Ordinum non

est iterare sacramentum Ordinis : quia (ait Papa) *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum: nec malè de sacramentis sentitur, cùm illud non Religionis contemptus, sed articulus necessitatis repetit.* Et in hoc casu suscipiendo omnes quatuor gradus minorum non iteratur sacramentum Ordinis, cùm non constet in particulari qui tres Ordines minores fuerint suscepti: & præterea ista secunda susceptio Ordinum Minorum non sit ex contemptu sacramenti, sed ex necessitate, eo quod de præcepto Ecclesiæ Sacerdos debet habere omnes quatuor Ordines minores. Sed aduerto, quod iste Clericus non debet iterum recipere tres Ordines sacros, quia iam illos clarè, & ritè suscepit, id est, verè suscepit, & ipsorum characteres, quamuis in susceptione peccauerit. Et adhuc dico quod vt securius omnes quatuor Ordines minores possint recipi, seruit quod ait Papa *citato capite* Veniens, videlicet, quod in isto casu: *Quod tutius eligentes seruemus in re dubia quod tutius est*; *nam in dubijs securior pars est eligenda.* At in hoc casu satis dubium, imò omnino obscurum est quem gradum ex minoribus iste Clericus omiserit: ac proinde tutius tenendum est, videlicet omnes minores Ordines recipiendo; vt satisfiat præcepto Ecclesiæ, quod Sacerdos recipiat omnes septem Ordines.

Neque obstat contra hoc caput *sicut semel*, dist.68. vbi præcipitur quod semel consecratus, hoc est ordinatus, in eodem iterum ordine non debet ordinari: & iste iam consecratus, & ordinatus est in tribus Ordinibus minoribus: ergo in illis non debet iterum ordinari: iam enim bis ordinabitur in eodem Ordine. Respondetur enim citatum textum prohibentem nequis bis eundem Ordinem suscipiat, debere intelligi

quando

quandò clarè constat aliquem hoc particulari Ordine iam esse consecratum, vel ordinatum: secus si dubitetur, an verè fuerit ordinatus, tunc enim repetendus erit Ordo dubius, vt diximus cum alio textu *in cap.* Veniens *de Presbytero non baptizato.* In isto verò casu dubium, imò obscurum est quosnam Ordines minores iste receperit. Facit pro hoc exemplum adductum in proximè citato capite *sicut semel.* Ait enim non esse iterandum sacramentum Ordinis, sicut non debet iterari baptismus. At constat ex iure, Doctoribus, & praxi, quod quando est magnum dubium de valore baptismi collati, reperitur baptismus sub conditione. Et Ecclesia maiores pœnas imponit iteranti Baptismum, quàm iteranti sacros Ordines receptos. Ergo cùm Baptismus dubius possit iterari sub conditione, poterit etiam iterari sub conditione Ordo sacer dubius. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS CII.

De alio Clerico malè ordinato.

QVidam Clericus ex quodam Episcopatu Insulario, & maritimo obtinuit licentiam à Capitulo suo, Sede vacante, vt posset Ordines tres sacros recipere de manu cuiuscumque Episcopi. Non tamen expressit licentia an posset Ordines illos recipere extra Tempora, vel absque interstitiis. Cum hac licentia venit in hanc vrbem Olysipponensem, vbi etiam tunc erat Capitulum Sede vacãte propter mortem Archiepiscopi. Adiit in hac vrbe quemdam Episcopum titularem, qui illi dixit se habere priuilegium Papæ

ad conferendos Ordines extra Tempora. Hac de causa recepit tres Ordines sacros extra Tempora, & absque interstitiis. Quo facto vellens occurrere alicui scrupulo, absolui se fecit à quodam Theologo per Bullam Cruciatæ: ait tamen se prædictos Ordines recepisse bonâ fide: sic ordinatus rediens in Insulam, impetrauit à Capitulo Sede vacante licentiam ministrandi in prædictis Ordinibus, & Missam celebrandi, quod fecit bonâ fide. Post aliquod tempus gubernator eiusdem Episcopatus Sede vacante faciens peculiarem informationem de illis, qui Ordines susceperunt Sede vacante, declarauit per sententiam hunc Clericum incurrisse irregularitatem.

Quæritur, an iste Clericus fuerit irregularis in receptione Ordinum extra Tempora, & sine interstitiis? Secundò quæritur, an dato quod incurrerit irregularitatem, potuerit dispensari per Bullam Cruciatæ?

Responsio.

Sit *prima conclusio.* Iste Clericus non incurrit suspensionem, neque irregularitatem suscipiendo tres sacros Ordines sine interstitiis, quidquid sit de peccato quando faceret malâ fide. Probatur, quia licet Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 13. *&* 14. prohibeat ne Ordines sacri recipiantur nisi seruatis interstitiis, & proinde peccet mortaliter contrà faciens, non tamen ibi Concilium vllam pœnam suspensionis, vel irregularitatis imponit contrà facienti, vt cernere est in textu, & margine Concilij ibidem. Quando verò lex pœnam non imponit, non debemus nos illam imponere, vt Doctores communiter dicunt. Et quod is talis non incurrerit suspensionem ob non

seruata

seruata interstitia, tenet Zerola *2.p.praxis Episc. verbo* Ordo, §. *Octauo an qui.* vbi ait, quod licet Sixtus V. post Tridentinum imposuerit suspensionem contra recipientes Ordines noc seruatis interstitiis, postea Gregorius XIV. istam suspensionem abstulit. Idem tenet Suarez *tom.de censuris disput.*31.*sect.*1.*num.*43. dicens suspensionem positam à Sixto V. esse sublatam. Idem tenet Reginald.*tom.*2.*lib.*32.*tract.*2.*num.*71.§.*Reducitur etiam alia.* & Riccio 3.*p.decisionum*, *decis.*576. citans Sayrum,& specificat Riccio,quod neque incurritur irregularitas.

Secunda conclusio. Si iste Clericus recepit hos tres Ordines sacros extra Tempora bonâ fide putans se in hoc non peccasse, non incurrit suspensionem, neque irregularitatem celebrando. Ita expresse resoluit Suarez *cit.tomo de censuris disput.*31.*num.*31. & Comitolus *lib.*6. *Respons. Moral q.*37.*num.*1. & probabitur clariùs conclusio ex dicendis in conclusione 3.sequenti. Cùm ergo ille de se dicat, quod fecerit hæc omnia bonâ fide, sequitur nullam pœnam incurrisse. Hoc solum aduerto quod licet iste Clericus dicat se post Ordines sic susceptos procurasse absolutionem sibi dari per Cruciatam,hæc procuratio absolutionis non probat quod habuerit malam fidem: id enim fecit ad cautelam,& maiorem securitatem. Potest autem bene contingere, vt aliquis aliquid faciat cum bona fide, & sine dubio practico, & nihilominus post factum ad cautelam, & securitatem quærat absolutionem,vel dispensationem.

Tertia conclusio. Iste Clericus recipiens Ordines extra Tempora credens Episcopo titulari dicenti posse se illos conferre extra Tempora, non peccauit, neque incurrit suspensionem. Hæc est certissima,tum ex

dictis Suarez *cit. suprà disput.* 31. *num.* 31. tum ex communi dicto Doctorum dicentium, quod bona fides, & ignorantia inuincibilis excusat à pœnis, & censuris, & irregularitate, quando irregularitas imponitur ob delictum, de quo latè Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. disput.* 32. *num.* 15. *& seqq.* citans multos. Hic verò Clericus fidens Episcopi dicenti se posse, habuit bonam fidem, & ignorantiam inuincibilem facti: qualem habet is, qui consuluit Doctorem. Secundò probatur ex eo quod Doctores dicunt in simili materia, videlicet quod recipiens Ordines credens bonâ fide se habere legitimam ætatem (cùm re verâ non haberet) fecit tamen ad id aliquam diligentiam, non incurrit suspensionem vel pœnam vllam, propter bonam fidem. Ita Suarez *tomo de censur. cit. disput. num.* 26. citans Nauarrum *in sum. Latina*, *cap.* 27. *num.* 155. Idem tenet Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 39. *art.* 6. citans alios: & Reginald. *cit. tract.* 2. *num.* 70. §. *Mouet super.* Hic autem Clericus fecit diligentiam sufficientem consulendo Episcopum titularem. Denique probatur ex illo dicto communi, quod, vbi non est culpa, non datur pœna. At iste fecit bonâ fide, & faciens bonâ fide non habet culpam: ergo non incurrit vllam pœnam suspensionis, vel irregularitatis.

Quarta conclusio. Iste Clericus ministrans, vel celebrans Missam post Ordines sic susceptos, non incurrit irregularitatem. Probatur, quia celebrauit bonâ fide, quæ bona fides excusat ab incursione pœnarum & censurarum, vt copiosè manet probatum in tertia conclusione præcedente. Et præter ibi citatos idem tenet Syluest. *verbo* Irregularitas, §. 13. *vers. Quintum*, & Henriquez *lib.* 14. *de irregular. cap.* 7. *num.* 1. citans alios *in littera T.* Et probatur, quia iste priusquam

quam celebraret, impetrauit licentiam à Capitulo Sede vacante ad exercendos susceptos Ordines. Et Capitulum Sede vacante potest omne illud quod potest Episcopus viuens, vt tenet Barbosa *in suis remisſion. ad Tridentinum cit. cap. 6. ad Tridentinum.* Denique quod iste in celebrando bonâ fide, & cum eadem bona fide Ordines recipiendo, non incurrerit irregularitatem, nec suspensionem, probatur per Extrauagantem *ex sacrorum* Pij II. qui imponens suspensionem, & irregularitatem ordinatis extra tempora, ponit hæc verba: *Si in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserunt.* Quando verò lex Pontificia ponit pœnam aliquam contra eos, qui præsumpserint, non incurrit illam pœnam is, qui fecit bonâ fide, quamuis haberet ignorantiam inuincibilem, vel etiam vincibilem, vt tradit communis opinio, maximè Henriquez *lib. 13. de excommunic. cap. 23. num. 3.* citans multos *litera C. in gloss.* dummodo ignorantia non sit crassa, & temeraria.

Quinta conclusio. Datò, & non concesso, quod iste clericus incurrerit irregularitatem aliquam, non posset dispensari ab illa per Bullam Cruciatæ. Hoc expresse tenet, & probat Suar. *tom. de censur. disp. 1. sect. 3. num. 5.* vbi cum Nauar. cit. ait, quod licet in Bulla Cruciatæ dicatur, quod illam habens, potest absolui à quibusuis censuris & pœnis: ista irregularitas imprimis non est censura, vt patet. Deinde teste Nauar. iuxta consuetudinem & stylum Curiæ in ea generali facultate absoluendi à pœnis, & censuris non comprehenditur irregularitas, iuxta reg. textus *in cap. vlt. de officio Vicarij in 6.* vbi dicitur: *In generali concessione nequaquam illa veniunt quæ non esset quis verisimiliter concessurus in specie.* Cuius signum est: nam interdum in

priuile

priuilegiis, seu Bullis Pontificiis post illa generalia verba additur facultas dispensandi in irregularitate, quando Pontifex vult illam concedere, vt ex Bulla Iubilæi concessi à Clemente VIII. anno 1593. notauit Vgolinus *lib. de censur. tabula* 1. *cap*.20. *n*.2.

Adhuc pro maiori probatione prædictorum, & pro maiori claritate, noto primò quod quando capitulum Sede vacante dedit licentiam isti Clerico ad tres Ordines sacros recipiendos, non fuit necessarium, vt in tali licentia diceretur, quod posset illos extra Tempora recipere. Nam imprimis Capitulum Sede vacante non potest talem licentiam concedere, iuxta capitulum *de eo*, de temporibus ordinationum. Et præterea sufficiebat quod Episcopus titularis haberet hoc priuilegium ordinandi extra Tempora. Pro quo facit exemplum: nam cùm subditus habet peccatum reseruatum, à quo suus Prælatus non potest illum absoluere: sufficit quod subditus adeat Nuncium, vel alium superiorem potentem absoluere, quamuis non habeat licentiam Prælati inferioris vt possit absolui. Et quando in hoc casu esset necessaria expressa licentia Capituli vt posset Ordines istos suscipere extra Tempora, satis constat Capitulum in hoc consensisse tacitè: quia cùm daret licentiam illos assumendi extra Insulam, & Olysippone, non debuit velle, vt ille Olysippone maneret tam longo tempore expectans tot interstitia.

Secundò noto, quod licet Concilium Tridentinum dicat quod Episcopi non dispensent in irregularitate, si iam fuit deducta ad forum contentiosum: & irregularitas istius Clerici fuit posita in foro contentioso, vt videtur. Dico quod dato, & non concesso quod incurrerit irregularitatem deductam ad forum

rum contentiosum, si iam iudicium illud finitum est, potest Episcopus cum illo dispensare. Ita tenet Reginaldus *lib.* 30. *cap.*3. *sect.*4. *num.*29. §. *Sextum*, vbi ponit hæc verba: *Si delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed iudicium iam est finitum, probabile est posse Episcopum dispensare in irregularitate ex illo secuta.* Et idem absolutè tenet Sanchez *lib.* 2. *Decalogi cap.*11. *num.*21. citans alios.

Et quoniam vim magnam fecimus in hoc casu, quod iste Clericus ordinatus sit, & celebrauerit bonâ fide, addendum censui, quod vt probetur quemlibet habuisse bonam fidem, non sunt necessarij testes, vel contestes: sed sufficit hoc probare per iuramentum rei modo assignato per glossam *capitis* 2. *de constit. in* 6. de quo videatur Nauar. *lib.* 1. *consiliorum, titulo de constitut. consilio* 1. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS CIII.

De donatione facta Monasterio pro ingressu, & professione Nouitiæ.

INgressa est quædam fœmina Monasterium Monialium ad profitendum. Mater illius promisit Monasterio, quod in ingressu datura erat prandium omnibus Monialibus in communi, & singulis illarum, & singulis ancillis Monasterij daret certas, & singulas portiones, quæ omnia cum prandio æstimarentur in centum quinquaginta ducatis: & hæc de facto donauit in die ingressus. Promisit etiam eadem mater mille aureos pro die professionis. Ingressa Nouitia post tres menses

menſes inuenta eſt habens defectus naturales, & non eſſe idoneam ad profitendum: & hac de cauſa à conuentu eiecta exiuit.

Quæritur an Abbatiſſa, & Monaſterium teneantur reſtituere matri Nouitiæ valorem illius prandij, & portionum, quas ſingulis Monialibus, & ancillis donauit? Et pro parte affirmatiua, quod hæc omnia reſtituere debeat Abbatiſſa matri Nouitiæ, videtur probari ex Concilio Tridentino *ſeſſ.25. cap.16. de regular.* vbi loquens Concilium de Nouitiis maſculis, & feminis, qui egrediuntur ante profeſſionem, ſic ait: *Præcipit ſancta Synodus, vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur quæ ſua erant.* Quo nihil clarius dici poteſt ad intentum. Secundò probatur ex eo quod dicit idem Concilium *eodem cap. in principio:* vbi ait, quod nulla donatio, vel renunciatio, vel obligatio facta per Nouitium valeat, niſi facta fuerit per duos menſes proximos ante profeſſionem, idque de licentia Epiſcopi: & quod talis donatio non ſortiatur vllum effectum, niſi ſecutâ profeſſione. Et in hoc caſu, hæc Nouitia prædicta donauit ante profeſſionem imò ante ingreſſum. Tertiò probatur, quia illud prandium, & portiones paruæ ceræ, & ſimilium datæ ſingulis Monialibus, & ancillis in rigore, & propriè ſunt propinæ, quæ olim dabantur in profeſſione, & ingreſſu Monialium: at conſtat, quod ex mandato Papæ in hoc Regno Portugalliæ non poſſunt donari tales propinæ in ingreſſu, vel profeſſione Monialium. Sic enim publicatum, & mandatum eſt in hoc Regno per illuſtriſſimum D. Accarambonum Collectorem anno 1616. die 8. Iulij. Cùm ergo hæ donationes, & propinæ ſint factæ contra legem Eccleſiæ, ſequitur quod non poſſint acceptari; & quod acceptæ ſint reſti-

restituendæ. Et dico esse legem Ecclesiæ, quia idem D. Collector in suo mandato refert dominum Papam sic illi mandasse per Breue particulare. Et ideo Collectoris mandatum non expirauit extincto eius officio. Quartò, quia istæ propinæ fuerunt datæ Monialibus sub conditione tacita, & virtuali, si professio fuisset subsecuta, vel vt professio haberet effectum: non enim parentes, vel consanguinei taliter donarent, si scirent professionem non sortituram effectum: ergo cùm professio non sit secuta, nec conditio tacita sit sortita effectum, donatio non valuit, & proinde donata sunt restituenda. Quod verò in contractibus dari possit conditio inhærens contractui, & obligans, licet non apponatur, patet ex glossa *in cap.* quemadmodum, *de iureiurando, in verbo, conditio.:* vbi citans quandam legem ciuilem, ponit exemplum dicens, quod in iuramento quod fit ab aliquibus de aliqua re donanda, subintelligitur conditio, si nuptiæ fuerint secutæ. Sic etiam videtur, quod in ista donatione facta pro ista Nouitia, fuit intelligenda conditio: si professio fuerit secuta. Cúmque professio non sit secuta; videtur donatio non habuisse effectum.

His tamen non obstantibus dico nec Abbátissam, nec Monasterium non teneri restituere illa, de quibus est quæstio ista proposita. Quæ conclusio satis manebit probata ex solutione argumentorum adductorum proximè in contrarium. Et ante responsionem ad illa, suppono duo: primum est diem in qua Nouitia intrat Monasterium, esse nimis diuersam à die, in qua professionem emittit. Nam diuersæ cæremoniæ fiunt in die ingressus ab illis, quæ fiunt in die professionis: & maius festum fit in die professionis, quàm in die ingressus. Secundò suppono, quod Nouitius

uitius potest facere donationes in temporibus diuersis. Primò, quando donat ante ingressum Monasterij, sicut mater istius Nouitiæ fecit, donans illas portiones, ceu propinas antequam filia intrasset. Secundum tempus est quando Nouitius iam intrauit, & est in anno nouitiatus, facit donationem, vel renunciationem alicuius rei. Et de hoc secundo modo donandi, quando iam est in nouitiatu præcipit Concilium Trident. *seß.25. cap.16. de regular.* quod Nouitius non faciat donationem aliquam, nisi per duos menses proximè antecedentes professionem, & cum licentia Episcopi: & quod existens in eodem nouitiatu non faciat donationem conuentui, propter rationes ibi assignatas.

Hoc supposito, ad primum argumentum in oppositum adductum, respondeo, verba illa Tridentini iubentis Nouitio abeunti omnia restitui quæ antea donauerat, non esse intelligenda de illis rebus, quas donauit ante ingressum, vel in ingressu Ordinis: sed de illis quas donauit iam existens in nouitiatu. Probatur hoc clarè ex verbis eiusdem Concilij *cit. cap.* In medio namque dicti capitis iubet Concilium ne parentes Nouitiæ quandiu illa fuerit in nouitiatu (illius temporis, quo in nouitiatu steterit) donent aliquid conuentui quocumque titulo, neque conuentus possit recipere sub pœna excommunicationis incurrendæ à dantibus, & recipiente: excepto vestitu, & victu Nouitij: & statim immediatè dicit Concilium: *Vt abeuntibus ante professionem, omnia restituantur quæ erant sua.* Quibus verbis apparet clarè non loqui Concilium, nisi de rebus, quas Nouitius, vel parentes donarunt Monasterio, existente iam Nouitio intra Ordinem in nouitiatu: idque adhuc constat ex aliis

aliis verbis eiusdem Tridentini: *Temporis quo in probatione est.* Hæc verò Nouitia, de qua agimus, vel parentes illius, donarunt res illas suprà citatas, antequam illa Monasterium intraret. Verba autem legis applicanda sunt ad casum præsentem, de quo lex loquitur, non ad casum diuersum de quo lex non loquitur. Concilium verò ibi loquitur de Nouitio donante, quando iam existit in nouitiatu; non verò de donante ante ingressum Monasterij. Hæc responsio, & solutio clarescet magis ex solutione secundi argumenti sequentis, quod similitudinem habet cum isto.

Ad secundum argumentum dico, quod licet ista donatio non fuerit facta cum licentia Episcopi, nec intra duos proximos menses ante professionem, fuit tamen valida: quia illa verba Concilij, & illæ modificationes, & conditiones positæ à Concilio pro validitate donationis faciendæ à Nouitio, intelliguntur solum, seu requiruntur pro donatione facta Nouitio postquam iam est in nouitiatu, vt probauimus in solutione præteriti argumenti ex verbis eiusdem Concilij; non verò de donatione facta ante ingressum Monasterij. Sic declararunt illustrissimi Cardinales Romæ assistentes pro dubiis Tridentini declarandis. Hæc declaratio ponitur in libro nouo declarationum Cardinaliũ impresso Antuerpiæ anno 1635. Qui liber *ad cit. cap. 16. Tridentini* inter declarationes Cardinalium ponit hæc verba: *Congregatio Concilij censuit, decretum Concilij Tridentini, cap. 16. sess. 25. de regularibus non habere locum in donationibus, & renunciationibus factis ante susceptionem habitus.* Quo nil clarius dici potuit ad intentum. Et licet aliqui Doctores oppositum sentiant, dicentes dictum decretum Tridentini intelligi etiam de donationibus Nouitij factis

ante ingressum Ordinis: nihilominus opinio contraria, quam citauimus, & tuemur, quod non sit intelligendum de donationibus factis ante ingressum, defenditur à Sanch. *tom. 2. Decal. lib. 7. cap. 5. num. 9. & seqq.* & citat pro illo decem Doctores graues, & recentiores. Quod verò attinet ad declarationem Cardinalium proximè cit. pro ista opinione, licet aliqui Doctores de illa dubitent, Vega tamen Minimus *in sua summa, verbo* Donatio *casu* 3. dicit quod Pater Passarellus, qui fuit Generalis illius Ordinis, impetrauit prædictam declarationem, sicut idem Pater Passarellus affirmat in sua summa citata per ipsum Vegam.

Ad tertium argumentum concedo has donationes, de quibus agimus, in substantia fuisse propinas: quo non obstante, dico Monasterium illas potuisse recipere, quamuis illæ prohibitæ fuerint per mandatum citatum Illustriss. D. Collectoris, cum decreto domini Papæ. Ratio est, quia illud mandatum siue lex D. Collectoris non fuit recepta, neque est in vsu, vt patet ex praxi totius Regni: in quo de ordinario in ingressu, & professione Nouitiæ dantur propinæ. Est autem opinio communis, quod quando lex à principio non fuit recepta, vel si non est in vsu, talis lex non obligat. Sic tenet Sà *in Aphorism. verbo* Lex *n.* 1. *& infrà eodem verbo* Lex *num.* 19. dicit, quod consuetudine decem annorum tollitur lex, etiam Ecclesiastica, saltem à principio suæ publicationis: & ista lex prohibẽs propinas publicata fuit vigesimo abhinc anno: & vsque ad hoc tempus non est seruata vt plurimùm. Et videtur huius opinionis Villalobos *in sua sum. tom. 2. tract. 2. difficultate* 19. *num.* 15. vbi ponit hæc verba: *Mas ya en dia de oi tienen costumbre legitimamente*

mente prescripta en muchos monasterios de lleuar propinas de entrada, y cera, y donde la vbiere poderanlo hazer. Sic ille. Et potest dari exemplum in simili. Nam Papa Clemens VIII. maiori rigore prohibuit omnibus Religiosis peculiari Bullâ, ne facerent donationes, vel largitiones munerum, nisi modo in Bulla præscripto. Et tamen ista Bulla hodie non est in vsu, neque pœnæ illius obligant in conscientia in Hispania, teste Sanch. 7. *lib. Decalogi cap.* 19. *num.* 12. quia non est recepta, nec practicata. Quod autem lex quæ non est in vsu, obliget, probat Sayro *in Claui Regia, libro* 3. *cap.* 5. *num.* 14. vbi multa ad hoc congerit: & maximè citat quamdam legem iuris ciuilis, in quia sic dicitur: *Leges nulla alia de causa nos tenent, quàm quod iudicio populi receptæ sunt.*

Ad quartum argumentum dico primò has propinas non fuisse datas monasterio cum intentione principali, vt professio daretur Nouitiæ: sed vt illi daretur ingressus in Ordine, qui, vt suprà diximus, est nimis diuersus à professione. Dos quidem datur cum conditione, vel quasi contractu, vt detur professio: sed propinæ in ingressu dantur vt recipiantur Nouitiæ in Ordine. In hoc verò casu receptio ad habitum sortita est effectũ, vt patet. Dos verò promissa de mille aureis pro die professionis, caruit effectu, neque vnquam fuit recepta. Si autem dos foret recepta, professione non secutá, teneretur Monasterium dotem restituere, quia dos clarè fuit data intuitu professionis. Dictæ verò propinæ sunt datæ intuitu ingressûs, qui ingressus habuit effectum, & proinde non sunt restituendæ. Secundò ad idem quartum argumentum respondeo negando, quod in donatione istarum propinarum interuenerit conditio, *Dummodo professio facienda*

cienda sit. Et dico quod hîc non potuit interuenire iste contractus conditionalis, videlicet, hoc tibi do cum conditione,quod dabis mihi professionem. Nam hoc redoleret simoniam, dando scilicet rem temporalem pro spirituali professione, quæ emi non potest. Interuenit ergo hîc ex parentum parte Nouitiæ, quædam gratitudo, seu gratificatio liberalis,per quam voluerunt gratis gratificare Monialibus beneficium in recipienda Nouitia ad suam societatem. Quod verò donatur, vel recipitur gratis, & liberaliter, non obligat, vt aliquid danti restituatur, quamuis donans aliquam obligationem imposuisset solùm ex æquitate. Cùm igitur parentes Nouitiæ propinas illas dederint ex liberalitate, & Monasterium fecerit id quod postulatum fuit, admittendo illam ad ingressum, non manet Monasterium obligatum ad restitutionem, licet professio non fuerit secuta. Imò addo, quod licet Monasterium se obligasset ad dandam illi professionem propter donationem illarum propinarum, & illa exiret eiecta propter culpas, vel ægritudines, adhuc Monasterium non teneretur illi exeunti restituere illas datas propinas, eo quod Monasterium ibi culpam non habuit, & per ipsum non stetit, nec poterat illi donare professionem cum præiudicio Religionis. Facit ad hoc exemplum adductum à Doctoribus in materia de iuramento, maximè Reginaldus *tom.2. lib.*18. *num.* 51. & alij dicentes, quod si ego iuraui Petro me seruaturum secretum in certa materia, & postea ex obseruatione secreti redundat præiudicium in aliquem tertium, vel in aliquam communitatem, in tali casu non teneor seruare iuramentum, nec secretum. Sic etiam in hoc casu quamuis Monasterium esset obligatum ad dandam

professio

professionem isti Nouitiæ, ob receptas propinas (quod nego) adhuc hodie non obligaretur ad illas restituendas; cùm enim illa sit indigna ob mores, & ægritudinem proueniret magnum damnum, & iactura Religionis. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS CIV.

De quodam Religioso adeunte suum Generalem, sine licentia sui Prouincialis.

QVidam Religiosus fuit accusatus apud suum Prælatum localem de quodam delicto, videlicet quod manus violentas grauiter in alium Religiosum iniecerit; & factum est delictum in secreto. Prælatus fecit inquisitionem de delicto, quam inquisitionem adduxit ad dominum Collectorem, seu Nuncium Apostolicum. Qui dominus Collector videns ex tali inquisitione nihil probari contra Religiosum, commisit illi Prælato vt aliam inquisitionem faceret, & ad se adduceret, vt ipse D. Collector per suum Auditorem sententiam in casu pronunciaret. Fecit Prælatus secundam informationem contra Religiosum, illámque D. Collectori præsentauit: qui nihil adhuc in illa inueniens probatum contra dictum Religiosum, per sententiam publicam illum absoluit, & declarauit illum esse liberum à tali culpa, & à pœna pro tali culpa impositâ, illúmque iussit redire ad suum conuentum. Interea dum hæc agerentur, & ante sententiam D. Collectoris, Prælatus istius Religiosi scripsit ad suum Generalem, illi exponens quod ob inquisitionem à se factam, prædictus Religiosus præ-

dictum delictum commiserit. Quod videns Generalis misit litteras suas patentes, per quas iubebat dictum Religiosum exulare à dicto suo conuentu, & in alium transferri, dicens quod ob prædictum delictum hanc illi pœnam iniungebat. Post hoc publicata est sententia domini Collectoris absoluentis illum ab illa culpa, & pœna: iubentísque illum reuerti ad suum pristinum conuentum. Ad quem conuentum ille rediens, Prælatus illius conuentus noluit illum admittere, sed illi intimauit, vt iret ad alium conuentum, ad quem P. Generalis illum relegabat.

Quæritur primò, an Prælatus iste inferior possit, vel debeat non exequi mandatum Generalis transferentis illum ad alium conuentum: & possit dictum Religiosum sinere pacificè habitare in suo priori conuentu?

Secundò quæritur, an dictus Religiosus cum bona conscientia possit non obedire prædicto mandato Generalis.

Tertiò quæritur, an dato quod Prælatus inferior non admittat hunc Religiosum ad habitandum in priori conuentu, neque ille velit illi dare licentiam vt vadat ad Generalem pro recursu obtinendo: neque D. Collector velit in hoc particulari mutationis conuentus se ingerere. Quæritur inquam, an his omnibus concurrentibus possit iste Religiosus cum tuta conscientia, & sine crimine apostasiæ ad Generalem ire pro recursu obtinendo? Et declaro quod iste Religiosus, est Religiosus in Ordine, in quo singuli Religiosi habent filiationem per professionem, & inde particularia emolumenta participant, quæ non habent illi Religiosi, apud quos non est filiatio per professionem.

Responsio

Responsio.

Dico primò, quod R. Pater Prouincialis, vel quicumque alius Prælatus Generali inferior, hodie non potest exequi sententiam Patris Generalis de transferendo hoc Religioso ad alium conuentum: sed debet desistere, & Patrem Generalem admonere de innocentia istius Religiosi per sententiam declarata: & quod Pater Generalis non potest illum punire prædictâ pœnâ. Et quod Prælatus inferior debeat abstinere ab executione mandati, probatur expresse *ex cap.* si quando, *de rescriptis:* in quo Papa scribit cuidam Archiepiscopo, quod si aliquando Papa illi mandet, vt aliquid faciat, ipse Archiepiscopus mandatum reuerenter adimpleat: vel si habet causam ob quam non deceat Papæ mandatum impleri, ad ipsum Papam rescribat causas non implendi exponens. Et addit Papa hæc verba: *Quia patienter sustinebimus si non feceris quod nobis praua insinuatione suggestum est.* Ecce ibi Papa mandat Episcopo inferiori, vt si causam habuerit, ob quam non deceat impleri mandatum Papæ, tale mandatum non impleat, sed per scriptum Papæ exponat causam ob quam mandatum non implet. Et glossa eiusdem Capituli, in verbo *quia patienter*, citat duos textus iuris canonici, in quibus dicitur, quod non tenemus Prælati mandatum admittere si causa reddatur. At in isto casu constat dari causam vrgentem ob quam non debeat Patris Generalis mandatum admitti. Nam cùm ille hunc Religiosum mutet ad alium conuentum in pœnam delicti sibi falsò impositi, & à tali delicto sit liber per sententiam domini Collectoris, puniretur Religiosus sine culpa, si Patris Generalis mandatum impleretur: ergo

Prælatus inferior debet abstinere ab executione, & Generalem admonere. Eodémque modo P. Generalis admonitus tenetur desistere à tali mandato iuxta dicta in prædicto capitulo *si quando*, vbi Papa dicit patienter se laturum si non detur executioni id quod præceperat falsâ insinuatione informatus; sic enim in hoc casu debet Generalis patienter ferre non transferri hunc Religiosum ad alium conuentum, sicut mandauerat falsâ informatione informatus. Secundò, principaliter probatur conclusio, ex regula iuris *in 6.* vbi dicitur quod sine culpa non datur pœna. At constat hunc Religiosum non habere culpam sibi impositam: ergo pro illa non debet habere pœnam à Generali mandatam. Tertiò, quia lex fundata in præsumptione non obligat, si cessat præsumptio, vt docent communiter Doctores, maximè Rodriguez *tomo* 3.*qq.q.*54. *art.*6. citans Nauarrum, & alios. Et Reginaldus *tomo* 1. *lib.*13.*num.*177.*& seqq.* Ergo etiam mandatum P. Generalis, quod est quasi quædam lex particularis, cessabit in hoc casu, cùm cessauerit præsumptio culpæ huic Religioso impositæ. Quartò, quando aliquis iudex absoluit aliquem reum ab aliquo delicto, & declarat illum fuisse immunem ab illo, per consequens absoluit etiam illum à pœna debita tali delicto: sed D. Collector per sententiam absoluit hunc Religiosum à culpa ista sibi imposita, addens quod etiam illum absoluebat à quauis pœna ob illam imponenda: ergo non potest à Patre Generali aliquâ pœnâ ea de causa puniri.

Dico secundò prædictum Religiosum tutâ conscientiâ posse non obedire Patri Generali, vel cuiuis inferiori Prælato obliganti illum adire alium conuentum. Hæc satis constat ex præcedentibus: cùm enim

probatum

probatum sit non posse Generalem, vel alium Prælatum hunc Religiosum punire propter hanc culpam, de qua est absolutus per sententiam: constat etiam quod non tenetur obedire Prælatis obligantibus illum ad tolerandam pœnam, quam volunt infligere proter culpam falsam. Si enim Prælatus non potest præcipere, non tenetur subditus obedire.

Dico tertiò. In casu, quo Prælatus inferior nolit desistere ab executione pœnæ exilij à P. Generali decreta: nec D. Collector in illa velit se intromittere, & Prælatus inferior illi deneget licentiam adeundi P. Generalem, potest hic Religiosus tutâ conscientiâ, & sine culpa apostasiæ adire P. Generalem, ad illum informandum, & recursum impetrandum. Sic expressè docet Nauar. *in consilijs, tit. de sent. & re iudic. consilio* 1. citans Panorm. Felin. & Decium. Et idem Nauar. *comment. 2. de regular. num.* 61. quem sequuntur communiter Doctores, maximè Rodrig. *tomo* 1. *qq. Regular. q.* 3. *art.* 3. citans Nauarrum, & Banhez. Idem tenet Sayro *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 4. & Sanch. *lib.* 6. *Decalogi cap.* 8. *num.* 17. & omnino Diana *tract. 2. de dubijs Regular. resolut.* 56. & alij communiter. Huius ratio est iuxta Nauarrum, quia Religiosus vexatus grauiter, & iniustè à Prælato inferiori, & nolente inferiori desistere, si caret alio remedio, eundo ad superiorem pro remedio quærendo, per illam arreptionem itineris censetur appellare ad superiorem. Potest enim appellatio fieri verbo, vt dicendo, *appello*, & potest etiam appellatio fieri facto, eundo scilicet ad superiorem. Remedium verò appellationis non est denegandum Religiosis: de quo ego testificari possum. Nam paucis abhinc annis, Religiosus certæ Religionis in hoc Regno Portugalliæ me consuluit,

qui à Prælato ſuo grauatus erat in re graui, nec deſiſtere volebat à grauamine, nec licentiam dare adeundi Superiores: cui ego reſpondi ſuprà citatos Doctores Nauar. Sanch. & Rodriguez aſſerere quod ſuprà dixi. Cui dictus Religioſus fidens Romam adiuit pro remedio quærendo nullâ obtentâ licentiâ adeundi à Prælatis inferioribus. Et Romæ præſentatus officialibus Curiæ, non eſt iudicatus, nec reputatus apoſtata. Et hoc mihi affirmauit quidam officialis Curiæ D. Collectoris iſtius Regni conſanguineus eiuſdem Religioſi. At conſtat, quod hic Religioſus, de quo agitur, eſt notabiliter grauatus in re graui, eo quod illum velint punire ſine culpa, mutando ad alium conuentum à ſuo conuentu, in quo habet filiationem: & præterea ſi vadat ad alium conuentum tanquam punitus à generali, perpetuò dicetur de illo quod commiſerit impoſitum delictum, & ſic viuet in perpetua infamia: ergo ſic notabiliter grauatus, & non habens aliud remedium, poterit per viam appellationis adire Generalem, ídque tutâ conſcientiâ, & ſine labe apoſtaſiæ. Sub cenſura Eccleſiæ, & Doctorum.

CASVS CV.

De quadam puella præſentata à patrono vt fiat Monialis.

PAtronus quidam monaſterij Monialium, habens ius ad præſentandum in illo certas puellas, præſentauit prædicto Monaſterio certam fœminam vt reciperetur ad habitum. Aliquæ Religioſæ non amicæ præſentatæ nolunt illi dare ſuffragium ad ingreſſum.

Quæſitum

Quæsitum fuit primò, vtrùm obligatio sit prius recipere suffragia conuentus ad recipiendam illam quam patronus præsentat. An verò obligentur Moniales ad recipiendam illam, quam patronus præsentat, non receptis, nec expectatis votis, seu suffragiis Monialium.

Secundò quæsitum fuit, an supposito quod suffragia Monialium audita sunt, & maior pars Monialium suffragium neget: an possit Prælatus quærere à Monialibus singularibus, ob quas causas suffragium ad ingressum denegauerint.

Tertiò, si Prælatus inuenerit causam ob quam suffragia negata sunt, fuisse friuolam, & iniustam, an possit dictam puellam ad habitum recipere, & Moniales obligare, vt illam ad habitum, & professionem admittant?

Responsio.

Ad primum quæsitum dico, conuentum non teneri admittere Nouitiam præsentatam à patrono sine suffragiis Monialium prius auditis, sed posse, ac debere audire suffragia Monialium pro ingressu, & pro facienda professione. Probatur, quia ius quod habet patronus ad præsentandam feminam, non tollit ius, quod habet conuentus examinandi illam per suffragia conuentus, an sit idonea, & habeat partes requisitas ad seruitium conuentus, poterit enim contingere, vt patronus præsentet vnam valde infirmam, vel inhonestam, vel infamem, quod vergat in detrimentum conuentus: & proinde necesse sit Monialium vota audire quæ zelent bonum commune conuentus. Hoc probatur argumento omnino à simili sumpto à Conci

Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 9. de reformat.* vbi Concilium dicit, quod non obſtante quod patronus præſentet Epiſcopo Clericum aliquem vt illi conferat beneficium, Epiſcopus poſſit ac debeat illum prius examinare, illóque reperto inſufficienti, eundem reprobet. Qui eſt caſus omnino ſimilis: nam ſicut patronus conuentus habet ius præſentandi Nouitiam: ita patronus beneficij habet ius ad præſentandum Clericum pro illo beneficio: ergo, ſicut Epiſcopus poteſt reprobare Clericum non idoneum ad beneficium: ita Monaſterium poteſt reprobare Nouitiam non idoneam præſentatam à patrono. Argumentum verò hoc à ſimili, eſt valde efficax, vt habetur in cap. *quieſcit 2. q. 6.* & cap. *multi 2. q. 1.* Imò mihi caſus iſte in praxi oblatus eſt. Cùm enim ego eſſem Prouincialis meæ prouinciæ, quædam nobilis femina patrona cuiuſdam conuentus Monialium mihi præſentauit puellam vt reciperetur in illo conuentu ad habitum, quam ego nolui recipere, ea ſola de cauſa, quod eſſet clarè deſcendens ab vtroque parente deſcendentibus à Iudæis. Patrona per petitionem querelam de me fecit domino tunc Collectori, qui mandans vt ego reſponderem quare illam noluerim recipere: ego reſpondi quod non erat idonea ob ſanguinem maculatum, poſſéque me non idoneam reprobare. Dominus verò Collector meo reſponſo quietus non me amplius obligauit ad illam recipiendam.

Dico ſecundò, ſi aliquæ Moniales publicè reſiſtant, vel negent ſuffragium pro recipienda iſta Nouitia, poterit Prouincialis ſingulas obligare vt dicant cauſas ob quas illi ſuffragium negauerint: & cognito quod ſine vlla cauſa, ſed ex malitia ſuffragium negarunt,

poterit

poterit nihilominus illam ad habitum recipere. Hanc conclusionem in terminis apud nullum Doctorem inueni. Ego tamen illam clarè deduco ex iis, quæ Doctores dicunt. Et probatio præcipua est, quia vt ego dixi *in primo meo tomo Dubiorum Regularium, verbo,* Nouitij annus *num.* 54. Religiosus negans suffragium Nouitio idoneo, & benemerito, peccat mortaliter, vt asserunt graues Doctores recentiores ibi à me citati, & vltra illos tenet Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *de voto c.* 3. *num.* 7. cuius ratio est, quia Nouitius facit quasi contractum cum conuentu, & acceptatur à conuentu, vt si Nouitius sufficiens sit, & culpa careat, acceptabitur ad professionem, & ex hoc quasi contractu tenetur conuentus professionem dare Nouitio idoneo, & habet ius ad professionem. Quia verò Religiosus negans suffragium Nouitio idoneo illi tollit hoc ius, dicunt citati Doctores, quod peccat mortaliter. Eodem modo ista Nouitia præsentata à patrono, si non habet culpas, & est idonea, habet ius vt recipiatur ad habitum, eo quod patronus habet ius præsentandi illam: ergo peccabit mortaliter Monialis, quæ huic puellæ idoneæ negauerit suffragium ad receptionem habitus, quia per hoc tollit ab illa ius quod habet, vt recipiatur. Et in pœnam huius suffragij indebitè negati, poterit Prælatus per modum restitutionis illam ad habitum recipere. Secundò, principaliter hoc probo à simili, nam in cap. *Pastoralis,* iubet Papa puniri certum Episcopum, qui noluit confirmare Clericum idoneum præsentatum à patrono. Et pœna imposita tali Episcopo fuit, vt Clerico sic reprobato donaret aliud beneficium. Eodem modo, vel suo modo, Monialis negans suffragium Nouitiæ idoneæ præsentatæ à patrono, poterit puniri, vel obligari, vt eidem

dem Nouitiæ idoneæ det suffragium in alia occasione.

Dico tertiò: Quod si Moniales malè affectæ perseuerauerint in suo rancore, & tempore professionis maior pars conuentus suffragia neget isti Nouitiæ benemeritæ, idque ex odio, idque constiterit ex probatione clara, poterit Prouincialis illam admittere ad professionem cum solis suffragiis aliarum Monialium sine odio suffragantium, etiam si illæ sint pauciores numero, neque perueniant ad medietatem conuentus. Antequam hoc probem solitis probationibus adduco exemplum ad hoc singulare cuiusdam casus, qui contigit in mea Prouincia, & fuit talis. In quodam conuentu recepta sunt suffragia ad receptionem cuiusdam Nouitij ad professionem. Et cùm Nouitius esset idoneus, nec haberet defectus, & maior pars conuentus illi suffragia negauit: & proinde Nouitius fuit expulsus. Nouitius sic expulsus adiuit Patrem Generalem, illíque suam causam exposuit. Qui Pater Generalis valdè pius, & rectus, destinauit quemdam Patrem pium, & doctum, cui mandauit vt iret ad prædictum conuentum, à quo expulsus fuerat Nouitius, ipsúmque conuentum visitaret, obligans singulos sub iuramento, vt indicarent culpas Nouitij, & causas expulsionis. Si verò illi constaret quod maleuolè, & sine culpis illi fuerint negata suffragia, prædictum Nouitium, nullo alio requisito ad professionem admitteret. Piè quidem, & satis iustè. Neque contra hoc facit opinio communis recentiorum dicentium non posse Prælatum admittere ad professionem Nouitium, cui maior pars conuentus negauit suffragium. Hæc enim opinio vera est quando maior pars conuentus iustè, & ob defectus suffragia denegauit. Secus

cus si maior pars conuentus iniustè, & maleuolè suffragia denegaret: tunc enim credo posse Prælatum cum illa minori parte conuentus, quæ sanior est, dictum Nouitium ad professionem admittere. Constat hoc exemplo ferè simili, quod habetur in capite *Ecclesia vestra*, de election. in quo Papa de duobus oppositis ad Episcopatum vacantem, quorum vnus habuit pro se 17. suffragia electorum, alius habuit quatuordecim, confirmauit Papa illum qui habuit 14. suffragia, relicto illo qui habuit 17. cuius causa fuit, quia licet maior numerus suffragatus fuerit illi qui habuit 17. suffragia, erant tamen illi 17. suffragatores impediti, & defectuosi, & minus perfecti quàm illi quatuordecim: & notat ibi glossa, quod notetur, ad electionem non semper attendi maiorem numerum eligentium, sed numerum saniorem electorum. Et in cap. *Quia propter*, de electione, dicitur, quod eligatur ille in quem maior, & sanior pars consenserit. Quod multum facit ad casum præsentem. Nam licet maior numerus Monialium huic Nouitiæ suffragium negauerit; iste tamen numerus non est sanior, quia suffragium negauerunt iniustè, sine causa & maleuolè, & proinde non videtur attendendus. Et proinde credo quod si admittatur ad professionem cum solis suffragiis minoris partis, sed sanioris conuentus, professio futura sit valida, iuxta duos textus in exemplum adductos.

***

CASVS

CASVS CVI.

De muliere intrante clausuram Monialium pro vitanda morte.

QVædam mulier coniugata commisit adulterium, propter quod maritus cum ministris iustitiæ illam quærebat ad mortem inferendam. Mulier metu mortis adiuit Monasterium Monialium, & cùm porta clausuræ casu esset aperta, ingressa est parumper: & resistentibus Monialibus, illa clamans obnixè petiit vt sibi misererentur, quia erat in periculo mortis claro, eo quod maritus cum ministris iustitiæ illam à tergo insequebantur, & quærebant ad mortem. Misertæ Moniales tanti periculi, illam introduxerunt ad clausuram. Sed statim consuluerunt suum Prælatum, qui erat Episcopus ordinarius existens in eadem vrbe, illíque casum narrauerunt. Episcopus, seu Capitulum Sede vacante, resoluit, & mandauit, vt Moniales intra clausuram illam conseruarent, neque vllo modo illam foràs eiicerent. Peruenit hoc ad aures D. Collectoris Apostolici in eadem vrbe commorantis, qui statim monuit Capitulum prædictum, se Collectorem habere epistolam Missam sibi à quodã Cardinale Romæ in qua sibi dicebat à domino Papa præsentem casum commissum fuisse Congregationi Cardinalium, qui vnanimiter resoluerunt prædictam mulierem incurrisse excommunicationem: eandémque incurrisse Prælatam, cæteràsque Moniales, quæ prædicto ingressui interfuerunt, & patrocinatæ sunt. Et extare hac de re prædictam declarationem, constat ex

Bullario

Bullario Rodriguez *fol.* 1200. vbi inter Bullas D. Papæ Clementis VIII. adducens aliquas declarationes Cardinalium factas tempore prædicti Papæ, ponit hanc sequentem missam ad Episcopum Salmanticensem anno 1604. cuius hæc sunt verba : *Congregatio Concilij respondit non licere vllo modo Episcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, vt ex causis suprà narratis (erat autem vnus ex casibus ab Episcopo antea propositus apud Cardinales, lites matrimoniales adulteriorum, ac dissensionum inter viros, & vxores) Monialium monasteria ingrediantur : imò ingredientes incidere in excommunicationem. Quod si aliquis casus inciderit propter quem expedire videatur concedere talem licentiam, eam omnino obtinendam esse à Sede Apostolica.* Sic ibi.

Ob quam admonitionem factam Capitulo à D.Collectore, prædictum Capitulum Sede vacante præcepit Prælatæ dicti Monasterij, vt prædictam mulierem adulteram à Monasterio statim eiicerent.

E contrà verò in libro declarationum Cardinalium nouissimè impresso Antuerpiæ anno 1633.*fol.*522.*post medium*, inter declarationes Cardinalium *ad cap.* 5. *sess.* 25. *de regular.* ponuntur hæ tres Cardinalium declarationes. Prima: *Quod mulier coniugata, si sit in Monasterio Monialium, & constitit quod si inde exierit, versabitur in periculo mortis, in Monasterio relinqui debet. Sed siue ancillis, &c.*

Secunda : *Mulier quæ venit in suspicionem adulterij apud maritum, & ob id timet ne ab eo vis aliqua inferatur, permitti debet vt Monasterium ingrediatur Monialium, si modò constitutiones Monasterij non repugnent, &c.*

Tertia sic habet : *Insuper mulieres quæ sunt in discordia cum maritis, & eorum sæuitiam timent, si sunt extra*

 culpam,

culpam, quandiu iustam timendi causam habuerint, debent si sunt in Monasterijs tolerari.

Ecce vides duas declarationes Cardinalium omnino contrarias, imò & contradictorias: & vt desinas mirari, in eodem libro declarationum Cardinalium *ad cap. 16. sess. 25. de regular. fol. 558. in principio*, circa hoc dubium, videlicet, an Monialis, quæ dubitans de suo baptismo se fecit denuo baptizari, & iterum debebat professionem emittere, deberet expectare alium annum nouitiatus: an verò statim post iteratum baptismum posset professionem emittere? Circa hoc inquam quæsitum, duæ declarationes Cardinalium omnino contrariæ ibi citantur *num. 8. & 9.* quarum prima dicit debere illam emittere secundam professionem statim post baptismum, non expectato alio anno. Secunda declaratio statim *num. 9.* dicit, debere illam professionem emittere expectato, & peracto alio anno nouitiatus. Quid ergo dicemus ad hæc? Nunquid illi domini Cardinales notandi sunt de obliuione, vel de ignorantia? Absit. Ego *in meo secundo tomo Dubiorum Regularium, verbo* Clausura Monialium. *fol 26. col. 1.* aliquid dixi de ista contrarietate declarationum Cardinalium pro isto casu. Et dixi ibi securius esse sequi partem negatiuam missam ad Episcopum Salmanticensem, non posse videlicet recipi intra clausuram Monialium mulierem positam in periculo vitæ ob adulterium. Postea tamen re maturius consideratâ, & quia casus grauissimus est, & potest euenire, visum mihi fuit, aliquid amplius in prædicto casu adnotare: omnia tamen in eo dicenda, subiicio pedibus, ac iudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, contra quam nec volo sapere, neque quidquam facere.

Dico

Dico ergo primò. Cùm de hoc visæ sint duæ declarationes Cardinalium oppositæ, altera dicens posse admitti intra clausuram mulierem suspectam de adulterio, & positam in periculo vitæ; altera declaratio quæ illud omnino negat. Is qui in praxi quamuis istarum declarationum secutus fuerit, vel consuluerit, non peccabit: probatur, quia ambæ declarationes citantur tanquam declarationes Cardinalium. Et vtraque illarum habet pro se Doctores, & citatur in libris Catholicis, & modernis siue recentioribus: ergo non erit condemnandus qui alteram secutus fuerit, alterâ reiectâ. Confirmatur hoc exemplo claro. Nam quando de aliqua quæstione sunt duæ opiniones æquè probabiles, licitè, ac sine scrupulo potest quis alteram illarum sequi, relictâ alterâ contrariâ. Sed in hoc casu dantur duæ declarationes Cardinalium, quæ sunt duæ opiniones diuersorum Cardinalium (non enim tales declarationes sunt lex, neque habent vim legis, vt omnes recentiores fatentur;) ergo qui ex his duabus declarationibus contrariis alteram secutus fuerit, neglectâ alterâ contrariâ, non erit condemnandus, neque operabitur contra conscientiam. Hoc solum aduerto, quod si constaret quænam ex his duabus declarationibus vltimo, seu posteriori loco resoluta fuerit, seu emanauerit, ista vltima, & non prima tenenda, & practicanda erit. Idque probatur ex eo quod Doctores dicunt in materia de legibus, quod scilicet lex posterior si est contraria legi priori, derogat priori. In hoc verò casu non constat quænam ex istis duabus declarationibus fuerit posterior. In Bullario enim Rodriguez de illa Salmanticensi Episcopo missa dicitur quod data fuerit anno 1604. de alia verò opposita in libro

declarationum citato, non dicitur quando data fuerit.

Dico secundò. Conformius est iuri naturali, & iuri positiuo, & dictis grauiorum Doctorum asserere, quod prædicta mulier cuius vita ob adulterium est in claro, & proximo periculo mortis, possit admitti ac tolerari intra clausuram Monialium, quando non datur aliqua occasio euadendi periculum: & proinde secundam declarationem Cardinalium, vel potius tres declarationes suprà citatas, posse ac deberi teneri, & practicari. Hoc satis vt puto probabitur ex sequentibus. Et imprimis, quod hoc sit conformius iuri naturali: probatur, quia de iure naturali est quod vnusquisque propriam vitam conseruet, etiam non seruatâ lege purè positiuâ contrariâ. Vnde extremè egens pane, potest surripere de pane proximi, non obstante lege de non furando, idque ob conseruationem vitæ propriæ. Item vnusquisque potest occidere inuasorem suum pro conseruanda propria vita, ídque non obstante lege de non occidendo: & alia multa ad hoc exempla possent adduci. Cùm ergo mulier, de qua loquimur, insequentibus à tergo marito, & ministris iustitiæ, sit in claro & proximo periculo vitæ, neque habeat aliud remedium euadendi, licitè poterit admitti intra clausuram Monialium, non obstante lege positiuâ Ecclesiæ de non intranda clausura. Nam hæc lex Ecclesiæ prohibens ingressum clausuræ Monialium, est lex solum positiua, & non est de iure naturali, vt clarè, & efficaciter probat Bonacina *tomo* 1. *q.* 1. *de clausura Monialium*, *puncto* 3. Addo quod ex ingressu feminæ in clausuram Monialium non periclitatur castitas Monialium, qui est finis legis prohibentis talem clausuram. Secundò principaliter

liter hoc probatur ex illa Maxima solemni, & rece-ceptissima, quæ dicit: *Necessitas non habet legem*, quæ Maxima habetur in tribus vel quatuor capitibus iuris canonici, videlicet cap. *querelam*, de iureiurando, vbi glossa in verbo *non necessitate*, citat quatuor textus iuris canonici,& vnum iuris ciuilis. Et ponit ibidem glossa hoc exemplum. Quidam Clericus sub iuramento promiserat se tali die soluturum certam pensionem: tali die adueniente Clericus non soluit pressus magna necessitate: iudicatum fuit quod non fuerit periurus, quia necessitas non habet legem. Ad idem probandum, quod scilicet necessitas non habet legem. Sebastianus Medices *in suo libro de reg. iuris, in regula* 2. *num.*81. citat quatuor textus vtriusque iuris, & quinque graues Doctores Iuristas. At ista mulier de qua loquimur, cum circumstantiis narratis, habet necessitatem extremam conseruandi vitam, vt patet: ergo non habet legem, id est, non est subiecta legi clausuræ. Hæ duæ rationes videntur conuincere, non peccare hanc feminam, neque illam admittentes ad clausuram.

Fortius adhuc est argumentum, & exemplum adductum à Patre Sanchez. Qui *lib.* 6. *Decalogi cap.*16. *num.*59. loquens de casu difficiliori, an scilicet malefactor fugiens insequentes ministros iustitiæ, & inueniens apertam portam Monasterij Monialium, possit sine peccato dictam clausuram intrare? Respondet Sanchez posse licitè intrare: verba Sanchez volui adducere, quæ talia sunt: *At malefactor ille in eo discrimine constitutus non peccaret ingrediendo, si fores apertas reperiret: tum quia præsentaneum periculum ansam maturioris deliberationis præripit. Tum quia ius tuendi vitam, vel graue corporis damnum, vt si pœnâ mortis.*

aut flagellorum, aut triremium plectendus esset, ipsum excusat. Sic ille. At in hoc exemplo adducto à Sanchez duo maiora, ac duriora considero, quàm in nostro casu. Nam Sanchez id admittit in homine masculo intrante in Monasterium Monialium, vbi posset periclitari castitas Monialium. Nos verò loquimur de ingressu feminæ in clausuram Monialium, ex quo ingressu castitas non potest periclitari. Secundò, considero, quod Sanchez admittit talem ingressum malefactoris in clausuram etiam ob vitandam pœnam flagellorum, vel triremium. Hæc autem mulier erat in claro, & proximo periculo admittendi vitam, quod maius est. Quo verò ad Doctores, qui istius opinionis sunt defensores, potest pro illa citari Sanchez proximè citato loco, qui cum ibi aliam duriorem defendat, vt vidimus, proculdubio hanc etiam defendit. Eandem in terminis docet Azor *tom.1.lib.13.cap.8. quæst.4.* dicens sic declarasse Cardinales. Eandem tenent Nauar. Zerola, Campanill. Barbosa, & Miranda citati à Bonacina *tom.1. q.4. de clausura puncto 4. num.17.*

Firmantur adhuc illa, quæ hactenus diximus per illud quod recentiores Theologi dicunt, videlicet declarationes Cardinalium non esse leges, neque esse peccatum mortale agere contra illas, si in oppositum dentur rationes probabiles. Hoc asserit imprimis Rodriguez *tom.1.qq.q.11.art.2.* vbi duo dicit. Primum est, declarationes Cardinalium, quæ ad instantiam quorumdam fiunt, non obligare in foro interiori, neque exteriori: & ita sentire viros doctissimos. Secundum est, neminem damnandum esse in iudicio propter has declarationes, si opposita sententia idoneo, & iuridico fundamento fulcita sit. Opinio verò, seu potiùs

tiùs declaratio Cardinalium secundo loco pro nobis adducta, habet firmissimum, seu firmissima fundamenta, vt vidimus. Idem etiam affirmat Bonacina *tomo 2.de leg.disp.*1.*q.*1.*puncto* 8.*num*.4. vbi citans Molfezium, & alios, postquam dixit, prædictas declarationes non obligare tanquam leges, ait aliquos Doctores aliquibus opinionibus adhæsisse contra Cardinalium declarationes.

Iam ergo ex dictis constat responsio ad principale quæsitum positum in principio; dicendum est enim Prælatam istius Monasterij & Moniales illius non incurrisse vllam censuram admittendo hanc fœminam intra clausuram propter clarum periculum vitæ illius,& propter manifestam necessitatem,maximè cùm consuluerint suum Prælatum, de cuius licentia illam retinuerunt, & proinde fecerunt bonâ fide.

CASVS CVII.

An Episcopus possit obligare Recollectos, seu Capucinos vt vadant ad processiones.

EPiscopus quidam vocauit ad processionem Corporis Christi quemdam conuentum Diui Francisci Recollectum,vulgo, *Capucho*,qui conuentus subiectus erat cuidam prouinciæ Ordinis D. Francisci: quæ prouincia non est recollecta Capuchá, sed vadit ad processiones vocante Episcopo. Quæsitum fuit an possit Episcopus hunc conuentum Recollectum, seu Capuchum obligare vt vadat ad processiones?

Et videtur quod possit. Primò,quia prædictus conuentus non est prouincia Recollecta, siue Capucha, sed est subiectus prouinciæ non Capuchæ, quæ vadit ad processiones : & proinde sicut cæteri conuentus eiusdem prouinciæ vadunt ad processiones; ita iste poterit obligari. Secundò probatur, quia in Hispania sunt aliquæ prouinciæ Ordinis D. Francisci, quæ sunt Recollectæ, & Capuchæ, & tamen (vt refertur) vadunt ad processiones publicas , quando ab Episcopo vocantur.

Responsio.

Hoc non obstante, credo quod non possit Episcopus prædictum conuentum obligare vt vadat ad processiones. Pro quo suppono, quod quando Concilium Tridentinum *sess.25.c.13.de regular.* dicit posse Episcopum obligare Religiosos vt vadant ad processiones, excipit statim illos qui viuunt in strictiori clausura. Et iste conuentus, de quo agitur, viuit in strictiori clausura, sicut viuunt illi conuentus prouinciarum Recollectarum quæ non vadunt ad processiones. Quo supposito, sic probo intentum. Domini Cardinales Romæ assistentes pro explicandis dubiis Concilij Tridentini, interroganti, qui essent Religiosi,qui dicendi sint viuere in strictiori clausura, responderunt in quadam sua declaratione, esse illos, qui neque cantant in choro, neque vadunt ad mortuos sepeliendos. At iste conuentus Capuchus, de quo agitur, habet hæc duo: non cantat in choro, neque vadit ad mortuos sepeliendos : ergo non potest obligari ad processiones. Hanc declarationem Cardinalium adducit Capucinus Sorbo ad compendium Mendicantium,verbo, *processiones*,

cessiones, §. *Ac tenentur cantare*, vbi sic ait: *Declarauit tamen sacra Congregatio Cardinalium super hoc decretum Concilij, hoc debere intelligi dummodo processiones sint eius generis, quod Bulla supradicta comprehendit. Et dummodo regulares non sint ex illis conuentibus, qui Collectanei nuncupantur, qui in eadem Bulla excipiuntur; videlicet in quibus fratres arctiori clausura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant.* Sic ibi Capucinus ex declaratione Cardinalium. Cùm ergo iste conuentus, de quo agitur, hæc duo habeat, quod non cantat in choro, nec ad mortuos accedit, sequitur quod non possit obligari vt ad processiones accedat. Secundò principaliter idem probatur, nam iste conuentus est in consuetudine, ac possessione à principio suæ fundationis, vt ad processiones non obligetur: cùm ergo consuetudo faciat legem, vel declaret legem, hæc sola consuetudo illos à processionibus liberabit. Antequam adducam textus dicentes quod consuetudo facit legem, suppono quod datur consuetudo positiua, & negatiua, vt tradit Suarez *tomo de legibus lib.* 7. *c.* 5. *num.* 14. dicens quod consuetudo positiua est illa quæ consistit in exercitio alicuius actus, seu operis agendi. Consuetudo verò negatiua est illa quæ consistit in abstinendo ab aliquo opere, & ambæ istæ sunt veræ consuetudines. Hoc supposito ista consuetudo negatiua, in qua est iste conuentus non eundi ad processiones ab initio suæ fundationis, eum eximit ab onere illas adeundi: nam consuetudo potest inducere legem, vt habetur in cap. *Consuetudo*, dist. 1. & cap. *In his*, dist. 11. & prætereа consuetudo interpretatur legem, vt habetur cap. *Cùm dilectus*, de consuetudine. De quo vide Bonacinam *tomo* 2. *tit. de leg. disput.* 1. *q.* 1. *puncto vltimo* §. 3. Cùm ergo iste conuentus sit in consue-

tudine negatiua à ſua fundatione non accedendi ad proceſſiones ſequitur quod Ordinarius illum non poſſit ad illas obligare. Tertiò poteſt probari à ſimili: nam maior obligatio eſt vt conuentus ſoluat quartam partem funeralium, quàm vt vadat ad proceſſiones: vel ſaltem eſt eadem obligatio vtrobique, cùm vtrumque ſit præceptum Religioſis per Concilium Tridentinum. Et præterea ſolutio quartæ eſt antiquior in Eccleſia, cap. *Dudum*, de ſepult. & per alios textus ibi à gloſſa citatos: adire verò proceſſiones quoad Religioſos eſt recens ex Tridentino. Et præterea ſolutio quartæ funeralis eſt debita Parocho tanquam præmium ſui laboris, quorum neutrum cernitur in materia proceſſionum. At conſtat ex Tridentino non teneri conuentum Religioſorum ad ſoluendam quartam funeralem, ſi ſit in conſuetudine non ſoluendi per quadraginta annos, vt patet in Tridentino *ſeſſ.25. cap. 13. de reformat.* ergo à ſimili, cum iſte conuentus ab annis 40. imò in ſua fundatione ad proceſſiones non accedat, ſequitur quod ad illas non poſſit obligari. Et hæc concluſio magis probabitur ex dicendis in ſolutione argumentorum.

Ad primum igitur argumentum concedo quod ex hoc conuentu, de quo agitur, tranſeunt Religioſi ad alios conuentus eiuſdem prouinciæ, qui vadunt ad proceſſiones: ſed nego conſequentiam, videlicet quod cum iſto tranſitu iſte conuentus Capuchus, ſeu Recollectus amittat ſuum priuilegium non eundi ad proceſſiones. Nam iſtud priuilegium iſtius conuentus non accedendi ad proceſſiones conceſſum per Tridentinum, & per declarationem Cardinalium citatam, eſt priuilegium locale & reale; quod non amittitur per tranſitum duorum, vel trium Religioſorum tranſeuntium

tium ab illo ad alios conuentus carentes hoc priuilegio: vel ob transitum ex aliis conuentibus non priuilegiatis ad istum. Nam, vt dicunt Doctores, priuilegia localia, & realia non amittuntur ex eo quod aliquis habitator loci priuilegiati locum mutet. Declaro hoc à simili exemplo claro. Patres Societatis Iesu habent priuilegium non accedendi ad processiones, & ex dicta Religione transeunt multi ad alias Religiones carentes hoc priuilegio: & tamen per hunc transitum Religio Societatis non perdit dictum priuilegium, quia est locale, & reale. Eodem modo iste conuentus Capuchus, de quo agitur, habet priuilegium non accedendi ad processiones iuxta prædicta: quod proinde non amittet, licèt aliqui Religiosi ex illo transeant ad alios conuentus carentes illo priuilegio.

Ad secundum argumentum dico, quod licet in Hispania dentur aliqui conuentus Recollecti, vel Capuchi, qui vadant ad processiones, non potest Episcopus obligare conuentus Recollectos, ceu Capuchos istos obligare vt vadant ad processiones. Probo, quia consuetudo vnius Regni, vel Ecclesiæ, vel Prouinciæ non obligat aliud Regnum, Ecclesiam, vel Prouinciam, nisi id Papa præcipiat. Nam Papa permittit vt vnaquæque Ecclesia suas consuetudines seruet, & retineat quando fuerint rationabiles. Habetur expresśè in cap. *Illud* 12. distinct. cum glossa ibidem, verbo, *Contrario more:* vbi glossa multa pro hoc adducit. Quod adeò verum est, vt neque consuetudines particulares vrbis Romæ obligent in aliis Ecclesiis extra Romam, si tales consuetudines Romæ non sint de iure communi. Pro quo citat multos textus glossa in cap. *Nolite* 11. distinct. in verbo, *Et docere*. Præcipuus

textus

textus ibi citatus est cap. *de Trina*, de consec. dist. 4. vbi Papa loquens de variis moribus seruatis in mersione infantis baptizati, innuit clarè se nolle obligare alias Ecclesias ad seruandam consuetudinem, quæ Romæ seruatur; intellige, modò seruetur materia, & forma sacramenti. Vltimò iuuat ad hoc dictum Nauarri *tomo de consilijs ad finem, in commentario de lege pœnali, num.* 32. vbi sic ait: *Consueta minimè sunt mutanda, nisi clarè constet consuetudinem esse intolerabilem: cùm legis variè intelligibilis consuetudo sit optima interpres.* At ista consuetudo, quod conuentus, & prouinciæ Capuchæ, seu Recollecti in Portugallia non vadant ad processiones, est consuetudo tolerabilis, & conformis Trident. & declarationi Cardinal. cit. ergo non est mutanda in hoc regno, licet mutata sit in aliis Regnis Hispaniæ.

CASVS CVIII.

De donatione facta per Episcopum pro maritandis consanguineis.

QVidam Episcopus habebat vnum nepotem, & neptem ex fratribus, qui ambo erant nobiles, & pauperes: cúmque propter consanguinitatem impediti essent adinuicem contrahendum matrimonium, Episcopus illis fecit donationem dotis pro matrimonio contrahendo inter se: & in scriptura dotis posuit verbum hoc de præsenti: *Donamus pro matrimonio illorum viginti mille aureos.* Postea supplicauit à Summo Pontifice dispensationem pro illis matrimonio copulandis ad inuicem: & in supplicatione pro dispensa-

dispensatione exposuit Papæ quod ipse Episcopus ob paupertatem illorum illis constituebat pro dote viginti mille aureos. Dispensauit Papa in impedimento matrimonij : sed paulò pòst Episcopus mortuus est antequam actu traderet nepotibus dictos viginti mille aureos : cùm tamen tempore mortis iam dicto Episcopo ex redditibus Episcopatus essent debiti prædicti viginti mille aurei.

Quæsitum fuit an Episcopus posset facere nepotibus tam amplam donationem pro dote matrimonij: & supposito quod posset, de quibus bonis Episcopi soluenda sit prædicta pecunia?

Responsio.

Dico primò. Prædictum Episcopum validè potuisse facere illam donationem dotis soluendam ex redditibus Ecclesiasticis. Iste casus in substantia iam à nobis resolutus est in casu 93. quamuis ille ab hoc in multis sit diuersus. Quod igitur iste Episcopus potuerit de redditibus Ecclesiasticis promissam dotem donare, probatur ex Farinacio à nobis etiam citato in dicto casu 93. Qui Farinacius *tom.2.Decisionum Rotæ, decis.* 241. refert in Rota Romana decisum fuisse, potuisse quemdam Episcopum assumptum ex Ordine Carmelitarum, donare duabus neptibus ex sorore quasdam amplas domus, quas emerat ex redditibus Ecclesiasticis, quas illis donauit pro dote matrimonij : ídque ibi probat Farinacius per multa quæ adducit, cuius rationem præcipuam mox adducam. Si ergo prædictus Episcopus cùm esset Religiosus ex Ordine Mendicantium potuit validè prædictam donationem facere consanguineis, à fortiori id poterit

iste

iste Episcopus, qui non fuerat Religiosus] ex Mendicantibus.

Præcipua ratio cui innititur Farinacius, est, quod Prælatus habens administrationem bonorum in vita, æquiparatur vsufructuario, qui potest disponere de fructibus beneficij per donationem inter viuos. Pro quo citat septem Doctores graues,& antiquos. Quod verbis clarioribus, est dicere, quod Episcopus, & beneficiarius habent dominium, & sunt verè domini reddituum suorum beneficiorum: & sic potest de illis liberè disponere per donationem, vel alium contractum: maximè ad pia opera, quale est maritare pauperes consanguineas. Et addit ibidem Farinacius *num*.4. citans Nauarrum, & Sarmentum, nullum Doctorem hoc negare. Cùm ergo iste Episcopus haberet dominium liberum suorum reddituum Ecclesiasticorum, bene potuit ex illis dotem nepti, & nepoti constituere, maximè cum essent pauperes, & nobiles. Et notandum est, quod hanc dotem non solum promisit de futuro: sed de facto donauit dicens de præsenti, *Donamus, &c.* Facit etiam quod refert Azor *tom.2. lib.7. cap.9.* §. *In hac quæstione*, videlicet quod in Hispania, & Gallia beneficiarij ex consuetudine faciunt testamentum de fructibus sui beneficij: quod est plusquam donare inter viuos: & licet ipse Azorius dicat, hoc non extendi ad Episcopos, qui nunquam possunt facere testamentum sine dispensatione Papæ. Nihilominus Nauarrus *consilio* 14. *de regul. num.*12. dicit, quod quidam Archiepiscopus qui promiserat in vita quingenta scuta, licet non potuerit illa donare per testamentum: potuisse tamen illa donare in vita per contractum, quamuis esset Episcopus de Ordine Minorum:& quod post mortem ipsius

habebant

habebant ius ad petendam illam pecuniam illi, cum quibus fecerat Episcopus contractum. Quod in terminis valde iuuat ad casum præsentem. Vnde per hanc doctrinam Nauarri nepos, & neptis istius Episcopi, cum quibus ipse fecit quasi contractum per donationem dotis, poterunt petere in iudicio pecuniam illam pro dote promissam, licet Episcopus mortuus sit. Secundò principaliter, quod dos ista fuerit valida, probatur, quia fuit facta de licentia Papæ. Nam, vt suprà dictum fuit, quando iste Episcopus petiit à Papa dispensationem pro illorum matrimonio contrahendo, exposuit Papæ in supplicatione, quod ob paupertatem illorum, ipse Episcopus de bonis suis illis assignabat pro dote viginti mille ducatos: at visâ istâ supplicatione, & videns, & sciens Papa hunc Episcopum de redditibus Ecclesiasticis prædictam donationem facere, nihilominus cum illis dispensauit ad matrimonium. Ergo etiam tacitè dispensauit cum Episcopo, vt posset prædictam dotem de redditibus Ecclesiasticis donare, dato (& non concesso) quod Episcopus aliàs prædictam donationem non posset facere: & dato quod in supplicatione ad Papam pro tollendo impedimento matrimonij non petierit dispensationem ad dotem dandam de redditibus Ecclesiasticis. Hoc sic declaro: Quando superior potens dispensare, videt in aliquo opere subesse impedimentum, quod illi non exponitur, & nihilominus ipse concedit licentiam vt fiat, censetur clarè dispensare, etiam si talis dispensatio expressè non petatur. Quotiescunque enim Princeps videt aliquid fieri contra legem, & nihilominus concedit vt fiat, censetur clarè dispensare, dispensatione tacitâ. Ita in terminis tenet Nauarrus *consilio* 1. *de feudis*, citans

tans Felinum. Et probatur ex regula 43. iuris in 6. *Qui tacet consentire videtur.* Pro quo Suarez *tomo de legibus, lib.6. cap.23.* ponit exemplum : vt si conceda-tur à Papa aliquid subdito, quod sine dispensatione fieri non potest, censeatur ipso facto dispensare. Item si Papa concedat beneficium alicui, quem scit esse irregularem, clarum est quod cum illo dispensat. Et vltra Doctores quos ibi citat Suarez, citat etiam legem, *Quidam*, ff. de re iudicata : vbi ponuntur hæc verba : *Princeps enim qui illi dignitatem dedit, omnia gerere decreuit.* Et idem habetur in lege *Barbarius* ff. de officio prætoris. Ergo cum Papa in hoc casu dis-pensans cum his nepotibus ad matrimonium, vide-ret, & sciret Episcopum illos dotare de redditibus Ecclesiasticis, dato quod Episcopus talem dotem non posset facere, Papa tamen id videns, & sciens, censen-dus est dispensare cum Episcopo, vt id posset facere.

Tertiò id probari potest ex *cap. 2. de fideiussoribus*, in quo glossa cum textu referunt, quod duo Clerici receperunt certam copiam pecuniæ cuiusdam mer-catoris, promittentes quod illam soluerent vsque ad certum diem. Et pro se obtulerunt alium Clericum fideiussorem. Adueniente die assignato, duo Clerici non soluerunt pecuniam : qua de causa Clericus fide-iussor soluit pro illis. Mandat ibi Papa vt duo Clerici statim soluant pecuniam Clerico fideiussori. Si verò non soluant, Episcopus illos obliget, vt de redditibus Ecclesiasticis soluant Clerico fideiussori. Ecce quo-modo Papa vult vt de redditibus Ecclesiasticis debita Clericorum soluantur, etiam contracta per contra-ctus ordinarios. Debitum verò dotis quod contraxit Episcopus, de quo loquimur, fuit contractum ex causa valde pia, qualis est dotare puellam nobilem,

&

& pauperem consanguineam. Ergo ex redditibus Ecclesiasticis huius Episcopi solui debet tale debitum.

Neque contra hactenus dicta obstat, quod præcipit Concilium Tridentinum *sess.25.cap.1. de reformat.* vbi de Episcopis loquens, ait: *Omnino eis interdicitur ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiarésve suos augeant.* In quibus verbis illis prohibere videtur, ne possint consanguineos dotare pro matrimonio contrahendo, maximè cum tanta dote, quantam hic Episcopus his nepotibus assignauit, viginti scilicet mille ducatorum. Ad quod respondeo ibi Concilium non prohibere ne Episcopi possint dotare consanguineos pauperes, iuxta illorum statum. Sed solum velle Concilium ne Episcopi consanguineos ditent, vel augeant excessiuis dotibus, & donationibus prodigis. Non verò prohibere dotes moderatas attento statu consanguineorum,& nobilitate eorum. Sic tenet Reginaldus *tom.2.lib.30.tract.3.n.*101. *& seqq.* addens *eodem num.* quod beneficiarius potest fratrem suum de fructibus beneficij alere in scholis,& ad gradus honorificos scholarum promouere.Et ibidem *num.*102.cum Nauar. & aliis, ait posse beneficiarium filiam suam spuriam dotare pro matrimonio contrahendo. Quæ omnia maiora sunt, ac difficiliora, quàm Episcopum nobilem dotare nepotes nobiles, & pauperes ad nubendum.Addit adhuc Reginaldus ibidem *n.*103.quod beneficiarius dotans consanguineam ex redditibus Ecclesiæ potest excedere statum, quem consanguinei habebant in sæculo. Denique in fine istius numeri, ait Reginaldus,quod potest beneficiarius in dotanda consanguinea spectatis omnibus circumstantiis sic donare,vt non sit sibi dedecus propinquos sibi coniunctos adeò abiectos habere.

GGg Dico

Dico secundò, hanc dotem promissam ab Episcopo soluendam esse primò de bonis patrimonialibus, si quæ Episcopus in vita habebat. Constat clarè, quia bona patrimonialia non sunt bona Ecclesiastica, ac proinde de illis liberè potest disponere beneficiarius, iuxta communem opinionem, sicut tradit Ludouicus de Beia *in suis Respons. moralibus, 2. p. casu* 25. Secundò soluenda est dos ista ex redditibus Ecclesiasticis, quos iste Episcopus iam reliquit acquisitos, & emeritos, etiam si actu illos non receperit: iam enim hi redditus sui erant, illósque acquisiuerat, & pro inde iam illorum dominium habebat, & proinde iam erant bona istius Episcopi. Et constat quod bona relicta à defuncto manent hypothecata, & obligata ad soluenda debita contracta à defuncto, vt praxis docet. Tertia, ista dos potest, ac debet solui ex supellectilibus, & mobilibus relictis, qualia sunt vasa aurea, vel argentea, tapetes, & similia. Hæc enim mobilia non sunt dicenda in hoc casu spolium pertinens ad cameram Apostolicam, vel Fiscum Apostolicum. Nam hæc bona manent obligata ad soluendum debitum dotis promissæ ab Episcopo. Pro quo notandum est, illud solum vocari spolium debitum cameræ Apostolicæ, quod relictum est à beneficiario, & superest de bonis ipsius seclusis prius debitis beneficiarij. Sic tenet Riccius 5. *p. Decisionum, decisione* 2030. citans tres Doctores, dicens, quod camera Apostolica succedens beneficiario, tenetur ad eius debita soluenda. Ergo licet per mortem huius Episcopi manserint bona patrimonialia, mobilia, domus, & redditus Ecclesiastici iam sibi debiti, hæc non pertinent ad spolium Apostolicum, neque ad alium Fiscum, nisi prius debita Episcopi soluantur, qualis est ista dos promissa. Quod magis firmatur ex dictis, nam Fiscus tenetur

soluere

ſoluere debita, quæ contraxerat defunctus,cuius bona ad Fiſcum perueniunt. Sic tenet expreſsè Sanch. *lib.*1. *Decalogi cap.*22.*n.*74.& citat legem ciuilem dicentem, quod bona quæ ſunt obligata alicui creditori,non pertinent ad Fiſcum : bona autem omnia relicta ab hoc Epiſcopo ſunt obligata ad debitum iſtud iſtius dotis ſoluendum.Vide tamen ſuprà *caſu* 93.*poſt initium*,§.*Illud imprimis*, vbi diximus conſtitutiones Apoſtolicas de ſpoliis Epiſcoporum, & Clericorum non habere locum in Portugallia.

Quæris an dato, quod Epiſcopus iſte nulla omnino bona reliquerit,de quibus dos iſta ſolui poſſit:teneatur Epiſcopus ſucceſſor illam ſoluere?Scio quemdam Doctorem de hoc conſultum reſpondiſſe affirmatiuè. Cui tamen ego non aſſentio. Licet enim Prælatus ſucceſſor teneatur ſoluere debita anteceſſoris contracta intuitu Eccleſiæ:non tamen tenetur ſoluere debita anteceſſoris facta alio intuitu. Aliàs ſequeretur teneri ſucceſſorem ſoluere debita anteceſſoris etiam illicitè, & prodigè contracta. Congruentius ergo ad intentum loquitur Comitol.*lib.*1.*Reſponſ.Moral.*dicẽs,quod Prælatus ſucceſſor non tenetur ad ſoluenda debita anteceſſoris, niſi fuerint facta ab illo vt Prælatus eſt. Sic Comitol. *cit.tom.Reſp.lib.*1.*q.*87. & citat pro hoc vnam decretalem Alexandri V. ſic de hac re dicentem : *Sicut filius debita patris ſoluere tenetur,ita Prælatus ſui prædeceſſoris pro Eccleſiæ neceſſitate contracta.* Et alia quæ ibi citat Comitolus ex quadam gloſſa pro exemplis. Et in hoc caſu Epiſcopus mortuus non contraxit hoc debitum dotis ſoluendæ quatenus Epiſcopus, vel Prælatus erat:ſed quatenus conſanguineus,neque contraxit hoc debitum pro Eccleſiæ neceſſitate, ſed pro neceſſitate nepotum. Sub cenſura Eccleſiæ,& Doctorum.

CASVS CIX.

De quodam delicto facto de nocte.

IN quodam conuentu paruo Religiosorum, in noctis silentio quidam Religiosus intrauit cubiculum Prælati, & ostendit illi vulnus graue in facie recens, & accusans quod certus Fullanus eiusdem conuentus illum eodem tempore in facie percusserit: addens se illum clarè cognouisse, eo quod dictus Fullanus ad se percutiendum cum candela accensa venisset. Surgens Prælatus adiuit cubiculum illius accusati, & illum inuenit in suo lecto quietum & absque vllo indicio illius delicti. Quo non obstante, Prælatus dictum Religiosum accusatum ob solum dictum accusantis inclusit illum in arcta custodia, iniunctis illi aliquibus pœnitentiis abstinentiæ. Cúmque de delicto inquireret, nihil notabile contra accusatum inuenit, sed tamen à custodia non liberauit. Et declaratur quod Religiosus habebat bonam famam vitæ. Et hoc solum indicium contra illum repertum est, quod scilicet præcedente proximâ die dixerit certum verbum leue contra accusantem, cum quo non conuersabatur amicabiliter.

Quæritur, an potuerit Prælatus ob solum dictũ istius accusantis, non inuento alio indicio notabili, prædictũ Religiosum accusatum punire aliquâ pœnâ notabili?

Responsio.

Respondeo omnino negatiuè. Hanc conclusionem tenet mordicùs Mascard. qui egregiè tractauit materiam de probationibus criminum. Iste ergo tantus Doctor *in 3. tom. de probationibus, concl.* 1129. efficaciter probat

bat cùm multis Doctoribus, quod assertio sola vulnerati, non cócurrente alio indicio notabili, non sufficit vt aliqua pœna detur illi quem culpauit, seu accusauit. Exaggerat Mascardus hoc dictum, dicens hoc verum esse, etiamsi accusator id asserat positus in articulo mortis habés sacrosanctam Eucharistiam in manibus, vel illud affirmet cum iuramento. Ratio efficax istius conclusionis est, quia iste sic accusans, vel culpans aliũ, eo ipso quod asserit se ab illo grauiter vulneratum, ostendit se illius capitalem inimicum: ex graui enim iniuria illata resultat capitalis inimicitia. At constat quod dictũ testis inimici capitalis nihil omnino probat contra reum. Et hoc argumentum est insolubile, & ideo non sunt necessariæ aliæ probationes. Et citat Mascardus plusquam duodecim Doctores legistas graues, & addit hanc esse opinionem communem.

Quod verò attinet ad id quod culpans, vel accusans ait, se bene cognouisse dictum Fullanum in hora percussionis, eo quod ille culpans secum afferret candelam accensam: omnino improbabile est, nec veritati consonum, sed fortè per tale delictum se prodit. Nullo enim modo credi potest, quod malefactor de nocte, & in conuentu paruo, vadens facere delictum portaret candelam: sed potius credi potuit, quod extingueret candelas conuentus ne posset agnosci, ac deprehendi. Colligitur hoc manifestè ex illo dicto Christi D. Ioan. cap. 3. *Qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.*

Quod item dicitur de solo indicio hîc reperto, quod scilicet iste Religiosus culpatus die præcedente, dixit illud verbum leue contra accusantem: id non obstat, quia, vt dicitur, vltra quàm quod fuerit verbum leue, non fuit comminatorium. Et præterea cùm constet

istum Religiosum culpatum habere bonam famam in conuentu, ista bona fama liberat illum ab illa leui suspicione de verbo illo molesto antea dicto contra accusantem. Probatur hoc ex eo quod ait Riccius *2.parte Decisionum,decis.206.* dicens,quod probatio bonæ famæ absorbet famam contrariam. Facit vltimò pro hoc dicto,quod iste culpans,accusans ve istum Religiosum, est accusator, vt patet : est autem inauditum quod dictum solum accusatoris sine testibus, & sine indiciis sufficiat ad comdemnandum aliquem.

Sed quia hæc materia potest sæpius euenire circa crimina facta de nocte, in quibus dari non possunt testes oculati, ne crimina maneant impunita, ponam hîc breuiter,quæ Doctores dicunt circa probanda crimina facta de nocte. Et antequam illa dicam, suppono esse communem opinionem, quod crimina facta de nocte, seu in occulto indigent minori probatione, cùm enim sint difficilis probationis, si ad illa probanda peteretur plena probatio,multa crimina grauia manerent impunita.

Primum ergo quod se offert in hac materia,est quod disponit lex istius Regni Portugalliæ *lib.5. Ordinationis, tit.83.* vbi dicit,quod si de nocte in platea publica aliquis clamans dicat : Fullanus me percutit : & ad talem clamorem aliqui Fullanum viderint stare iuxta ipsum clamantẽ, crimen manet probatum cõtra ipsum propè stantem, etiam si illum non viderint actu percutientem.Nam in tali casu contra illum propè stantem, insurgit violenta præsumptio,quod fuerit percussor,eo quod nullus alius ibi inuẽtus sit qui posset clamantem percutere. At in nostro casu Religiosus iste culpatus à culpante non est visus propè Religiosum percussum: sed inuentus est in suo cubiculo iacens, & quietus.

Secundò,

Secundò, si cum delicto facto de nocte concurrat fama vehemens contra aliquem, talis fama cum aliis indiciis grauibus sufficit ad cōdemnationem. Sic probat Baiardus *in comment. ad Iulium Clarum q.21.n.2.* citans alios. At contra istum Religiosum non fuit fama de tali delicto, vt constat, sed solum contra illum incepit infamia postquam illum accusator iste culpauit. Constat autem apud omnes, quod vt fama faciat aliquam probationem, debet hæc fama oriri à viris honestis, timoratis, & non suspectis: fama autem hæc contra istum Religiosum orta est solùm à suo accusatore, seu culpante, qui proinde est vir omnino suspectus.

Tertiò, potest contingere vt ante crimen factum de nocte, infamatus de crimine dixerit verba iniuriosa contra vulneratum, neque ambo se alloquerētur adinuicem, vel præcesserint minæ de vlciscēdo: & tunc hoc graue indicium sufficit ad torturam, teste Mascardo *tom.2.de probat.concl.*901. vbi citās Speculatorem, dicit, qũod si aliquis inuentus sit occisus, sitque probatum, Titium cum illo inimicitias gerere, & quod ab occiso iniuria sibi illata fuit, ex his indiciis solis poterit Titius torqueri. Et in hoc casu nihil tale repertum est contra istum culpatum Religiosum.

Quia verò suprà dixi, crimina facta de nocte, seu in abscondito indigere minori probatione, vt puniantur; cito ad hoc solum Mascardum, qui *tom.1.de probat.*circa hanc materiam sic scribit: *Id enim præ oculis semper habendum est, vt ea quæ non possunt probari per certas probationes, in dubijs probentur per præsumptiones, & coniecturas, vel indicia.* Et per hoc citat duos Doctores, & vnam glossam iuris ciuilis. Idem tenet Mascardus *tomo 1. de probat.concl.*461.*n.*11.citans alios. Quod si obiicias dictum illud commune, quod probationes ad condem-

nandum debent esse luce meridianâ clariores. Respondeo id intelligi quando agitur de probando crimine claro, & in publico patrato; tunc enim claræ probationes requiruntur. Secus quando delictum fit de nocte, vel in occulto, tunc enim minores probationes requiruntur, sicut dictũ est: aliàs multa crimina grauia impunita remanerent, cum claro, & magno præiudicio Reipublicæ. Sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS VLTIMVS.

Circa priuilegia viuæ vocis oraculo concessa.

IN meo primo tomo Responsionum moralium *casu vltimo*, dixi quod priuilegia viuæ vocis oraculo, quæ S.D.N. Vrbanus VIII. reuocauerat, esse hodie ab eodem D. Papa reualidata, ac denuò concessa. Ad id dicendum motus fui, quia vidi epistolam cuiusdam Prouincialis certæ Religionis, & alterius Patris grauis missam ad quemdam Religiosum grauẽ meæ prouinciæ, qui duo id asserebant, esse scilicet dicta oracula viuæ vocis à S.D.N. Vrbano VIII. iterum concessa, & reualidata. Hoc idem nouissime posset confirmari ex libro P. Fratris Ludouici de Cruce de explicatione Bullæ Cruciatæ; in quo prædictus Pater *disp.1.c.6. dub.2.n.13. & 16. fol.359.* dicit posse hodie Confessores Religiosos de licentia Prælatorum dispensare ad petendũ debitum cum coniugatis, qui ante matrimonium fecerunt votum castitatis. Itẽ *n.16.* ait posse eosdem Confessores de licentia Prouincialium dispensare ad petendum debitũ cum illis coniugibus, qui intra quartum gradum ratione incestus affinitatem contraxerunt. Citat ad hoc aliquos recentiores, & præcipuè duo viuæ vocis oracula Pij V. qui

qui id concessit. Et cum his viuæ vocis oraculis transit, supponens illa hodie esse valida, & in suo antiquo robore permanere. Scripsit autẽ hic Author nouiter Romæ anno 1632. postquam D. Vrbanus VIII. dicta oracula viuæ vocis reuocauerat, cuius Patris citatus liber fuit examinatus à Magistro sacri Palatij, & à quinque aliis Doctoribus Romę examinatus, & approbatus. Estque prædictus Pater officialis in sacra Pœnitentiaria D. Papæ quæ omnia satis cõprobant sciuisse dictos Doctores hodie priuilegia viuæ vocis oraculo valida esse, & in suo robore persistere, non obstante priore reuocatione illorũ factâ per dictum D. N. Vrban. VIII. Quod si ita esset, magna profectò foret Religionum quietatio, & animarũ sæcularium remediũ. Dixi verò suprà, hunc Authorẽ Romæ scripsisse post reuocationẽ oraculorum viuæ vocis factam per S. D. N. Vrban. VIII. quia eius reuocatio facta est anno 1631. die 20. Decemb. vt patet ex Bulla ipsius. Prædictus verò Pater scripsit hunc librum Romæ an. 1632. mense Maio quarto mense post dictã reuocationẽ. Ac proinde certò sciens hic Author dicta viuæ vocis oracula, fuisse reuocata, eóque non obstante citans duo viuæ vocis oracula tanquam valida, videtur supponere scire se eadem viuæ vocis oracula fuisse reualidata, & denuò concessa per S. D. N. Papam.

His non obstantibus, ego vehementer suspicor prædicta viuæ vocis oracula à D. N. reuocata, non fuisse ab illo reualidata, vel denuò concessa. Moueor primò, quia postquam ille meus primus tomus Respõsionum exiit in lucem, duo alij Patres eiusdem Religionis ad me venerunt innuentes se habere epistolam sibi missam à Patre quodam eiusdem Religionis Romæ existente, in qua dicebat prædicta viuæ vocis oracula non esse denuò reualidata, sicut ego olim in meo libro sine fun-


 damento

damento dicebam. Secundò principaliter moueor, quia non eſt credendum quod S.D.N. Vrbanus VIII. in tam breui tempore ſe mutaret. Reuocauerat enim viuæ vocis oracula anno 1631. menſe Decembri, vt ſuprà vidimus, & poſtea anno ſequenti 1632. menſe Maio, iam eam reualidauerat, vt ſupponit hic Author. Quod non videtur credendũ de tanto Pontifice, vt intra quatuor, vel quinque menſes duas Bullas contrarias in re tam graui publicaret, cum magnæ leuitatis, & inconſtantiæ nota. Tertiò moueor, quia illa reualidatio, & noua conceſſio priuilegiorum viuæ vocis oraculo nullo modo fuit publicata in Portugallia: quod erat neceſſarium, vt publicaretur, præcipuè in re tanti momenti, & tam neceſſaria. Ac proinde credo dicta priuilegia viuæ vocis oraculo hodie non eſſe reualidata. Nec proinde alicui illa poſſe prodeſſe.

Conſonat hæc mea admonitio cum eo quod dicit Molina *tom.4. de iuſt. diſp.63. n.2.* vbi citans Nauarrum, qui in quodam cõſilio dixerat certum quid, quod erat contra quandam declarationem Gregor. XIII. eundémque Nauarrum ſecuti ſunt poſtea alij recentiores, ait Molina, quod vel Nauarrus illud conſilium ſcripſit ante dictam declarationem Greg. XIII. vel eius notitiam non habuiſſe, vel denique illud ignoraſſe eos, qui poſt Nauarrum ſcripſerũt. Quod ſuo modo dici poteſt de citato Patre Fratre Ludouico à Cruce, & de illis quos ille citat, quod ſcilicet, non viderint id quod citant, ac dicunt de reualidatione, vel reuocatione oraculorum viuæ vocis. Sub cenſura Eccleſiæ, & Doctorum.

Omnia ſubijcio pedibus, ac iudicio, & cenſuræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

INDEX





INDEX RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC LIBRO continentur.

Prior numerus paginam, posterior eiusdem paginæ sectionem indigitat.

A



Actus

Apoſtata

Citatio

D

Dispensatio.

E

F

I

Maleficas

M.

N

in

Pactum

P

Priuile

Guardia

856

R

S

T

859

FINIS.

